Effigies
&
Vitæ
Professorum
Academiæ
Groningæ
&
Omlandiæ

1654

25,810/C/2

B. xxi. 27


Olim. Fvi.
Ex. Libris.
GVLIELMI. BATES. A.B.
vniv. Lond.
Coll. reg. Chirvrg. Soc.
Medici.
Apvd. Birming. in. Agro.
Varvicénsi.
Hodie.
Mæstissimi et. indignissimi.
Fratris.
ALEXANDRI.
Edgbastoniæ.
1885.

2 ports & engd title

auctorem videtur Hattemu v: Emmium Bruckerus Hist. Phil: t. 3 p: 859 in notis / quem errorem et erravit Oudinus v. Gerdes Hist. Ref: t 3 p. 111 / & de hoc libro rariori Baumgarten von merkwürd. Büchern 7 b p: 536

160/

GRONINGEN


ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΡΙΟΝ PIETATIS VIRTVTIS
BONARVM LITERARVM STVDIIS DICATVM.
EFFIGIES
&
VITÆ
PROFESSORVM
ACADEMIÆ
GRONINGÆ
&
OMLANDIÆ;
Cum historiolâ fundationis ejusdem Acad:
Apud IOHANEM NICOLAI
GRONINGÆ
1654

43577.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Ad Lectorem

CANDIDUM EDITOR.

QUod aggredimur, nec novi exempli, nec nullius in publicum commodi eſſe, agniturum te confidimus, quiſquis non planè ab his ſacris abhorrens, vel tantillum cum Muſis Gratiiſque colis commercium. Iiluſtrium in literas Mæcenatum favor, atque ad propagandam clarorum ingeniorum voce publicâ earum æternitatem, munificentia, in condendis Virtutis, Pietatis, Bonarumque literarum ſtudijs dicatis φροντιστηρίοις ACADEMIIS, fovendiſque Viris Doctis, plauſum eum juſtæque laudis premium meretur, ſuoque ſibi jure depoſcit. Depoſcunt & Virorum Cl. ſeipſos publico impendentium, aliiſque lucendo conſumentium merita, ut ſicut Ipſi, vel tabulis viventibus benè natorum ingeniorum, vel chartis victuris, inſcripta præclara ſapientiæ omnigenæ monumenta ſeculo ſuo ac ſecuturis imputant, ſic ab iiſdem gratæ memoriæ redhoſtimentum, liberali commemoratione laborum virtutumque ipſorum reportent. Nec id tantum, ſed & ipſâ hac benè merentium gratâ deprædicatione, aliorum quoque provocatur ſtudium, accenditur æmulatio, ut parilem ſibi gloriam à poſteritate paribus artibus, virtutibus, meritis, conciliare contendant. Habet enim acerrimos in animis excelſis ad virtutem ſtimulos, eorum qui cum laude vixerunt, per exemplum, quaſi per ſpeculum vivum atque ardens propoſitum, accenſa æmulatio. Quam vim cum ipſa nuda recitatio ac recordatio factorum præclarorum in animis generoſis habere ſoleat, tum longè eam & vehementiorem & velut occulta quâdam vi penetrantiorem, experimur, ſi non tantum animarum magnarum ſimulacra oculis mentis, ſed & corporum, quibus eæ domicilijs dum in terris verſarentur uſæ, imagines, velut ſpirantes, oculis corporeis detur intueri. Ea igitur, cum ſeculo noſtro (quod ut multarum aliarum artium, ſic cœli artificis gloriâ priſcis omnibus præripit palmam) obtigerit felicitas, non erubuimus, ut honeſtis Viris quibuſvis, quos inter verſari nobis contingit, ingenuum & erectum vultum præſentibus oſtendimus, ſic abſentibus, ſi quibus forté eas intueri volupe ſit, noſtras anteceſſorumque noſtrorum, præter vitæ interioris delineationem, cælatas faciei effigies exhibere. Produximus autem eo quemque ordine, quo in Academiam quiſque fuit introductus, quæ ordinis ratio ſimpliciſſima viſa, omniſque ambitionis expers, ſimul etiam continu-

continuationi, citra præcedentium innovationem aptior, ſi, quod ſperamus & vovemus, Athenas noſtras Gryneas aliquando illuſtriores, pluribuſque imaginibus nobilitatas reſurgere, caputque altius efferre, obtigerit. Adjunximus Doctoribus Academicis comites, aut potius duces præfecimus literatæ gloriæ Groninganæ Triumviros WESSELUM, AGRICOLAM, PRÆDINIUM, *omnes, meritos quod uni ſeculum ſuum tribuit elogium, ut* LUMINA MUNDI *celebrentur. Ab eorum igitur cæterorumque anteceſſorum noſtrorum, qui culmen gloriæ feliciter contigerunt, jubare, nobis aliquid ſplendoris fænerari fas fuerit, ſurgentibus, ſit fas ita loqui, ſtellis minoribus, donec & ipſæ, diſcuſſis quæ circa horizontem officere ſolent nebulis, ſcientiæ virtutumque petitum faſtigium & quaſi zenith adeptæ, illuſtrioris famæ radios, longiùs latiùſque diffundant. Qui bonus es favebis, & quæ præclara tibi proponi exempla agnoſces, æmulanda; quæ mediocria, non deſpicienda cenſebis: qui malus es ringaris licet, mordeas, vellices, & quantumlibet cum his larvis noſtris lucteris, dum nec in vitâ bonorum virorum cui dentem Theoninum offenſus ſolido imprimere, nec in honeſtâ famâ, quod tetro tuo halitu queas obſcurare, reperias. Vale Candide Lector; & tu quoque Niger ſi potes: at vos Muſæ Chariteſque Myſtis alumniſque veſtris baccare frontem Cingite, ne noceat Doctis mala lingua Boniſque.*

NAT-

NATALES ACADEMIÆ, Illuſtrium ac Potentum GRONINGÆ ET OMLANDIÆ ORDINUM

Auſpiciis erectæ, in Urbe Groningâ, prout ſtylo Viri Cl. Dn. Ubbonis Emmij, primi ejuſdem Rectoris, re recenti accuratè conſignati & deſcripti, in archivis Academicis inveniuntur.

QUanti ſit aut eſſe in hominum Societate debeat eruditio, compendio ſummus Philoſophus *Ariſtoteles* oſtendit, cùm rogatus, quid exiſtimaret inter eruditum & ineruditum intereſſe, reſpondit, quod intereſt inter vivum & mortuum: Et lepidè, ut ſolet, Ariſtippus, cum ex eo quæreretur ab aliquo, qui de educando filio erat ſollicitus, quid profuturum filio putaret, ſi in bonis literis erudiretur, dixit, hoc ſaltem, ſi nihil aliud, ne in theatro ſederet lapis ſuper lapidem. Hoc nimirum ſignificare voluêre SapientiſſimiViri, nihil ſublimius, nihil præſtantius in homine eſſe illuſtri magnarum & bonarum rerum ſcientiâ. Quemadmodum enim mens ſupremum in homine eſt, & id quo homo propriè homo eſt, ita mentis actum præcipuum eſſe cognitionem, cognitionis verò penum quàm copioſiſſimè inſtruere eruditionem, per quam fiat, ut penè in infinitum differat cognitio eruditi ab ea quæ eſt in inerudito, non ſolum copiâ ipsâ, ſed etiam certitudine & præſtantiâ: atque ita ſanè fieri, ut magis vivere eâ parte, quâ propriè homo eſt, imò quaſi homo magis eſſe eruditus quam ineruditus videri queat. Atque hæc adeo cauſa eſt, cur non omninò falſum dixiſſe cenſeri poſſit, qui dixit, tantum ferè diſcrimen aut intervallum eſſe inter illiteratum & literis excultum, quantum eſt inter pecudem & hominem illiteratum. Præterea res ipſa docet, eos qui literas bonas benè diſcunt, non ſolum ſcientiâ locupletari, verum etiam humaniores, manſuetiores, meliores fieri. Nam

--------- *didiciſſe fideliter artes*

Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Quapropter ubi literarum bonarum ſtudia vigent, quę nihil aliud ſunt, quam cultura quædam animi ac politura, quâ velut ſentes eruncantur & ignorantiæ pariter & feritatis ærugo abſtergitur, illic neceſſum eſt, ut in ſocietate civili non ſolum qui præſunt & regunt, ſed etiam qui ſubſunt & reguntur, ut plurimum fiant commodiores & meliores. Quod ſi bonis literis vera etiam & ſincera religio accedat, exiſtunt fructus quoque multò uberiores. Etenim quemadmodum omnis humana ſapientia & cognitio, ſi ſine vera Dei notitia ſit, quæ religioni veræ eſt inſita, non ſolum claudicat, ſed procul quoque à ſcopo aberrat, ſic practicus ille habitus bonus, naturæ viribus nixus, qui ex ſtudio humaniorum & elegantiorum literarum exiſtit, ſi pietatem veram, quæ ex religione profluit, adjunctam non habeat, ſimulachrum potius ejus rei eſt, cujus nomen induit, quam res ipſa. Et religio vera non tantum format homines, & quidem efficaciùs quam bonæ literæ, ut in vita hac civili & repub. terrena cæteris ſint aptiores ac meliores, verum etiam vocat eos & format εἰς πολίτευμα τὸ ἐν οὐρανοῖς, ut loquitur Apoſtolus: quod & perpetuum conſtanſque eſt & ſummè beatum: cujus participes qui non fiunt, hi verè ſunt miſerrimi, ut melius ipſis fuerit ne natos quidem eſſe. Quæ omnia conſiderantes Primores Ordinum Provinciæ hujus Groningæ & Omlandiæ, qui reliquos ſapientiâ & pietate anteeunt, jamdudum meditati fuere literarum bonarum & piarum ſtudia hoc quoque loco augere, & Scholæ triviali, quam vocant, ſuperiorem, quam Academiam appellant, addere. Sed quod optima voluntas ferebat, id facultas adhuc arcta ob belli graviſſimi impendia & creperos ac formidabiles armorum ſtrepitus impediebat. Tandem verò belli feriis anno M DC IX confectis, & Repub. ſumptuum parte levatâ, iidem illi Proceres, ſeriò jam animis huc verſis, id effectum dedere, ut anno M DC XII, vergente menſe Novembri, de inſtituendo hic illuſtri Gymnaſio, quod Collegium Facultatum tunc indigitabatur, in quo Profeſſores quinque (tot enim tunc initijs ſufficere putabantur) Theologiam, Juriſprudentiam, Medicinam, Hiſtorias, Philoſophiam, Matheſin docerent, deq; Curatoribus Gymnaſij quatuor, ceu inſtituti hujus Ἐφόροις, duobus ex civitate, totidem ex agro creandis ex voluntate Nobiliſſimorum Ampliſſimorumq; Provinciæ hujus Ordinum Comitia agentium decretum ſcriberetur; Deſignatique eodem decreto VIII-viri, qui totius hujus negocij primas curas ſuſciperent, ea quæ ad munus tum Profeſſorum tum Curatorum pertinerent, delinearent, commodum Gymnaſio locum deſpicerent, ædificijs ſtruendis adornandiſque, ac Profeſſoribus idoneis vocandis animos intenderent, & quæ alia hujus generis providerent: expreſſim verò de ſuſcipiendâ Hiſtoriarum & Μαθέσεως profeſſione mentem & voluntatem Ubbonis Emmij præſentis ipſi explorarent,

de reliquis

de reliquis aliundè vocandis ad Collegium Deputatorum referrent, ut per eos vocatio Ordinum nomine expediretur. Octoviri nominati hi, Joachimus Altingius Conſul, Egricus Eggæus Phœbens, D. Hieronymus Iſebrandus Senatores, ex urbe, Joannes Rengers Poſtanus, Joannes Lewius, Bocco Awama ex agro, & cum his utriuſque partis Syndici D. Pancratius Caſtricomius & D. Scato Gockinga. Sed ab his priuſquam quidquam fere conficeretur, exſpiravit ille annus & initium ſequentis. Ac ob mutationem Magiſtratuum decedentibus ex VIII-virorum collegio Egrico Eggæo, D. Hieronymo Iſebrando, Boccone Awama, Rodolpus Battingius, D. Eizo Tiarda è Senatu oppidano, Hiddo Jenſema ex agrariis, menſe Februario ſunt ſurrogati. Tùm ſeriò cura ſuſcepta, plurium virorum clarorum per Belgium, Germaniam, Galliam, Britanniam vocatio, verum ſine profectu, tentata. Cum Ubbone Emmio actum à duobus Syndicis paulo ante Pentecoſten, & die quinto Septembris à Conſule Joachimo Altingio & Joanne Rengers ex numero VIII-virûm Lamberto Hornkenio & Boccone Awama ex collegio Deputatorum, cum eodem tranſactum. Contractus die XXIII. Octobris in Comitiis ab ipſis Ordinibus confirmatus. Anno M DCXIV. cùm rurſum ex more per menſem Februarium Magiſtratibus munere decedentibus ſucceſſores eſſent dati, ex oppidanâ parte Fridericus Coenders Conſul, Lambertus Hornkens, Goſwinus Schaffer Senatores, cum D. Pancratio Caſtricomio Syndico loco trium priorum collegio VIII-virorum ſunt adſcripti: à parte agrariâ ſolus Hiddo Jenſema cum Boccone Awama commutatus, cæteri ejuſdem partis in procuratione relicti. Horum ſtudio & diligentiâ trium auditoriorum cum porticu & domiciliorum quorundam in uſum Profeſſorum ſtructura abſoluta: præter Ubbonem Emmium Profeſſores alij numero quinque (nam de augendo eorum numero jam tum in Comitiis decretum fuerat) vocati, D. Hermannus Ravensbergerus Theologus, D. Cornelius Pynackerus Juriſconſultus, D. Nicolaus Mulerius Medicus, D. Joannes Epinus Huninga, itidem Juriſconſultus, Dn. Guilhelmus Macdowellus Scotus Philoſophus: quorum D. Ravenſpergerus Theologiam in publico Gymnaſio Steinfurtenſi, D. Pynackerus Juriſprudentiam in celeberrimâ Academiâ Lugdunenſi apud Batavos cum ſummâ laude docebant: D. Mulerius in Rectura Scholæ Leowerdianæ, Dn. Ubbo Emmius ſimiliter in Rectura Scholæ Groninganæ erant, Dn. Macdowellus in explicanda Philoſophia Ariſtotelica apud Sanctandreanos in Scotia feliciter verſatus hactenus fuerat, à Clariſſimo Philoſopho Bruſſio Scoto commendatus. Cum D. Mulerio die XXIII. Martij, cum D. Huninga XIV. Maij, cum D. Ravenſpergero XXVIII. Maij, cum Dn. Macdowello etiam, & D. Pynackero paulo poſt convenit, & res confecta eſt. Theologiæ ordinaria

dinaria Profeſſio D. Ravenſpergero, Juriſprudentiæ D. Pinackero, Medicinæ & Matheſeôs D. Mulerio, Hiſtoriarum & Græcæ Linguæ Ubboni Emmio, Philoſophiæ Ethicæ D. Epino Huninga, Logicæ & Phyſicæ Metaphyſicæque D. Macdowello eſt commendata. D. Epino Huninga quoque Inſtitutionum juris explicatio extra ordinem attributa. Nam de duobus Profeſſoribus extraordinariis ſupra numerum ſex ordinariorum adſciſcendis, uti & de vocando D. Ravenſpergero, itemque D. Mulerio, & de Ariſtotelis placitis in Philoſophiâ ſequendis, & ut inter ſe de Profeſſione Matheſeôs & Linguæ Græcæ D. Mulerius & Ubbo Emmius compararent, in Comitiis hujus anni die XXI. Februarij fuerat decretum. Interea & Programma ab VIII-viris, nomine Nobiliſſimorum & Ampliſſimorum hujus Provinciæ Ordinum conceptum, typiſque excuſum, & non ſolum heic ſed paſſim celebribus in oppidis, quo miſſum fuit, ex eorum voluntate, publicis locis eſt affixum. Eo & conſilium ipſorum Ordinum, optimumque ſtudium ſummatim expoſitum, & tempus ſolennis introductionis, ut vocant, & faciendi laborum initij indicatum. Ejus velut ſanctionis fundamentalis Academię, aut Edicti perpetui, exemplar, hic exhibemus.

ORDINES GRONINGÆ ET OMLANDIÆ

LECTORI S.

Quanti ſemper fecerint literarum ſtudia ac eruditionem, quæ hinc exiſtit, optimi & ſapientiſſimi quiq; Principes & Rerumpubl. Gubernatores, ex multis eorū dictis & factis claret. Præfulget heic ALFONSUS *Hiſpanus,* ARAGONIÆ, SICILIÆ, SARDINIÆ, NEAPOLIS *Rex, ſui ſæculi Reges omnes ſapientiâ ſuperans, unde & Sapientis cognomen ei tributum. Is ipſe impenſè literis bonis deditus, quantum per graviſſima regnorum negocia licuit, & literatorum conſuetudine delectatus, cùm audiſſet aliquando aliquem ex Hiſpaniæ Regum numero dicere ſolitum, non decere generoſos ac nobiles viros literatos eſſe, & libros tractare, exclamavit commotus animo,* Vocem iſtam non Regis, ſed bovis ſibi videri. *Quin etiam perſanctè teſtatus eſt, ad ſe quod attineret,* malle ſe regna ſua, quæ multa haberet, perdere, quàm literas, quas permodicas ſciret, neſcire. *Et cum Ænea Sylvio cùm ſermocinaretur, dixit, literarum expertes Reges non multum diſſimiles eſſe aſinis coronatis. Ex omnibus autem Conſiliariis ſuis affirmare ſolebat, maximè ſe probare* mortuos, *ſapienter ſcriptos libros deſignans,*

deſignans, quos ſine metu, gratiâ, aſſentatione ſibi reſpondere, & conſilia ſuggerere dicebat. *Nec ſanè iners aut deſes Rex fuit* ALFONSUS, *umbrâ & otio gaudens, ſed negotiis maximis pace belloq; perpetuò occupatus, & utramque fortunam non ſemel expertus. In utraque verò fortuna eundem velut vultum retinens, quantâ eſſet ſapientiâ, virtute, conſtantiâ, animi moderatione, demonſtravit. Et tamen non deſunt etiam nunc homines, qui ſibi ſapere videntur, plaudentes inſcitiæ ſuæ, omnis literaturæ ipſi expertes, quos dictitare non pudet, literarum bonarum ſtudium inutile eſſe, & eruditionem in ſocietate civili pariter & Eccleſiaſticâ rem planè ſupervacaneam, omneſque, qui his ſe dant, tempus ac ſumptus malè perdere. At Nos longè aliter ſentientes, & hac in re cum ſapientiſſimo ac maximo Rege facientes, cùm duo militiæ genera ſint; exiſtimamus utriuſque diſciplinâ inſtructam Remp. eſſe oportere, ut ei benè ſit, armorum ſcilicet, & literarum; illâ, ne ab hoſte opprimatur, hac, ne inſcitiæ & barbariei ſuccumbens peſſum eat, arbitramurque neutrum genus bonis ac prudentibus gubernatoribus negligendum eſſe. Quam ob cauſam Nos etiam his belli feriis ad pacis artes curis Noſtris verſis, ut fortunam Patriæ verè Nobis cordi eſſe oſtenderemus, non ita nuper aliorum exemplis ſtimulati ſtatuimus heic apud Nos quoque literarum ſtudia, quæ alterius militiæ ſunt, magis & magis excitare, decrevimuſque eam in rem Scholam illuſtrem ſeu Academiam in Provinciæ hujus noſtræ Metropoli* GRONINGA *aperire. In eâ volumus tres ſuperiores quas dicunt Facultates*, Theologiam, Iuriſprudentiam, Medicinam, *dein Philoſophiæ partes omnes*, Logicam, Ethicam, Phyſicam, Hiſtorias, diſciplinas Mathematicas, Græcam Hebræamque linguam, *denique ea, quæ in aliis publicis Scholis, ſeu Academiis tradi ſolent, cum Diſputationum convenientium exercitiis, doceri publicè. Atque his docendis, regendiſque Diſputationibus Profeſſores doctrinâ inſignes, numero ſufficientes, liberalibus ſtipendiis ornatos, ac ad diligentiam in faciendo officio monitis & beneficiis excitatos, favente* DEO, *adhibebimus, erimuſque in eo toti, ne quid in hac parte inſtituto deſit. Iura quoque & Privilegia inſtituto idonea, & bono publico congrua docentibus pariter & diſcentibus tribuemus, ordinemq; omnibus in rebus commodum atque utilem dabimus. Id denique agemus ſeriò, ut levandis ſumptibus eorum, qui ſtudiorum cauſâ ſedem heic ponere volent, ratio hujuſmodi habeatur, ut in hoc beneficij ac liberalitatis genere jure ac meritò nemo à Nobis quicquam requiſiturus ſit ampliùs. In has res bonam eorum cenſuum partem, quos Majores Noſtri, homines liberales, pro modo rerum ſuarum, animo quidem bono & religioſo, ſed errorum tenebris implicito ac lapſante, in* ἀσκητήρια *Monaſtica quondam contulerunt, convertemus, atque in uſus impendemus longè meliores. Invitavit verò Nos, atque adeò incitavit ad capiendum hoc Eccleſiæ ſimul ac Reipub. con-*

ſilium utile, præter iſtam, quam monſtravimus ferendorum ſumptuum facultatem, loci quoque hujus ſingularis commoditas, qui Muſarum ſedi deſtinatus eſſe à naturâ videri poteſt. Nam & amœnitas ejus inſignis eſt, & aër purus ac ſalubris, & annona omnis generis uber ac facilis, & hoſpitiorum commodorum magna copia, & quæ alia iſtuc pertinent. Jam & in illius Noſtræ Scholæ uſum auditoria ædificiaque non parvo impendio his proximis menſibus inſtruximus, parataque habemus ea urbis regione, quæ huic rei, Muſarum ἀσκητηρίῳ, *ſive literarum officinæ eſt omnium aptiſſima, ſejuncta ab hominum & negociorum ſtrepitu, peramplo & egregio templo cohærens. Hæc conſilij & inſtituti noſtri ſumma. Succeſſum à* DEO *Opt. Max. cujus gloriæ cum bono publico ſervire potiſſimum Nobis mens eſt, ſperamus. Et Nos à Nobis pro viribus noſtris nihil deeſſe patiemur.* GRONINGÆ, *prid. Eidus Julij Juliani, Anno Chriſti* M. DC. XIV.

Initium exercitiorum & laborum deſtinatur fini dierum Canicularium ad diem ſcilicet X. Kal. Septemb. Juliani, adſpirante Chriſto θεανθρώπῳ.

Mandato Ordinum ſubſcripſit

W. MEYNARDI Secret.

POſtquam igitur dies x. Kal. VIIbreis ſive XXIII Auguſti, huic rei deſtinatus feliciter illuxiſſet, ACADEMIA (ſic enim appellari Decreto publico placuit) ab VIII-viris ſex, qui ſoli præſentes in urbe erant, duobus agrariorum Lewio & Gockinga peregrè profectis, & Deputatorum provinciæ hujus Collegio, ritu ſolenni, hoc ordine ac modo eſt introducta. Primum concio ſacra in templo Martiniano conveniens huic rei habita à Dn. Arnoldo Martini Vthuſio, Profeſſoribus ſex, quos diximus, conſpicuo loco conſidentibus, finitaque concione cum precibus ad DEUM fuſis, ordine ex templo exeuntibus, circumfuſâ innumerâ hominum multitudine, vix ut Profeſſores progredi poſſent, neceſſumque haberent cùm progreſſi eſſent aliquouſque, à via recta deflectere. Dein poſt horæ dimidium VIII-viri qui aderant, cum Ordinum Deputatis ad locum ACADEMIÆ deſignatum venientes, ibique in atrio propinquo collecti Profeſſores eoſdem apud Collegam D. Mulerium in proxima vicinia congregatos, evocatoſque, ipſi præcedentes, bini & bini, ſubmotâ per miniſtros concurrentium hominum turbâ, per longam pergulam eodem ordine ſequentes in auditorium Theologicum, quia id cæteris amplius, introduxerunt. Tum ſedere juſſis in ſubſelliis editioribus altero in latere ædificij erectis (alterum enim latus ſimilibus in ſubſelliis ipſi Ordinum Deputati cum VIII-viris occupabant) magnâ parte Senatus oppidani, & multitudine

& multitudine virorum honoratorum, non ſolum hujus provinciæ, ſed & exterorum præſente & conſidente, auditorio toto hominum turbâ omnis generis referto, cæteris, qui ingredi non poterant, foris denſim ſtipatis, totius provinciæ nomine Ampliſſimus & Clariſſimus Conſultiſſimuſque Vir, *D.* Pancratius Caſtricomius civitatis Groninganæ Syndicus aſſurgens, & in cathedram ſe levans verba cœpit facere, & facundè laudato Academiarum inſtituto, ac *D*ominorum conſilio commemorato & commendato, cum gratia peroravit. Qui cum deſcendiſſet, intercinente interea varij generis dulciſſimâ Muſicâ, animoſque audientium demulcente, mox in eandem illam cathedram conſcendit Reverendus & Clariſſimus S. Theologiæ Doctor & Profeſſor Hermannus Ravenſpergerus, orationem ſimiliter habuit loco, tempori, reique quæ agebatur, quam maximè aptam, & verbis ſententiiſque inſigniter ornatam, ex qua ut ingenij & doctrinæ ſingularis, ſic etiam eloquentiæ laudem non vulgarem reportavit. Eâ cum appoſitis ad DEUM precibus pro felice naſcentis Academiæ ſucceſſu finitâ; ſuccinente rurſum, ſuaviterque modulante aliquandiu Muſicorum choro, finem quoque actio iſta habuit; cœtuſque frequentiſſimus eſt ſolutus. Ingruente verò veſperâ, ab Ordinum provinciæ Deputatis cœna cum lautitia data eſt VIII-viris & Profeſſoribus novis, & multis viris aliis honoratis, qui aut ſtudium, aut autoritatem, aut qualemcunque operam ſuam contulerunt ad nobile hoc inſtitutum literarium promovendum, aut alioqui Muſarum cultores erant: conviviumque hoc non jucundis minus ſermonibus & felicibus comprecationibus, quam cæteris quæ menſis & convivationibus ſolita ſunt, in multam uſque noctem, cum voluptate ac hilaritate extractum traductumque fuit. Poſtridie, qui dies erat XXIIII Auguſti, cum circiter horam IX antemeridianam VIII-viri ſex, & cum his honoratiſſimi ac ornatiſſimi quique in idem auditorium rediſſent, adeſſentque etiam Profeſſores omnes, & maxima non ſolum Studioſorum ſed aliorum quoque hominum multitudo, quanta capi loco poterat, è Profeſſorum numero Nobiliſſ. & Eruditiſſimus Vir, D. Joannes Huninga, in eadem conſiſtens cathedra orationem exorſus eſt de Friſiorum omnium, imprimis verò de civitatis hujus & agri vicini laudibus, eamque inoffenſo curſu cum voluptate auditorum, ad finem perduxit. Nec quidquam eo die publicè factum amplius. Sequenti die XXV. Auguſti, circiter eandem horam confluente rurſum eodem ingenti hominum doctorum multitudine, audiendi ſtudio excitata, totoque auditorio completo, Dn. Guilhelmus Macdowellus Scotus Philoſophiæ Profeſſor, in eundem illum locum cum conſcendiſſet, copioſè & ornatè de Philoſophia diſſeruit, ejuſque præſtantiam ac utilitatem ſummam velut evolutam poſuit ob oculos, ſimulque Philoſophorum Coryphæum facundâ oratione celebravit. Qui cum peroraſſet, cæteris digreſſis

digreſſis VIII-viri ijdem ſex, qui præſentes aderant, cum Profeſſoribus pauca primum locuti, dein ab his digreſſi, ac paulo poſt ad eoſdem ex condicto reverſi, Ubbonem Emmium, alia omnia exſpectantem, inopinataque re attonitum, onuſque cum honore nequicquam deprecantem, RECTOREM ACADEMIÆ primum ediderunt: eundemque tum ipſi, tum collegæ Profeſſores omnes polliciti benevolentiam ac opem ſuam, in adminiſtrando munere, bono eſſe animo juſſerunt. Hæc Academiæ hujus γένεσις, hæc γενέθλια fuere. Poſtridie, qui erat XXVI Auguſti, Clariſſimus D. Pynackerus & Doctiſſ. Guilhelmus Macdowellus, ad conſtituendas domi res, & apparandam migrationem, hic Scotiam, ille Hollandiam repetivere. Rev. & Cl. D. Ravenſpergerus poſt eos paulisper hic moratus eodem die, quo iſti diſceſſerunt, Chriſto auſpice initium faciens prælectionum ſuarum, hæc Chriſti apud Joannem cap. XIIII. verba, EGO SUM VIA & VERITAS & VITA, eruditè enarravit, velut Chriſtianæ fidei compendium: Et huic enarrationi adjecit explicationem regulæ Apoſtolicæ, ad Titum cap. II. ut TEMPERANTER & JUSTE & PIE vivamus in hoc ſeculo, tanquam brevis ſummæ Chriſtianorum morum. Simul verò diſputandi cauſâ Theſes de Religione generatim & de Religione Chriſtiana ſpeciatim typis excuſas publicavit, Diſputationique de ijs in auditorio Theologico præſedit die XXVII Auguſti, feriâ VII. Et paulo poſt ipſe quoque eundem in finem ad ſuos Steinfurtum redijt. Cæteri tres Profeſſores, qui ſedes hic habebant, poſt illorum abitum, ſuos etiam labores, cum bono DEO ſunt auſpicati. Et hi dum demandatas ſibi partes obeunt, interea & illi, qui ad ſuos recurrerant, expeditis rebus domeſticis, huc alij poſt alios ſe retulerunt, ſimiliterque laboribus muneris ſui, ſine mora ſe dederunt. Denique initia hæc talia fuere, ut de ſucceſſu ulteriore, cum tempore optima ex his ſpes conciperetur. Sed Academia informis adhuc ſine Legibus erat, propterea quod ſine Comitiis Ordinum totius Provinciæ, quæ ſine magnis cauſis non coëunt, illæ quamquam ab VIII-viris jam conceptæ, tamen ſanciri ac ferri non poſſent. Comitiis verò tandem, poſcentibus Provinciæ rebus, vergente menſe Februario, anni M DC XV convocatis, aliiſque quæ agenda erant, aut agitatis aut expeditis, non pauca etiam ad Academiam pertinentia, pridie Kalend. Martij fuere decreta. Acta ſcilicet VIII-virûm confirmata: ex VIII-viris quatuor delecti, bini & bini ex urbe agroque, qui, finito jam VIII-virûm munere, velut Ἔφοροι Academiæ eſſent, quibus Curatorum nomen datum: deſignati in hanc rem ex oppidanis Dn. Fridericus Coenders Conſul, Goſwinus Schaffer Senator, ex agrarijs, Dn. Joannes Rengers Poſtanus, Scato Gockinga D. Syndicus, quorum munus duraret per annum, ijſdemque muneris leges præſcriptæ. Statutum quoque de menſâ publicâ inſtituendâ

bono Studioſorum, quam Burſam vocant, in qua XL Juvenes (qui numerus poſt in favorem exulum Germaniæ ad LX auctus) ſtudiis hîc incumbentes alerentur honeſtè ac mundè, cibo potuque abundè ſufficiente, precij plus mediâ parte, ad ſublevandos Studioſorum, eâ Dn. munificentiâ uti frui volentium, ſumptus Republicâ præſtante. Et huic quoque inſtituto ſanè laudatiſſimo, quod Liberalitati ſingulari Ordinum & Beneficentiæ in bonas literas acceptum ferendum, Ordo Legesque datę & Oeconomus conſtitutus, domusque perampla in hunc uſum conducta. Ad hæc Peculium annuum ex Cenſibus monaſticis decretum Academiæ, unde tum Rectori Magnifico pro moleſtiis & laboribus muneris ipſius, ut & Secretario Bibliothecarioque ſalarium, tum Bibliothecæ Academicæ (cui ut & Anatomico theatro, in parte fani Franciſcani, quod Academicæ ſedi cohæret, locus deſignatus, & de utroque loco adornando rebus idoneis mandatum Curatoribus datum) augendæ, aliisque neceſſariis expenſis, ſumptus ſuppeterent. Conſtitutus & Pedellus Academiæ Rectoris Profeſſorumque miniſter, illique aſsignatum ſtipendium. Typographo quoque Academicæ ordinario non annuum tantum honorarium, ſed in ſingulas pręterea Diſputationes pro Theſibus excudendis, ad minuendas ſtudioſis expenſas præmium ex publico ſtatutum; hac additâ lege, ut ipſe viciſſim omnium librorum & theſeων, quos excudet, exemplaria bina Bibliothecæ Academicæ inferat: de Sceptro quoque Academico adornando & in ſolennibus actionibus Rectori Magnifico à Pedello præferendo, unaque de Sigillo, ſignandis actis, teſtimoniis, literis, decretum. Imprimis verò Academiæ Leges, jam ante ab VIII-Viris conceptæ, ac in Ordinum conſeſſu recitatæ, ſanctione ſolenni probatæ. Comitiis finitis Curatores Quatuorviri, Profeſſores omnes, die VI Martij, ad horam VIII matutinam, in Curiâ Academicâ ſibi adeſſe juſſerunt. Illîc expoſitâ breviter à Conſule Frederico Coenders conventus cauſâ & paucis aliis in colloquio reciproco præmiſſis, à Syndico Scatone Gockinga Doctore, Leges in Comitiis ſancitæ clarâ voce ex ſcripto recitatæ ſunt, quarum aliæ ad ipſos Profeſſores pertinebant, alię ad Studioſos ipſorum Diſcipulos aut Auditores, aliæ ad utroſque; & cùm ad calcem perductâ recitatione modeſtè quererentur Profeſſores, inconſultis ſe Leges eas eſſe conceptas, ac oſtenderent pari modeſtiâ, eſſe nonnulla quæ in iis requirerent, eorumq; aut interpretationem commodam, aut emendationem rogarent, atq; exempli cauſâ, unum atq; alterum ſtatim protuliſſe in medium, Curatores, cum non ſine ratione ea dici intelligerent, quanquã teſtarentur, ſibi in iis quæ publicâ authoritate & poteſtate Ordinum ſancita eſſent, mutare nihil licere, tamen examinandi diligentiùs omnia, & quæ correctione opus habere putarent, in chartam conferendi tempus in craſtinum tribuerunt. Simul verò ex voluntate Ordinum

verba faciente Conſule, D. Johannem Epinum Huningam hactenus extraordinarium juris profeſſorem, aucto honore, ordinarium declararunt. Craſtino, horâ eâdem, eodem loco, cum omnes rurſum adeſſent pręter Conſulem, de omnibus quæ notata à Profeſſoribus erant, colloquio placido inſtituto, & rationibus hinc inde benè expenſis, cum animadverterent denuo Curatores, ab æquo & vero non abhorrere pleraque, de mutatione teſtati idem quod pridie, hoc quod poſſent promiſêre, ſe de cunctis ad Ordines proximis Comitijs mox à Paſchatos eſſe relaturos, & benevolentiâ ſuâ æquo & bono non defuturos: quibuſdam etiam inoleſcentibus vitijs remedia, per edictum, maturè adhibituros: denique de omnibus benè ſperare Profeſſores juſſerunt. A Rectore verò poſtularunt, ut edicto publicè propoſito, Studioſos omnes in diem perendinum ad horam IX, in auditorio Theologico, audiendis Academiæ legibus, ab ipſis Ordinum nomine promulgandis, adeſſe juberet. Quo poſtridie à Rectore facto, convenêre Studioſi frequentes ad tempus dictum, quod fuit die IX Martij, feria V. adfuereque ſimul cum Profeſſoribus Quatuorviri Curatores, & pariter magnus honeſtiſſimorum & ornatiſſimorum hominum numerus, vix ut omnibus capiendis auditorium ſufficeret. Cumque conſediſſent omnes, qui ſedere poterant, è Curatorum collegio, Goſwinus Schaffer Senator, cathedrâ occupatâ, ſilentioque facto, affatus univerſos de Legum dignitate, utilitate, neceſſitate in ſocietate humanâ quædam diſſeruit in genere: tum ad rem præſentem accedens, expoſitis, quæ in mandatis habebat, de Ordinum optimâ voluntate ac beneficentiâ in rem literariam, atque imprimis in ſtudia ſinceræ Pietatis, ipſas Leges clarâ & diſtinctâ voce, è chartâ cœpit recitare, nec ante deſiit, quàm ad calcem perveniſſet. Recitatione abſolutâ obſervationem & obſequium earundem Legum breviſſimè commendavit iis ad quos pertinebant. Cum his actio hæc finita, cœtuſque ſolutus. Die proximo feriâ VI Profeſſores in Curia ſua congregati per ſuffragia ſecreta, duos è medio ſui deſignarunt, qui Rectori aſſiderent in judicio & rebus aliis agendis, uſque in proximum Academię natalem diem ſcil. XXIII Auguſti anni hujus fluentis, D. Hermannum Ravenſpergerum & D. Cornelium Pynackerum: ſimiliter Secretarium Academiæ crearunt ad idem tempus eo munere functurum, D. Johannem Huningam. Et rurſum poſtridie feriâ VII ex decreto Senatus Academici, à Rectore per publicum πρόγραμμα moniti ac juſſi ſunt Studioſi omnes, qui accenſeri Academiæ huic cuperent, ut die XIII & XIV Martij, tempore pomeridiano ab hora II in IV alij poſt alios in Curia Academiæ ſe ſiſterent Rectori, & nomina ſua apud eum profiterentur. Eique programmati mos geſtus, atque ita die primo huic rei conſtituto Studioſi XXVII, porroque ſequentibus diebus ſubinde alij aliique plures, nomina ſua Academiæ novæ dedêre.

Tempus

Tempus natale hujus Academiæ in varijs Epochis notatum.

ACademia ſolenni ritu introducta eſt, quod tempus ejus natale cenſemus, Anno æræ Chriſtianæ vulgaris, milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, die x. Kal. Septemb. prid. Bartholomæi, feriâ tertiâ.

Anno Periodi Julianæ ſexies milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſeptimo, cyclo ſolis XXVII, Lunæ XIX, indictione XII.

Anno Epochæ Conſtantinopolitanę ſepties milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo.

Anno Judaico quinquies milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto, menſis Elul die XXVIII.

Anno ſecundo Olympiadis quingenteſimę nonageſimę octavæ.

Anno Nabonaſſari bis milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio, menſis Paophi die IX.

Anno à morte Alexandri Magni milleſimo nongenteſimo trigeſimo nono, menſis ejuſdem Paophi die IX.

Anno Armeniorum milleſimo ſexageſimo tertio, menſis Nawaſari die XI.

Anno HEGIRÆ Mahumedicæ milleſimo viceſimo tertio, menſis Regiatu die XXIX.

Anno Perſarum nongenteſimo octuageſimo tertio, menſis Behemen die XIV.

Sole verſante in ſigno Virginis, Luna in Leone, Saturno in Ariete, Jove in Libra cum Mercurio, Marte in Geminis, Venere in Cancro.

Eo tempore Profeſſores ordinarij deſignati introducebantur ſex, bini & bini euntes hoc ordine.

Ubbo Emmius Hiſtoriarum & Grecæ Linguæ Profeſſor.
Hermannus Ravenſpergerus S. Theologiæ Doctor & Profeſſor.

Cornelius Pynacker J. U. Doctor & Profeſſor.
Nicolaus Mulerius Medicinæ Doctor, ejuſdemque Facultatis & Mathematices Profeſſor.

Joannes Huninga J. U. Doctor, Philoſophiæ Ethicæ Profeſſor ordinarius; & Inſtitutionum Juris Profeſſor extraordinarius.
Guilhelmus Macdowellus Scotus Philoſophiæ Logicæ, Phyſicæ, Metaphyſicæ Profeſſor ordinarius.

Horum igitur, cæterorumque qui in locum demortuorum ſucceſſerunt, hiſtoriam vitæ hic exhibebimus, præmiſſis tamen, ut polliciti ſumus III-viris literarię gloriæ Groningenſium. Ex ijs primus repræſentatur, utpote antiquior, WESSELUS GRONINGENSIS.

WESSELUS GRONINGENSIS;

EO enim & ſuo & Patriæ nomine frequentiſſimè doctis ore ſcriptoque uſurpatur, diverſis aliàs & nominibus inſignitus, & elogijs celebratus. In Chronici Urſpergenſis Paralipomenis *Magiſter Joannes Weſſelus Groningenſis* nominatur. In libro memoriali templi Groningani quo ſepultus *Weſſelus Hermanni*, Pelantino (qui ad annos plures fuit Archiater Davidis Burgundi Epiſcopi Ultrajectini) *Weſſelus Goſvoert*, Alberto Hardenbergio *Goeſvort*, Geldenhaurio *Gansfortius* vocatur. Rodolphus Agricola in epiſtolis ad Reuchlinum, alijque, *Baſilium* vel Baſilium Phriſium cum indigitant. Quarum appellationum diverſitas, Friſicorum nominum non ignaro, facilè agnoſcetur, quo fonte promanârit. Nempè Joannis nomen ei proprium ex ſacro Baptiſmate videtur, Hermanni à patris, Weſſeli ab avi nominibus adſcitum, quod poſtremum in Græcia, (ut vulgo creditur) aut potius ſupra ſeculum Græcorum linguâ imbutus, ad ejus ſonum vel ipſe inflexit, vel detortum ab alijs admiſit, ut Baſilius diceretur. Hardenbergius pro Weſſelo Baſilium dictum ait, quod elegantiorum hominum auribus Weſſeli nomen nimis durum & veluti barbarum videretur: vel quod alterum quodammodo Baſilium magnum judicarent; vel quod Beſſarion Cardinalis Græcus, quo ibi amiciſſimo uſus, ſuum B per noſtrum B quam V exprimere maluerit, atque pro Weſſelo Bæſſelum ac mox Baſilium cœperit vocare. Quamvis vix videatur veriſimile aut in Græcia unquam fuiſſe Weſſelum, aut in ea familiariter uſum fuiſſe Beſſarione: cùm enim hic teſte Jovio jam anno 1434. in Italia vixerit, atque anno 1439. ab Eugenio Papa creatus ſit Cardinalis, debuerit Weſſelus ante annum xv. ætatis in Græciam ad Beſſarionem abiiſſe: quod à vero abhorret. *Goſvoerti* autem ſeu *Goeſeforti* aut *Ganſefortij* cognomen, dialecto illud Weſtphalicâ, hoc Germanicâ anſerum vadum ſonans (Weſtphalis enim Goos vel Goes eſt, quæ Germanis olim teſte Plinio 10. 22. hodieque Ganſa) ſuſpicari liceat inde ei obveniſſe, quod majores fortè ex vicina Weſtphalia (ut multæ aliæ honeſtæ hujus Urbis familię) huc commigrâſſent, quum illud nomen villæ non procul Harena, hodieque maneat. Cæteræ appellationes Patriam teſtentur. Non minus autem, quam nomine vel cognomine proprio, inter doctos inclaruit reportatis ex eruditione ingènioque elogijs, quibus ab amicis quidem LUX MUNDI, quod tenebras ſeculi barbari eruditionis lumine diſcuteret, à malevolis aut invidis MAGISTER CONTRADICTIONUM, quod erroribus ſuperſtitionibuſque Papalibus, quæ doctrinam ceremoniaſque Eccleſiæ inundarent, maſculè contradiceret, eaque rationibus contra famoſiſſimos doctores oppugnaret, indigitabatur. Natus fuit Groningæ in platea regia, è regione viæ Carolinę, circa annum Domini 1400. ut Hardenbergius, vel



Quis nunc WESSELI *frontem: quis lumina ſculpat?*
Talia ſed tanti finge fuiſſe viri.
Mors habet atra ſuum quicquid mortale creatum;
Sola ſed æternum mens pia vivit ovans.
Mentem ſancta Viri vivam monumenta figurant:
Mentem, non mentum, reſpice ſiquis amas.

GERH. GANSEFOORT.

gius, vel potius accuratiore temporis ſupputatione, circa annum 1419. ſiquidem anno 1489. ſeptuagenarius obijt, ut poſt videbimus. Patrem habuit honeſtum civem, artopæum: mater aliqua cognatione attingebat familiam Clantorum, quo factum eſt ut mortuis parentibus, eo admodum puero, cum duabus ſororibus, relicto, mox in tutelam acceptaretur ab honeſtiſſima matrona Oda Clantes, cui unicus erat filius, cui Weſſelum adjunxit, ut unà rudimentis Grammaticis imbuerentur, ac unâ eâdemque opera pietatem imbiberent. Weſſelus, quanquam oculis eſſet nonnihil luſcitioſis & altero pedis talo non nihil diſtorto, ingenio tamen acerrimo erat, cui indefatigabile ſtudium, ſupra omnes coætaneos ſuos adjunxit: ita ut bonis & ſtudioſis pueris honori, improbis oneri eſſet. Itaque factum eſt ut Oda vel Odilia Clantes illum Swollas cum filio ſuo amandaret: nam Schola illic videbatur tunc aliquanto cultior quàm Groningæ; maximè in ædibus Fratrum. Statuerat quidem Weſſelus in proximo Cœnobio, quod montem S. Agnetis vocabant, vitam monaſticam amplecti: ſed quia videbatur ſibi quædam nimium ſuperſtitioſa inibi animadvertere, cunctabundus omnia egit, DEO haut dubiè aliò illum dirigente. Sic cucullum Monaſticum ſive Franciſcanorum ſive alius ordinis nunquam induit, etſi ſcholaſticum non averſabatur, ut tunc moris erat omnibus, qui in ædibus fratrum habitabant: neque quiſquam recipiebatur, qui non tonderet verticem, & cucullum cum toga ferret. Quænam horum Fratrum fuerint incunabula haud abs re fuerit hic obiter exponere. Sic vero ſe res habet. Quum Gerardus de Groot, vulgo Magnus dictus, Canonicus Vltrajectinus & Aquiſgranenſis, vir ſupra ſeculum doctus, jacentes literas, in Belgio maximè excitare laboraret, inſtituit Collegia Fratrum, ſive Clericorum S. Hieronymi in communi viventium, in quæ quicunque recipiebantur, bonis literis tum imbuebantur, tum habitum Clericalem, ut vocant, tamdiu quam ibi morabantur, geſtare debebant, immunes ab eo onere, ſimulac Collegio exceſſiſſent. Accidit hoc circa annum 1384. A quo tempore ſequentia Collegia, hodie partim ſalva, partim veſtigia adhuc exhibentia, in Belgio excitata fuerunt. *Swollenſe*, *Ultrajectenſe*, *Groningenſe*, *& Goudanum*, apud Batavos, Trajectinos, & Friſios: *Bruxellenſe*, *Silvæducenſe*, *& Machlinienſe*, apud Brabantos: *Gandenſe*, *Gerardimontenſe*, *& Winoxbergenſe*, apud Flandros: *Noviomagenſe* in Geldria: *Embricenſe & Veſalienſe* in Clivia. Cum autem diutius ibi Weſſelus hęreret, cepit publicè adoleſcentiam inſtituere & ſeſe exercere eâdem operâ. Eumque tum audiſſe potuit Hermannus Torrentius Swollenſis, cui poſtea Groningæ ſumma cum Weſſelo familiaritas fuit, cui etiam Senex Weſſelus hortator fuit, ut Carmina Alexandri emendaret & Commentariis illuſtraret: quod fecit. Interim multos hac ratione commovit, & in ſe concitavit, adeo ut coactus fuerit Apologiam pro ſe ſcribere. Relictâ Swollâ

rectà progreſſus eſt Coloniam, ut ſtudia ſua abſolveret, receptuſque eſt in Collegium quod Burſam Laurentij vocant, eo quod à Magiſtro noſtro, Doctore Theologo, Laurentio Groningenſi fundatum ſit. In illo vero Collegio Weſſelus gnaviter ſtuduit, & tacitus omnia conſiderans & perpendens brevi tempore totum hoc genus doctrinæ, quod ibi tradebatur percepit, & addidit indefeſſa ſua ſtudia, non contentus triviali illa traditione; ſed quæſivit fontes, quantum omninò potuit pro tempore illo. Tandem cœpit liberiùs agere, multa quęrere, multa inveſtigare, opponere plurima ex Ariſtotele, Platone, Themiſtio & aliis, ita ut omnibus admirationi eſſet, multis etiam ſuſpectus. Semper ad Theologiam propendebat. Itaque poſteaquam in Artibus Magiſterij gradum conſecutus eſſet, mox ad Theologiam Scholaſticam ſe tranſtulit, quam facilè adſecutus eſt, ut ibi quidem tradebatur: nam ſolebat conqueri, nihil ſe illic audiviſſe præter Thomam Aquinatem & Albertum Magnum, quos ſi quis mediocriter diſcat, facilè inquit fit Magiſter noſter Colonienſis. Geldenhaurius refert magno & aſſiduo & vix credibili labore hoc eum adſecutum eſſe, ut non ſolum Theologicę Majeſtatis lauream mereretur, ſed etiam Iureconſultis & Medicis Doctoribus annumeraretur: adeoque ſummis in omnibus Facultatibus titulis fuit ornatus, ut vulgò quidem perhibetur. Mihi tamen vix veriſimile videtur. Si enim jam tum triplici laureâ inſignitus fuiſſet Weſſelus, quæ ratio fuerit, quod poſtea admiſſus non fuerit ab Heidelbergenſibus, nullam aliam ob cauſſam, quam quod titulo Doctoris deſtitueretur. Pro exaggeranda ergo Weſſeli viri incomparabilis eruditione hanc de tribus titulis fabulam, & plura alia, jactatam jam olim fuiſſe credo. Vt ut ſit tamen, Weſſelus ipſe his non contentus, omnem vetuſtatem diligentiſſimè ſcrutabatur, omnes quoque artes liberales & quidquid eſt alioquin artium liberali ingenio dignum, excolebat. Dedit ſe in ſocietatem illorum monachorum, apud quos veteres Bibliothecas videbat, & aliquos fratres ſtudioſos: ſaltem ut liber eſſet aditus ad libros bonos, tum Theologicos, tum aliarum Diſciplinarum. Itaque factum eſt ut vehementem in modum omnes Profeſſores, maximè Theologos, exerceret & vexaret, ſemper aliquid novi in Scholam adferens, quod barbaris in Artibus & Theologia inauditum eſſet. Cumque Platonicæ doctrinæ ut Divinioris & Chriſtianiſmo proximioris, ſummus admirator eſſet, acerbiùs interdum in Ariſtotelem invectus eſt, quàm teneræ Scholaſticorum Doctorum aures ferre poſſent. In diſputationibus Theologicis magnos titulos Doctorum contemnebat, ſolis Divinis literis firmiter adhærens. Quare ſiquis fortè inter diſputandum, ut fieri ſolet, ei objiceret, hoc dicit Doctor Sanctus; hoc Seraphicus etc. ipſe reſpondere ſolebat; Thomas fuit Doctor, quid tum poſtea? Et ego Doctor ſum. Thomas vix latinè intellexit, & unilinguis fuit. Ego trium principa-

lium linguarum mediocrem peritiam aſſecutus ſum. Thomas vix umbram Ariſtotelicam vidit: Ego Ariſtotelem Græcum in ipſa Græcia didici. Ferebantur ea tunc, ſed multi interim ringebantur & minabantur. Aſt Deus Eccleſię ſuæ, cui voluit aliquam lucem reſtituere, illum conſervabat. In Bibliothecis Benedictinorum (namque antiquiores illi habebant) reperit multa & exſcripſit indefatigabili ſtudio. Rhenum ſępè trajiciebat in Cœnobium Tuitienſe, ibique legebat Ruperti Abbatis opera, quæ valdè exoſculabatur. Dictitans ſubinde dolere ſe, quod ille vir, in quo Spiritus Chriſti fuerit, propter infelix ſeculum & ſuperſtitioſam profeſſionem tam multa neceſſaria ignoraverit. Excerpſerat multa ex libris illius quibus alia etiam tum addidit ex aliorum libris, poſtea & ſua non pauca addiderat: poſtremò omnes ſuas cogitationes eruditas & ſacras in illas rhapſodias congeſſerat, quæ Commentarij juſti facti ſunt demum, quos ſolebat ipſe vocare *Mare magnum.* Ex quo, vir pius & nobilis D. Gerhardus à Cloeſter Cœnobiarches in monte Agnetis, qui fuerat ex intimis diſcipulis & amicis Weſſeli, ſuâ ætate multa in ſuo Cœnobio Agnetano fuiſſe teſtatus erat Hardenbergio, ſed ea miſſa ad doctos quoſdam in Brabantiam aut Zelandiam, & ſic periiſſe. Quoniam vero Weſſelus faſſus fuit, ſe plurimum debuiſſe ſcriptis Ruperti Abbatis Tuitienſis, notetur hunc Rupertum fuiſſe Monachum Benedictinum, ac primo vixiſſe in cœnobio Benedictinorum Oosbroeckano propè Vltrajectum, ac poſtea tranſlatum Tuitium (municipium eſt ſitum è regione Coloniæ Agrippinæ, ac vulgo *Duytz* dicitur) creatum non ſolum fuiſſe Abbatem, ſed multa quoque exaraſſe volumina, in quibus plurima melioris ſenſus contineri obſervatum eſt à Flacio in Catalogo Teſtium Veritatis à pag. 469. ad pag. 474. Certè ipſe Bellarminus lib. 3. de Sacr. Euchar. cap. 11. eum illis accenſet, qui Tranſſubſtantiationi infeſti fuerunt. Redeundo ad Weſſelum, is jam dictis exercitiis Coloniæ adjungebat omnium ſcibilium rerum indagationem. Veniebant enim tunc paulatim ex Byzantio omnes Græcè periti, maximè Monachi Prædicatores, à quibus aliquam cognitionem ejus linguæ diſcebat, quod tunc noſtris hominibus inauditum ferè erat. Dicebat tamen, ſe nihil eximij ex illis potuiſſe percipere, ſed tantum, inquit, ejus linguæ didici, quod ſcioli quidam non potuerant me decipere in his quæ ad Græca Biblia attinebant. Poſtea in Græciam abiiſſe creditur; at ſi quis cogitet eo tempore non ſolùm literas in Græcia jacuiſſe, ſed totam quoque regionem bello arſiſſe, & hoc confictum fuiſſe cognoſcet. Ita de Petro de Aliaco quoque relatum eſt, quod Græcè exactè ſciret, per decennium in Græcia vixiſſe; quamvis certum ſit nunquam Italiâ exceſſiſſe. Increbuerat jam Weſſeli fama, & varia de ipſo judicia erant, & laborabat invidiâ apud quoſdam. Interea diſcebat etiam rudimenta Hebrææ Linguæ à Monachis

chis qui vixerant in tranſmarinis regionibus; ut ſolet hoc genus Mendicantium totum perrepere orbem, quod tamen Weſſelo profuit. Nam & Chaldæam & Arabicam didicit ab ipſis quantum licuit, & quantum ipſimet harum intelligebant: quæ omnia poſtea & Romæ, & Rhaguſij, & aliis celeberrimis locis expolivit. Sic quidem vulgò refertur, quamvis ego crediderim potius, Weſſelum ab ipſis Judeis, patrij idiomatis cultoribus diligentibus, Ebręam linguam didiciſſe: Monachos ipſos enim linguæ huic quam infeſtos jam olim fuiſſe Reuchlini fatum oſtendit. Accidit interea ut Palatinus Philippus quæreret in ſuam Academiam Heidelbergam celebres Profeſſores, quales Schola illa ut plurimum habuit; tunc etiam ſollicitatus eſt Weſſelus, ut illic profiteretur Theologiam. Sed hoc illi à Proceribus Scholæ non eſt permiſſum, eò quod titulum Theologi non haberet: quem cùm ille peteret, reſponſum illi eſt, non eſſe licitum per Canones, ut aliquis in Theologia promoveatur, niſi priùs initiatus ſit ſacris Pontificiis. Eam initiationem ipſe renuit. Rogatus, quare non ſaltem primam tonſuram adſumeret? dixit, ſe non metuere patibulum, quanto quidem tempore mentis maneret compos. Profectus tamen Heidelbergam in Artibus & Philoſophia cepit aliquid profiteri: non tamen pactus eſt de certo ſtipendio, ſed voluit facere experimentum & Scholæ, & ſui ipſius. Sub hoc tempus cepit Pariſiis oriri contentio inter Theologos Reales, Nominales, & Formales. Et videbantur Nominales & Formales plus aliquantum judicij & eruditionis adferre in publicum, atque Reales, quos pleroſque audiverat. Sectæ hæ Scolaſticæ potiſſimum Dialecticos diſtinguebant. Realium Ductore exiſtente Johanne Duns Scoto, Nominalium Gulielmo Occamo, Formalium vero authore incerto, hi ſiquidem ex Realibus oriundi, viſi fuerunt in quibuſdam ad Nominales accedere. Compoſitis itaque rebus ſuis reverſus eſt Coloniam, ubi acceptis literis teſtimonialibus de tempore & profectu ſtudiorum ſuorum profectus eſt Lovanium, ubi aliquamdiu audivit Theologos; & teſtabatur ſe ibi paulò plus eruditionis offendiſſe quàm Colonię; & contulit ſæpè cum Profeſſoribus; & de qualibet materia diſcriminatim pertinaciter diſputabat. Tandem Lutetiam pervenit, & audivit ibi ſingulos Profeſſores. Sed admirabatur cùm alios doctiſſimos viros, tùm maximè Doctorem Henricum Zommerum, & Nicolaum Trajectenſem, qui pręcipui tunc regnabant in ſecta Formalium. Et quidem Henricus à Zomeren natione Brabantus, itemque Decanus Antverpienſis, admodum familiaris erat Cardinali Beſſarioni. Cum his intrepidè contendebat Weſſelus, ut eos ad Reales, ſi poſſet, traduceret. Fatebatur enim, ſe tunc pleraque pro carnali jactantia tentâſſe: tam acris ſedebat animo vincendi cupiditas, etiamſi ſemper Veritatis fuerit imprimis ſtudioſus, tamen ſcintillæ illę divini Spiritus, veluti multis cineribus obrutæ,

nondum

nondum ſatis emicabant. Adjunxit ergo ſe Formalibus illis Profeſſoribus, donec tandem intelligeret, non minus in illa Secta opinionum & errorum eſſe,quàm inter Reales reliquerat. Itaq; utroque pede conceſſit in ſententiam Nominalium, quos reperit aliquantò puriores, aut ſaltem ſubtiliores. Ut ut erat, cùm viam tutiorem non inveniret, & quo magis ad ſimplicitatem Scripturæ & veterum Patrum accederet, permanſit in illa Nominalium Secta, & conſummatiſſimè abſolvit quidquid Scholæ in Sacris habebant eximii. Erant hęc ſub id tempus, quo Concilium Baſileenſe celebrabatur. Ipſe autem jam pervenerat propter celeberrimam famam & incredibilem eruditionem in omni genere diſciplinarum & artium in familiam Nicolai V. Pontificis Maximi, operâ Franciſci à Ruvere, Generalis miniſtri Fratrum Minorum, qui poſtea Papa creatus Sixtus IV. vocatus eſt, primusque fundamenta jecit celebratiſſimę illius Bibliothecæ, quæ à loco vulgo Vaticana vocatur. Nam is cùm eſſet eruditus & eruditorum fautor, ad ſe attraxit Weſſelum, tùm ut in diſputationibus, quarum avidiſſimus erat, & quotidiano exercitio ejus opera uteretur; tùm verò ut ſui ordinis monachum eum poſtea faceret; à quo tamen Weſſelus abhorrebat. Sed uſus præſenti fortunâ in familiam ſe ipſius dedit, in qua multa digna & indigna, quędam etiam pia, ſed pleraque impia vidit & expertus eſt. Obduruit tamen, ut per illum in notitiam omnium doctorum Virorum magis magisque perveniret, & liberiùs ſine periculo diſputare poſſet, ſimulq; nanciſci liberam occaſionem admonendi hominis de vitandis idololatricis ſuperſtitionibus & apertis obſcœnitatibus monaſticis: maximè verò, ut via aperiretur, quâ pervenire poſſet in Synodum Baſilienſem, in quam ſciebat Franciſcum, utpote totius Ordinis Supremum, vocatum iri, quod & contigit. Nam paulò poſt eò profectus eſt, & operâ Domini ſui in Doctiſſimi cujusq; notitiam pervenit, & ad multa conſilia adhibitus eſt, & publicè aliquoties auditus diſputare cum ſumma omnium admiratione, cùm ut quisque doctiſſimus erat, ita maximi faceret Weſſelum Phriſium. Narraſſe Capnionem Melanchthon in Oratione de vita Rodolphi Agricolæ refert, eum tempore eodem Theologiam, Gręcas & Hebraicas literas tradidiſſe ſtudioſis, ſi qui illum adire cupierant. Cum Domino ſuo Franciſco, Generali miniſtro, reverſus eſt Lutetiam, ubi multa expertus eſt, multa etiam paſſus, ita ut quidam ſcribant, illum Scholâ aut Urbe pulſum eſſe propter reprehenſas ſuperſtitiones: quod tamen Hardenbergius à nemine unquam ſibi auditum eorum ait, qui cum illo domeſticè verſati ſunt. Et certum eſt, illum plus minùs ſedecim annos Pariſiis verſatum eſſe, & cum Domino ſuo, jam in Papam electo, unà Romam profectum. Unde non videtur veriſimile, Papam & eundem Monachum & quidem Minoritanum monachum, paſſurum eum fuiſſe, ſi à Schola Theologica Pariſienſi proſcriptus fuiſſet antea. Fieri potuit, quod poſtea illuc reverſus pulſus ſit: de qua re poſtea dicam

cam. Quod verò tum temporis adhuc maximi illum fecerit Franciſcus jam Papa, & Sixtus IV. vocatus; inde liquet, quod ipſemet conſuevit narrare; Papam, ubi jam Romæ inauguratus fuiſſet, amicè adloquutum ipſum ac dixiſſe; Fili, jam à nobis pete quod vis, nihil tibi negabimus quod & noſtram æſtimationem & tuam conditionem decebit. Ad quod liberè Weſſelus reſpondit; Sanct iſſime Pater, Patrone clementiſſime ac meritiſſime, non eſt quod ego Sanctitatem tuam multum gravem. Res magnas nunquam quæſivi, ut ſcitis; ſed quoniam vos nunc ſummi in terris Pontificis & Paſtoris perſonam ſuſtinetis, rogo, ut ſecundum nomen ſit etiam laus veſtra; & ita adminiſtretis iſtam tantam veſtram functionem, ut cum venerit Magnus ille Paſtor ovium, cujus hîc ſummus eſtis miniſter, dicat, Euge, ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Et vos intrepidè poſſitis dicere, Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Reſpondit Sixtus; Hæc nobis curæ erunt, tu pro te aliquid pete. Rogo ergo, inquit Weſſelus, ut mihi detis ex Bibliotheca Vaticana Græca & Hebræa Biblia. Ea, inquit Sixtus, tibi dabuntur: Sed tu ſtulte, quare non petis Epiſcopatum aliquem, aut ſimile quidpiam? Reſpondit Weſſelus, quia iis non indigeo. Hæc ipſa Ebręa Biblia diu hæſerunt Groningæ, apud virgines Spirituales, eorumque adhuc hodie quędam fragmina ſuperſunt. Poſtea Weſſelus Româ relictâ rediit in Phriſiam. Huc ad eum jam ſenem ſalutandum cum M. Joannes Oeſtendorpius Canonicus templi D. Lebwini Daventrienſis, vir multo ſtudio multâque experientiâ doctiſſimus adoleſcens admodum veniſſet, deque ſtudiorum ordine conſuleret, inter cætera ab eo audivit, quaſi jam quod futurum erat pręvidente, *Studioſe adoleſcens, ad eum vives diem, quo doctrina Thomæ & Bonaventuræ & aliorum ejuſdem farinæ recentiorum & contentioſorum Theologorum ab omnibus verè Chriſtianis Theologis explodetur*: hortabatur igitur eum ut veteres Scriptores, tàm ſacros, quàm profanos, neotericis Scholaſticis, Theologis pręſertim præferret: *futurum enim brevi, ut Doctores illi irrefragabiles, cucullati, atrati & albati, in ordinem ſe dignum redigerentur.* Hæc Geldenhaurius ab Oeſtendorpio præceptore ſuo jam caneſcente in templo D. Lebwini ſe audiſſe teſtatur anno 1528. x. Kal. Martias. Narrat Hardenbergius teſtibus laudatis fide dignis Henr. Rodio, Goswino Halenſi, Philippo Melanchthone & Thoma Blaurero, Conſule Conſtantienſe, originem Controverſię Sacramentariæ de Cœna Domini inter Lutherum & Caroloſtadium exſtitiſſe occaſione libri à Dn. Cornelio Hovio Senatore Cæſ. Caroli Hagæ Comitis reperti inter chartas D. Jacobi Hoeckij Decani Naldwicenſis avunculi M. Martini Dorpij Theologi Lovanienſis, quem nonnulli Weſſeli noſtri, alii vetuſtiorem jam àducentis annis per manus piorum circumlatum & poſteris traditũ affirmabant. Eum enim librum quod videretur damnare craſſam

illam

illam Capernaiticam corporis Chriſti manducationem, & ſtatuere ſpiritualem, veram quidem illam & eſſentialem, ſed fidei tantummodò perceptibilem & convenientem, pii illi viri nacti, ut ſummum theſaurum amplexi, utpote quo ſe Papæ artolatriam ſemel totam exſtinguere poſſe intelligerent, per Henricum Rodium Patrem domus fratrum Vltrajecti Witebergam ad Lutherum unà cum aliis Weſſeli libris miſêre, rogantes etiam aliorum nomine ut illum reciperet & approbaret. Quod cum Lutherus hortante Caroloſtadio recuſâſſet, ille amplexus eſt, & receptam tunc opinionem ſcriptis cepit oppugnare, unde res poſtea in nervum erupit. Eraſmus de Pſeudo-evangelicis ad fratres Germaniæ inferioris & Orientalis Friſiæ, Weſſeli hìs verbis meminit; D. Weſſelus multa habet cum Luthero communia, ſed quantò Chriſtianiùs ac modeſtiùs ille proponit ſua dogmata, quàm iſtorum plerique faciunt? Lutherus ipſe in epiſtola præfixa epiſtolis Weſſeli: *Prodiit Weſſelus, quem Baſilium dicunt, Phriſius Groningenſis, vir admirabilis ingenij, rari & magni ſpiritus, quem & ipſum apparet eſſe verè theodidactum; quales prophetavit fore Chriſtianos Eſaias. Neque enim eum ex hominibus accepiſſe judicari poteſt; ſicut nec ego. Hic ſi mihi antea fuiſſet lectus, poterat hoſtibus meis videri Lutherus omnia ex Weſſelo hauſiſſe, adeòque ſpiritus utriusque conſpirat in unum. Mihi verò & gaudium & robur augeſcit, jamque nihil dubito me recta docuiſſe, quando tam conſtanti conſenſu, peneque eisdem verbis, tam diverſo tempore, aliis Cælo & terra, alioquè caſu, ſic ille mihi per omnia conſentit. Miror autem, quæ infelicitas obſtiterit, quo minus in publico Chriſtianiſſimus hic autor verſetur: niſi in cauſa fuerit, quod ſine bello & ſanguine vixerit, quâ unâ re mihi diſſimilis eſt; aut metus Judæorum noſtrorum eum oppreſſerit, qui ſuis impiis inquiſitionibus in hoc nati videntur, ut optimos quosque libros faciant hæreticos, quo ſuos Ariſtotelicos & plus quàm hæreticos nobis ſtatuant Chriſtianos, quorum finis Deo vindice jam deſinit in confuſionem. Legat itaque pius lector, legatque cum judicio, quo maximè hic præſtat, quod & egregiè format: & quos in me offendit nimia aſperitas, in aliis nimia dictionis elegantia, hic non habent quod querantur. Stylus eſt trivialis ac pro ſeculo ſuo; res ipſa tractatur modeſtè & fideliter. Et ſi in ſtercoribus Ennij legit aurum Virgilius, poterit & ex Weſſelo noſtro legere, quod opibus eloquentiæ ſuæ ornet Theologus. Dominus Jeſus addat ad hunc multos alios Baſilios.* Goſwinus Halenſis pater monachorum in domo Fratrum Groningę, olim Weſſeli famulus, ſenex pietate & gravitate excellens, (referente ex epiſtola ejus Ph. Melanchthone) ſe interfuiſſe adoleſcentem narrabat ſermonibus Rodolphi Agricolæ & Weſſeli, in quibus deplorârint Eccleſiæ tenebras, & reprehenderint profanationem in Miſſis, & Cælibatum. Item diſputaverint de juſtitiâ

 fidei

fidei, quid ſit quod Paulus toties inculcat homines fide juſtos eſſe, non operibus? Scribebat Goſwinus apertè, eos rejeciſſe opinionem monachorum, quæ fingit, homines operibus eſſe juſtos. Item, ſenſiſſe eos de humanis traditionibus, eos errare, qui affingunt eis opinionem cultus, & non poſſe violari judicant. Idem ad Hardenbergium ſcribens refert perpetuò Weſſelum ingeminare ſolitum *Qui legens divinas literas non ſibi ipſi quotidiè magis ac magis vileſcit, & ſibi ipſi diſplicet ac humiliatur, non fruſtra ſolùm legit divinas Scripturas, verùm etiam cum periculo.* In hac quidem Vrbe & Provincia, ut primam ipſe Evangelij lucem in media illorum temporum barbarie extulit, ſic divinitùs eum excitatum fuiſſe ad diſcutiendas errorum & ſuperſtitionis tenebras, quæ orbem Chriſtianum latè tunc occupabant, cum alia multa, tum duo imprimis facilè perſuadent; Odium falſi cultus, ubique recepti, & indagandæ veritatis amor atque ſtudium. Quippe inde à puero ſic animo affectus fuit à Dei ſpiritu, ut Ceremonias humanitùs inſtitutas & larvam Religionis toto pectore averſaretur, contra non fucatam pietatem ſpirituali cordis obedientiâ æſtimaret & exerceret. Hinc, cum adoleſcentem in Cœnobio Agnetis prope Swollam hortaretur Monachus ſenex & devotus, ut ſe Virgini Deiparæ peculiari cultu addiceret, animosè reſpondit: *Pater, quare non potius me ad Chriſtum adducis, qui omnes oneratos ad ſe tam benignè invitat.* Horaria quoque roſaria, totumque horarum Canonicarum officium inſuper habuit. Orationes non numero, aut ſtrepero vocis murmure, ſed religioſo animi affectu metiebatur. Iejunia ducebat abſtinentiam non à cibis, quos Deus ſanctificavit in hominis uſum, ſed à vitiis, flagitiis ac ſceleribns. Profeſſionem Theologicam Heidelbergæ & alibi delatam ideo non accepit, quod Ordinibus ſacris more evulgato initiari nollet. Nec alio conſilio ſummos honores in aulâ Pontificis repudiavit. Denique totius vitę habitu & conſuetudine oſtendit, ſe ſinceræ, non fictæ aut larvatæ religionis cultorem eſſe; qualem aliis non modò voce, ſed exemplo quoque commendatum eſſe cuperet. Jam veritatis indagandæ, & in lucem proferendæ quantum in ipſo ſtudium, qui ardor contentionis, quæ laboris conſtantia fuerit, dici vix poteſt. Non contentus triviali eruditione ſui ſeculi jam à prima ætate ad ſublimiorem ac ſolidiorem rerum divinarum ac humanarum ſcientiam aſpiravit. Hîc Groningæ, & Swollæ linguam Latinam, Coloniæ initia Linguæ Grecæ Magiſtris Monachis, qui ex Græcia venerant, itemque Hebrææ pręceptoribus Judæis didicit. Sed Pariſiis & Romæ amplius excoluit, & ad perfectionem perduxit. In Philoſophia Ariſtotelem non ex lacunis verſionum barbararum, ſed ex fontibus Græcis delibavit, & interpretatus eſt: ita tamen ut paſſim ei Platonem anteponeret, velut pietatis Chriſtianæ προπαιδείαν ac ducem meliorem. Scholaſticæ verò Theologiæ dogmata

gmata (prout ex Thoma Aquinate, & Alberto Magno tradebantur) Colonię brevi tempore & facili labore aſſecutus, aliam certiorem diviniorémque ſectatus fuit in Scripturis ſacris V. & N. T. in monumentis Patrum Orthodoxorum Latinis & Græcis. Quorum ei copiam faciebant Bibliothecæ publicæ, Coloniæ, Lovanij, Pariſiis & Romæ: Ex his excerpſit & in Adverſaria ſua (quæ Mare magnum vocabat) congeſſit, quæ totum genus doctrinæ Theologicæ pleniùs, planiùs, certiùsque definiebant. De omnibus autem contulit cum Theologis Academicis iſtius temporis, & qui in aula Nicolai V. & Sixti IV. PP. degebant: liberè taxans novitatem erroris, & ad primævæ veritatis normam univerſa revocans. Capita doctrinę in quibus à ſenſu & conſenſu communi diſcedebat, hæc ferè ſunt, ex ſcriptis ipſius & aliorum de iis teſtimoniis bonâ fide deprompta: Canonem ſive regulam fidei & Religionis unicum eſſe verbum Dei, Scripturis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſum: non autem Traditiones Eccleſiæ, Canones Synodorum, aut Scripta Patrum. Autoritatem Verbi ex dignitate Evangelij ſive ipſius Verbi, non ab autoritate Eccleſiæ pendere; licet illa miniſtra & magiſtra ſit ad fidem. Dogmata Eccleſiæ ea tantum recipienda, quę cum Verbo hoc conſentiunt. Chriſtum ſolum eſſe Mediatorem noſtrum apud Deum; non Angelos Sanctosve defunctos. Chriſti juſtitiam imputari & donari nobis per fidem, absque operibus: nec poſſe quenquam ſuis operibus aut meritis juſtificari. Doctrinam de ſatisfactionibus propriis eſſe falſam, blaſphemam & deſperationis magiſtrám. Multiplicem eamque horrendam profanationem S. Euchariſtiæ eſſe, quę in Miſſâ quotidiè pariatur. Indulgentias eſſe Simoniacas nundinationes: Purgatorium vafrum commentum fiſco Curiæ Romanę locupletando: Orationes pro defunctis inanes: Conjugium etiam ordini Sacro conceſſum eſſe jure divino: nec voto pepetui Cælibatus teneri, qui donum continentiæ non habent. Papam & Prçlatos eſſe ipſiſſimos Antichriſtos quoties verbo & pietati contraria ſanciunt. Nullum eſſe Primatum Papæ, nec unum aliquem inſpectorem totius Catholicæ Eccleſiæ: Papę nec in hominum conſcientias, neque in regna mundi quicquam juris competere. Nihil nocentius eſſe rebus Eccleſię quàm nimias ejus opes: & nihil corruptius moribus ipſorum Eccleſiaſticorum.

Mitto alia ejusdem commatis, quæ per omnes ſanæ Theologiæ locos deduci poſſent, ſi temporis ratio pateretur. Horum quædam Romæ, Pariſiis, Coloniæ, & alibi apud exteros, univerſa domi inter ſuos profeſſus eſt & aſſeruit: non ſine gravi æmulorum, maximè Prędicatorij Ordinis Fratrum, qui hæreticę pravitatis inquiſitores, contradictione & ſæva perſecutione: quibus non minus, quam coævus & amicus Joannes Weſalienſis jam anno 1479. ſuccubuiſſet, niſi Epiſcopi Ultrajectini Davidis de Burgundia (cui non quidem Medicus erat Weſſelus, ut multi perperam tradiderunt,

runt, ſed dilectus Cliens) autoritas eum protexiſſet. Hardenbergius de Guilhelmo Sagaro, Conſiliario Caroli V. in aulâ Brabanticâ, viro undiquaque doctiſſimo refert, quod ad ſe Adwerdiam venerit, unà cum patre ſuo viro multâ gravique canitie venerabili, tum ut celebre Cœnobium videret, tum multò maximè, ut certi aliquid de D. Weſſelo inveſtigaret. Tuliſſe eum in ſinu librum *Weſſeli de Cauſis incarnationis & magnitudine paſſionis* planè detritum, ſanctèque affirmâſſe, ſe ex illo didiciſſe Chriſtum, rogâſſeque obnixè, ut ſi quam de Weſſelo certam memoriam & cognitionem tenerent, eam illi indicarent: oſtenſa iis quę haberent partim impreſſa, partim Mss. Profectum ſe cum eo Groningam in Collegium Spiritualium Virginum, ubi Joannes Halenſis Cœnobiarches ipſis Calvariam Weſſeli obtulerit, quam Sagarus amplexus oſculabundus veneratus ſit & obtulerit decem libras Flandricas, ſi permittere vellent ut ſecum ferret. Sed ſororculas quaſdam ſuperſtitioſulas reluctatas, adfirmantes ſe vidiſſe quod libri ipſius & chartæ manuſcriptæ uſtulatæ eſſent, ut de hęreſi ſuſpectæ: fortaſſe hunc eſſe aliquem Lutheranum, qui ex cranio idolum facturus ſit, & abuſurus ad incantamenta. Ea cum eſſet ibi ſororcularum illarum cantio, piè tamen alioquin de Weſſelo teſtatas, oſtendiſſe in libellis ſuis precatoriis quaſdam à Weſſelo ſibi relictas, quarum ipſe aliquas Sagaro exſcripſerit. Refert idem Hardenbergius profectum ſe aliquando in Montem Agnetis (in quo Collegio, & Thomas à Kempis, autor libelli de imitatione Chriſti, Canonicus fuit) ubi aliquam anni partem Weſſelus ſolebat verſari. Colebat enim reverenter illud Collegium, nulloque loco libentiùs quàm illic erat, ut ad manum eſſet vocanti ſe Epiſcopo, qui in Vollenhovæ arce ſæpè morabatur integros menſes, ut Weſſelo uti frui poſſet: inde Adwerdiam redibat, ubi plurimos habebat diſcipulos, quorum minimum 15. ſe noviſſe, & ex illis multa præclara de Weſſelo audiviſſe teſtatur Hardenbergius. Ibi igitur idem Hardenbergius refert, ſe contuliſſe cum venerabili & docto eodemque nobili patre Gerhardo Cloeſter, qui fuerat ſtudioſiſſimus auditor Weſſeli. Eum ita ſibi & pietatem & gravitatem & ſummam eruditionem ejus expoſuiſſe, ut vix à lachrymis temperaret. In Ægyptum quoque profectus creditur Weſſelus noſter, perſuaſus omnes libros Salomonis, & totam illam glorioſam Bibliothecam Judæorum ibi adhuc ſervari: ſed reverſus ſolebat dicere; *fruſtra profectionem abſolvi. Judæi enim totam bibliothecam ſuam perdere maluerunt, quam legere quod confiteri noluerunt.* Quamvis ego ratione habitâ belli, quo eo tempore totus Oriens flagrabat, exiſtimarim Weſſelum nunquam profectionem in Ægyptum inſtituiſſe, ſed intellexiſſe Ægyptum myſticam, ſive Romanam, juxta ſtylum Sp. Sancti, atque Cantero ſignificare voluiſſe, ſe nunquam Romam rediturum eſſe. Joannes Canterus, quem ipſe inſtituerat, & præter alia artem Raimundi

Lullij

Lullij eum docuerat, aliquando curioſiorem quæſtionem ei propoſuit: ad quem Weſſelus: *Exſpecta donec ſecundò ex Ægypto rediero: tunc reſpondebo tibi.* deridens curioſitatem Canteri. Venit Adwerdiam famatiſſimus quidam Doctor Pariſienſis; nomen non certò teneo, puto tamen Martinum fuiſſe adpellatum: Cepit in menſa Abbatis Henrici Rees, multa mox interrogare, dum omnes cibum ſumerent. Weſſelus nihil reſpondebat: fiebat magna expectatio omnium; putabatur nihil eſſe illi quod reſponderet. Facto prandio dixit Weſſelus; nunc, ſi quid placet, oppone. Oppoſuit ille multa; ſed talia à Weſſelo accepit reſponſa; ut Doctor ille de menſa deſiliret, & abjecto bireto ſuo, inque illud genibus procumbens, admirabundus dixit; Aut tu alter es Alanus; aut Angelus de Cœlo, aut aliud quod dicere nolo. Benedictus Deus; non ſum fraudatus à deſiderio meo: non fruſtra te quæſivi: non fruſtra Magiſtrum contradictionis & admirati ſunt & oderunt Sorboniſtæ. Manſit ille ad tempus cum eo, ferè ad exemplum Reginæ Auſtri; retulit juſta ad quæſtiones ſuas reſponſa. Hæc Hardenbergius ſibi narrâſſe tradit Andream Munterum Philoſophum Stoicum Adwerdiæ qui viderit & audiverit. Quùm verò Philoſophi Stoïci mentionem faciat Hardenbergius, obſervetur ex more ejus ſeculi Stoicos Philoſophos vocatos fuiſſe, qui ſibi philoſophabantur, nec publicè profitebantur. Ideò poſtremum decennium ætatis in hac Urbe & Provincia, in æde Virginum Spiritualium, & Cœnobio vicino Adwerdico, præcipuè egit: atque id dedit operam ut doctrinam religionis exemplo Wicleffi & Huſſi diſcipulis rectè inſtitutis propagandam committeret. Quanquam varijs ſcriptis, partim editis, partim ineditis, tam rotundè & perſpicuè eam explicavit, ut inde reſplendeſcens veritas etiam poſteris affulgere poſſet. Commendatus erat Virginibus Spiritualibus à Davide Burgundo, Epiſcopo Ultrajectino, cujus ad ipſum Weſſelum datæ literæ in Conventu eo conſervantur, ſicut & aliorum quoque Magnatum & Doctorum virorum. Incertum autem eſt, utrum ne ipſe, an verò ejus nomine Epiſcopus Virginibus expenſas menſę ſolverit, an denique gratis ab illis alitus fuerit. Inter familiares & amicos, quos multos Groningæ habuit, maximi fecit Rodolphum Agricolam, (quem ut ipſe literis ſuis ad Capnionem refert, ad Hebrææ linguę ſtudium acriter incitavit) M. Joannem Oeſtendorpium, poſtea Canonicum Daventrię ad S. Lebwinum, Joannem Gocchium Mechlinienſem, (de quo conſulenda Geſneri Bibliotheca, & Illyrici Catalogus Teſtium veritatis) Alexandrum Hegium Gymnaſiarcham Daventrienſem, & magni Eraſmi præceptorem, Jacobum Angularium ſive Hoeckium Decanum Naeldvicenſem, Thomam Bazinum virum ſummum & Epiſcopo Davidi Weſſeli patrono ſingulari à conſilijs: prę omnibus vero alijs Ludolfum à Venne, ſive Venonem, Decanum Eccleſiæ Cathedralis Ultrajectinæ, quem dictus Epiſcopus

ctus Epiſcopus anno 1474. Præſidem conſtituit tribunali Eccleſiaſtico-Seculari, quod dicebatur *Diſcus*, ſive *de Schyve*, cujus arbitratu & judicio cum Epiſcopus laboraret vulgo dictorum Clericorum avaritiam atque ambitionem coërcere, magnum ſibi concitavit odium, ijs, quibus cenſura inſolens erat, tum in Epiſcopum, tum in Ludolfum conſpirantibus, motuſque periculoſos excitantibus. Vixit Groningæ diu charus omnibus ſupremamque ibi ætatem exegit. Geldenhaurius nonageſimum eum annum ſuperâſſe narrat, integro viſu & auditu, ita ut nunquam ſpecillis uſus ſit, minutiſſimaſque literas & commodè legeret, & pulchrè ipſe pingeret. At quod ad viſum; Hardenbergius luſcitioſum eum fuiſſe, & ſenio quoquè caligare oculos cœpiſſe tradit, ut cum ſemper die Cœnæ Dominicæ in Cœtu Fratrum veſperi pro collatione, ut illi vocant, legeret ſermonem Domini in Cœnâ habitum à cap. Joh. 13. uſque ad 18. frequenter à textu aberrans à Monachis rideretur. Quod verò ad ætatem, Suffridus Petri & Regnerus Prædinius, quibus ut Friſijs & in Urbe hac verſatis rectiùs conſtare potuit, unde-ſeptuaginta annos vixiſſe affirmant, natum 1419. mortuum 1489. Illapſum in morbum, qui etiam vitæ ipſi finem attulit, cùm amicus quidam inviſeret, utque valeret interrogaret: Reſpondit, *ſe pro ſua ætate & morbi moleſtia utcunque valere; ſed unum admodum moleſtum ſibi eſſe, quod varijs cogitationibus & argumentationibus circumactus de veritate Chriſtianæ religionis ſubdubitare inciperet.* Obſtupeſcebat ille, ac hortari ægrum cepit, ut omnes cogitationes ſuos in Chriſtum Servatorem unicum rejiceret. Sed cùm hujuſmodi admonitionem ei moleſtiorem eſſe ſenſiſſet, triſtis tum abijt. Atque poſt unam vel alteram horam reverſum ad ſe cùm Weſſelus vidiſſet, alacri animo, & quantum valetudo ſinebat exſultans dixit; *Gratias ago Deo, omnes illæ vanæ diſputationes abierunt: & nihil ſcio, niſi Jeſum & hunc crucifixum.* Et in hac confeſſione animam DEO reddidit. Deceſſit ex hac luce anno 1489. in die S. Franciſci, qui eſt 4. Octobr. Sepultus Groningæ, in Monaſterio, quod Spiritualium Virginum dicitur, in ipſo templi choro, non longè à ſummo altari. In libro memoriali templi illius hæc leguntur: *Anno Domini 1489. obijt Venerabilis Magiſter Weſſelus Hermanni, egregius Doctor Sacræ Theologiæ, & in Latinâ, & Græcâ, & Hebræâ linguis multùm eruditus, & in tota Philoſophia quaſi univerſalis.*

Epitaphium ei à D. Paulo Palantino tale Scriptum.

PAllida Weſſeli ſaxum hoc tegit oſſa Magiſtri,
Philoſophos inter qui leo fortis erat.

Illam

Illum lingua triplex, Hebræa, Pelaſga, Latina,
Inclyta Doctorum ſcandere pulpita dedit.
Agrippina, & Parriſium, duo regna Minervæ,
Senſêre ingenij vimque decusque ſui.
At laus una viro, quia totum ſcibile ſcivit;
Et vitio infectis malleus ipſe fuit.
Arx Phriſiæ cineres, Germania tollit honores.
Dic, ferat Omnipotens, lector amande, animam.

EJUSDEM EPICEDIUM.

WEsselus Gosvoert, *ævi lux ſplendida noſtri,*
Exemplarque unum quod turba togata ſtupebat,
Cujus famâ ingens totum ſecura per orbem
Non mediocris erat, jam vitâ functus & aurâ
Tendit iter ſurſum. Si multa ſcientia rerum,
Ingeniumque amplum, præcoxque induſtria poſſet
Excuſſiſſe virum de mortis faucibus atræ,
Neſtoreos longè ſuperâſſet callidus annos.
Sed cuncti properant, & inevitabile fatum
Volvitur, & nullo cunctos diſcrimine verſat.
Friſia tota gemat, vittis quoque barbara triſtis
Jndoluiſſe ſuo amiſſo teſtetur alumno,
Quo gentes ſeſe ante alias efferre ſuperba
Non abs re potuit, & ſola excellere cunctis.
Nam jacet exanimis, cui non contendere tota
Italia audebat; cui ceſſit laurea victrix
Altercanti, & ſemper palma ſcholaſtica ſummo
Ingenio quæſita fuit; per milleque ludos
Partus honos. Hinc jam tibi, diva Colonia, flendum.
Nutritius jacet ille tuus, cui inſignia quondam
Ingenuos edocto artes, de more, dediſti.
Dumque ſuis meritis primùm adſcendiſſe Cathedram
Juſſus erat, jam tunc rationes ille paratus
Solvere nodoſas, & inextricabile pulcro
Ore reſolvebat, quantum foret argumen m.
Nec mirum. quoniam toto reſonabat in ore
Summus Ariſtoteles *& divi verba* Platonis.
Dum rudis, & nondum raſâ Gymnaſia barbâ
Occupat, in Swollis puerorum exercitor unus;
Tunc ibat ſimplex nimiùm, tectusque cucullo,
Et circum corpus pendebat lutea veſtis
Horrens, & totos texit velamine vultus.
Poſt ubi mente fuit magnâ, majora ſecutus
Liberior paſſim, paulòque licentior acta eſt
Vita illi, nimiumque animo laxabat habenas.

 Ignotis

Ignotis errare locis, ignota virorum
Ingenia ardebat ſcire: & jam pectore anhelo
Italiam luſtrans, magnum bibit ore Timavum.
Et niſi ſors claudum, pedibuſque tuliſſet iniquis,
Ægyptum duram ſuperâſſet, & oſtia Nili,
Herculeos poſtes, Nabathæaque regna, etiam Arcton.
Tantus amor ſedit rerum cognoſcere cauſas.
Nulli divinis ſtudijs, ſacroque ſecundus
Eloquio fuit: in cunctis haud doctior alter.
Et jam poſt funus forſan non nomen haberet
Auguſtino *inferius, ſi non tam dirus & acer*
Altercatus erat, & opinio ſæpè fuiſſet
Articulis ſuſpecta novis, defenſaque forti
Pectore per longas ambages, verbaque longa.
Illum non potuit ſentimine tota movere
Docta cohors: adeò uſque fuit non flexile pectus.
In dubio eſt, Rhetor ne fuit, majorvé Poëta.
Muſarum plenus: ſed nemo potentior illo
Noſtra ætate fuit verbis orare ſolutis.
Hei, quoties avidas magnis ſermonibus aures
Continuit! nunquam mihi talia longa putabam
Tempora: tota dies vix horula parva videri.
Impiger alternas audire & reddere voces,
Et miſcere jocos, & ſeria dicere vafer.
Jam gravitas in fronte videri, & riſus in ore.
Arte illum Medicâ magnus donavit Apollo,
Spem vitæ ingentem, dulcemque referre ſalutem.
Tanta illum tenuit artis fiducia magnæ.
Hiſce etiam rebus novitas non defuit ulla,
Quâ ſemper gaviſus erat. miracula longè
Fecit inaudita, & tentavit millia rerum
Experimenta vigil. Referam de millibus unum.
Ut fama eſt, Patrem languor morbusque vetustus
Corripuit quendam: multi varijque vocantur
Ad curam Medici, fruſtra qui pharmaca præbent.
WESSELUS *tandem veniens, ceu Pythius alter,*
Per medium ſecto, Patrem, ſi credere dignum eſt,
Includens tauro, ſpirantia merſit in exta
Oretenus, tepido refovens tremebunda cruore
Membra Patris, vires & robur reddidit illi
Priſcum. non alijs eſt virtus reddita cauſis.
Mox flevit taurum morientem ruſtica turba,
Oſſaque cum gemitu flava condebat arena.
Ille novas etiam docuit transferre metalla
In ſpecies, vultusque novos, formasque viciſſim

Alternas

Alternas, rerum cauſas tentare latentes,
De venis duri ſilicis, de marmore ſicco
Sacrum oleum elicere, cui nomen balſamus extat,
Sanandi morbos inſit quoſcunque poteſtas.
Jam tumulatur humo naturæ diva potentis
Majeſtas: magni cecidit Lux *unica* Mundi.
Vos Monachi & Fratres mœſtos prætendite vultus,
Morteque non dignâ præreptum flete patronum.
Supplicibus votis vigiles ſuperate Tonantem,
Ut numero faciat magnorum adſtare Deorum
Baſilium noſtrum, placidâque quieſcere pace.

SCRIPTA.

QUæ in Scrinijs Weſſeli reperta, ejus manuſcripta omnia, eo mortuo, operâ Mendicantium monachorum & quorundam aliorum furore exuſta ſunt, ut Hardenbergius bonâ fide ſibi dictum refert ab illis, qui ſuis ipſi oculis hoc viderant.

Quæ eum caſum evaſerunt conjunctim edita Groningæ an. 1614. nimirum,

TRactatus de Oratione, cum luculentiſſimâ Dominicæ Orationis interpretatione.
Tractatus de cohibendis cogitationibus, & de modo conſtituendarum meditationum, qui *Scala Meditationis* vocatur, cum ſubjectis exemplaribus, Fratribus in monte D. Agnetis propè Swollam dedicatus.
De cauſis incarnationis. & De magnitudine Dominicæ paſſionis, libri duo.
De Sacramento Euchariſtiæ, & audiendâ Miſſâ.
Farrago rerum Theologicarum.
Epiſtolæ in quibus de Purgatorio & Indulgentijs.

Sequentes deſiderantur.

Geſnerus in Bibliothecâ univerſali meminit Weſſeli Tractatus de moribus veterum hæreticorum, qui Lipſiæ impreſſus ſit, quem tamen nuſpiam contigit videre.
Opus ſanè pulcherrimum de Indulgentijs, Sacramentis, Purgatorio & Authoritate Eccleſiæ, in quatuor partes diviſum.
Notularum liber de Scripturis, de Angelis, de Dæmonibus, ac de Animâ: in quo variorum locorum ac ſententiarum Scripturæ Sanctæ exquiſitæ explicationes continentur.
Notularum pro *Nominalibus* adverſus *Realium Formaliumque* defenſores, ac ex parte contra *Rodolphum Agricolam* Liber. Valdè tamen obſcurus, ut vix intelligi poſſit quid Autor velit.
Præter hos, à quopiam *Weſſeli* Studioſo, mentio injicitur Libri de Futuro Seculo.

v Paravicini ... in 4°

RODOLPHUS AGRICOLA.

EX Agricolarum familiâ, apud Friſios inter honoratiores ſemper habitâ, vir hic incomparabilis oriundus, Weſſelo annis viginti quatuor minor, circa annum 1442. in pago cui nomen eſt Baſſloa, (vel *Bafflen*, in antiquis Diplomatibus *Baffel*, alijs *Bafflo*, quod *Lo* ingrediens varia locorum nomina Belgica ferè indicio eſſe ſolet ea loco elatiori poſita eſſe) duobus milliaribus Groningâ diſtante natus, ibidemque educatus fuit.

In ipſa infantia haud obſcura ingenij ac memoriæ ſpecimina edidit, cùm libellis & chartis unicè videretur delectari, & nutricularum quoque blandimenta balbutiens lingua felici conatu exprimeret. Puer admodum in ludum literarium miſſus, non ſolum coætaneos, verum etiam multos natu majores diſcendo præcurrit: ita ut Ludimagiſter, ſi quis ignaviæ tarditatiſque arguendus eſſet, Rodolphi alacritatem, ſtudium, diligentiam illi ob oculos poneret.

Brevi itaque in Grammaticis tantum profecit, ut Præceptoris judicio aptus haberetur, qui ad Academiam aliquam celebriorem mitteretur. Eo tempore Lovanij, quæ eſt Brabantiæ primaria Civitas, bonæ artes, vocatis ad hoc amplis ſtipendijs doctiſſimis quibuſque Philoſophię Profeſſoribus, miro ſtudio docebantur. Præterea adoleſcentum mores ingenti curâ formabantur, eâ ratione ut propiùs ad ſeveritatem, quam ad indulgentiam accederetur. Quare factum eſt, ut tota ferè ſecunda Germania, una cum bona Galliæ Belgicæ parte, cùm adoleſcentes Lutetiæ Pariſiorum, & Coloniæ Agrippinæ licentiùs laſciviùſque vivere didiciſſent, inde avocatos Lovanium tanquam ad quoddam bonorum morum ſolidæque eruditionis Emporium mittendos cenſeret.

Venit ergo & Agricola Lovanium, nomenque dedit inter eos, qui in pædagogio, ut loquebantur tunc Cacabi, deinde Falconis inſtituebantur. Hic vix Dialectices elementa deguſtarat, & mox commilitones, ſtupentibus Præceptoribus, prævertere cœpit. Quæ à magiſtris audiebat non tantum memoriæ, ſed literis etiam commendabat. Puer enim didicerat illud Ciceronis, Stylum eſſe optimum dicendi Magiſtrum. Erant tunc Lovanij nonnulli, qui Latinæ dictionis puritatem amare cœperant. His ſe Rodolphus fato quodam familiariùs adjungebat; ſuffurabaturq; nonnihil tempuſculi, quo ab Ariſtotelicis laboribus vacans, Ciceronem Quintilianumque legendo percurreret.

In Scholaſticis diſputationibus ſedato animo, ore verecundo, adverſariorum argumenta ſemel atque iterum repetebat, ſingulaſque partes accuratè introſpiciens, ſummâ arte, ſi quid refellendum eſſet, refellebat. Sua verò nervosè, acriter, magnâ certæ victoriæ ſpe

&propo-



Si tibi maturis tantum licuiſset ab annis
Quod medium statuis perficere AGRICOLA.
Auctores alii poterant tacuiſse diſerti:
Quicquid enim ratio poſtulat, ipſe dabas.

& proponebat & defendebat. Præceptores quoque quæſtionibus quibuſdam contra receptum Ariſtotelicum docendi ordinem interdum exercere ſolebat. Meditabatur enim adoleſcens, ex obſervatione Ciceronis & Quintiliani, ea quæ hodieque magna eruditorum approbatione leguntur.

Poſt hæc in examine & cenſura eruditionis publica inter multos competitores modeſtiâ ac liberalium artium cognitione antecelluit, primaſque Magiſterij artium, quod ſummi honoris eſt Lovanij, obtinuit. Mox cepit Rodolphi Friſij nomen per totam Academiam finitimaſque civitates divulgari. Ac potuiſſet docendi conditiones adipiſci honeſtiſſimas, ſi non divinus egregij adoleſcentis animus ad altiora anhelaſſet.

Cùm in pædagogio illo inter Belgas; qui Gallicâ linguâ utebantur, & ad Muſicen naturâ propenſiores erant, habitaret, Gallicam linguam ita didicit, ut Hannoniorum ſimplicem ruſticitatem devitaret; aulicamque ejus linguæ elegantiam feliciter imitaretur.

Muſices verò ea fundamenta ijſdem annis jecit quibus abſolutam ejus artis peritiam poſtea ſuperſtruxit. Canebat enim voce, flatu, pulſu. Literas pingebat elegantiſſimè, à quarum pictura ad ipſam pictoriam artem, non ſine maxima laude, aditum ſibi paravit.

Lovanij vixit honeſtiſſimè ab omni compotatione ac commeſſatione, contra gentis ſuæ morem, alieniſſimus. Tantus erat in eo literarum bonarum amor, tam indefeſſum ſtudium, ut turpis veneris fornices & luſtra ne noverit quidem.

Cùm autem nihil eſſet antiquius ei, quam ut ad veram politæ doctrinę gloriam perveniret, relicto Lovanio Gallias adijt, ut vel ibi diſceret, quod ſibi deeſſe ſentiebat. Hinc in Italiam, ubi, capto Anno 1453. die 29. Maij Byzantio, à Græcis exulibus Philoſophiam & Eloquentiam audierat renovari, profectus, Gręcè Latinèque diſcendo pariter atque docendo tantum nominis eſt adeptus, ut Italorum nonnulli inviderent, alij dolerent deflerentque Latij gloriam in Germaniam penitiorem jam mox demigraturam. Ferrarię uno atque altero anno, nimirum milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto & ſequente, loci amœnitate, ſtudioſorum ac nobilium quorundam Muſicorum frequentiâ, ipſius quoque Principis, Herculis Eſtenſis, Ferrarienſis Ducis liberalitate detentus eſt.

Ibi Theodorum Gazam, Ariſtotelis ſcripta enarrantem, diligenter audivit: magna cum laude ingenij acuminis & dexteritatis diſputavit: enarravit utriuſque linguæ authores; habuit publicè orationes magna cum auditorum approbatione. Et verò tunc non fuit exigua laus homini Germano, non ſolum eruditione & genere ſermonis, ſed etiam venuſtate actionis ſatisfacere Italiæ, moroſè ac faſtidiosè judicanti. Eraſmum accepimus, ſæpè in Italiâ rogatum fuiſſe ut ſpecimen ſuæ eruditionis ac facundiæ prælectione publicâ

ne publicâ prȩberet: ſed ut hâc in re amicis morem gereret adduci nunquam potuiſſe; veritum ne ab Italis pronunciatio hominis Germani derideretur. Sed Muſicæ naturæ ad actionem & pronunciationem aptiores ſunt cæteris. Redijt tandem in patriam: ibique honeſtiſſimo officio Rodolphum ſuum honorare ac detinere prudentiſſimus Senatus annisus eſt; verùm cui omnia præter literas ſordebant perſuaderi nullâ ratione poterat, ut à ſemel adamatâ Sapientiâ vel pilum latum diſcederet. Verſatus eſt aliquamdiu Noviomagi, Batavorum Civitate; in qua præter ſummos honores, ampliſſimum quoque ſtipendium facilè conſecutus fuiſſet ſi Reipublicæ ſeſe addicere unquam voluiſſet. Groninganæ tamen Reipublicæ vel Syndicus, vel Conſiliarius fuit: cujus nomine Aulam Maximiliani I. dimidio anno ſecutum ſe ſcribit: & cauſam quidem patriæ feliciter egiſſe, gratiam autem à civibus ſperatam minimè retuliſſe. Pervenit in Aulâ Auguſtâ in arctiſſimam familiaritatem Cancellariorum duûm Burgundiæ & Brabantiæ: qui ſummoperè conati ſunt eum inſerere familię Maximiliani, præmiis ampliſſimis propoſitis: ſed ipſe pro judicio eorum de ſe honorifico gratias egit, & obligatione priori excuſavit. Maluit nempe retinere quietem & in libertate permanere. Fuit ei etiam oblata Antverpiæ conditio, Scholæ ibidem gubernatio, cum ſtipendio trecentorum Rhenenſium annuorum: verùm & hanc recuſavit, ut rem ſtudijs ſuis multum impedimenti allaturam. Crebrò loca mutabat; quod tamen non levitatis nec inconſtantię, ſed judicij erat. Altè enim illud Flacci infixerat animo:

Dic mihi Muſa virum, captæ poſt tempora Trojæ;
Qui mores hominum multorum vidit & Urbes.

In itineribus unum ſaltem famulum comitem habebat. Plinij autem naturalem hiſtoriam è ſinu nunquam deponebat: Junioris Plinij Epiſtolas, Quintiliani de Oratoriâ inſtitutione libros, ſuâ manu deſcripſerat; quibus Platonis quædam & Ciceronis ſelectiora addiderat. Hanc Bibliothecam ſemper circumferre ſecum ſolebat: Cęteros libros apud amicos relinquere: amicorum libris bona fide uti; gratus omnibus, gravis nemini. Ne perpetuò peregrinaretur, Doctiſſimus Princeps Joannes Camerarius Dalburgius, Vangionum antiſtes, quem in Græcis diſcipulum habuerat, ſua liberali humanitate tandem effecit. Cum hoc enim ab anno 1482. partim Haidelbergæ, partim Wormatiæ, ad ultimum vitæ actum vixit conjunctiſſimè. Scribit quidem Rodolphus ad fratrem Joannem, ſe prorſus contra animum ſuum principio ibi fuiſſe: ſed vicit tandem conſtantia, & id quod mutare citra levitatis notam non poterat, aſſuetudine jucundum reddidit. Haidelbergæ quidem vixit in ædibus Viri equeſtri loco nati, Principi ſuo tum & aulicis omnibus grati, Theodorici Pleningeri, quem Plinium ipſe nominat: quo & ante Ferrariæ familiariter erat uſus. Placuit ipſi multum Aula

Haidelber-

Haidelbergenſis cum ſumma Principis Electoris magnitudine, & ingenij ſuavitate, tum amicorum omnium modeſtia concordiaque vitæ. Cumque ibi, ut fit, incideret mentio veterum Imperiorum, & Rodolphus commemoraret vel Græcas vel Romanas hiſtorias: Princeps Philippus Elector Palatinus, & verti ſibi multa, non ſolum ex hiſtoriâ, ſed etiam ex Poëtis juſſit: & petivit ſibi contexi integram ſeriem quatuor Monarchiarum. Contexuit igitur eruditiſſimam Epitomen, ex Biblijs & Herodoto de Aſſyriorum & Perſarum imperio; de Civilibus diſcordijs Græcarum Civitatum, ex Thucydide & Xenophonte: de Philippo & Alexandro & ſucceſſoribus, ex Diodoro & Polybio: deinde lectiſſima quæque excerpſit ex Hiſtorijs Romanis: poſtremò & Germanici Imperij res præcipuas collegit. Ac eo in ſcripto non ſolum res ſummas perſpicuè narrat: ſed etiam Principem de plerisque monet, unde apparet non ſolum literis, ſed etiam civili prudentiâ eum excelluiſſe. Wormatiæ autem etiam publicè docuit. Fuitque ei auditorium, ut eo loco, ſatis frequens: ſed ejusmodi ferè auditores, qui propenſiùs cuperent, quàm commodiùs poſſent illas literas diſcere. Maxima enim pars erant Magiſtri aut Scholaſtici, uti appellabant, artium, quibus neceſſe fuit omne ferè tempus cavillationibus ſuis impendere: minimum & velut ſubſecivum in ſtudia humaniora, quæ urgebat Rodolphus, concedebatur. Multas præclaras Orationes, & in Academijs frequentibus, & coram maximis Chriſtiani Orbis Monarchis, non minore prudentiâ, quàm facundiâ habuit. Et cum Haidelbergę conſuetudo eſſet plena humanitatis, ut in Publicis disputationibus Profeſſores, ſi quando hęreret diſputator, interfarentur: ipſe ſæpè difficiles nodos perſpicuè explicavit. Conſulebatur ſæpè ab eruditioribus tum in Philoſophia, tum in alijs artibus. Multa ex Ariſtotele vertebat & interpretabatur ijs qui ejus ſententiam ſciſcitabantur. Et quia nemo tunc viderat libros Ariſtotelis de Animalibus, pergratum accidebat ejus officium doctioribus, ſi quando inſignem aliquem locum inde proferebat: ut cum de immortalitate animæ hominis diſputaretur quid ſenſiſſet Ariſtoteles, magnâ cum admiratione excepta eſt illa ſententia prolata ex cap. 3. libri 2. de generatione animalium: λείπεται τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Mens extrinſecus accedit, & eſt divinum quid, nec naſcitur ex materia corporum. Interdum aliquid ex Arato, de ſiderum poſitu, ortu & occaſu, ſtudioſis impertiebat. Nec deerat ejus officium Profeſſoribus aliarum diſciplinarum. Fortè inciderat Diſputatio inter Theologos & Jurisconſultos de hoc dicto, Fruſtra ſervat Evangelium, qui non ſervat canones Synodorum. Hoc cum alij ad confirmandam ſuperſtitionem in Ceremonijs detorquerent, alij τὸ ῥητὸν eſſe durius quererentur, & mitigandum aliquâ interpretatione dicerent: Rodolphus admonuit, Canones à veteribus vocatos Synodis tantùm ar-

ticulos

ticulos doctrinæ dijudicatos in Synodis, non traditiones de Ceremonijs. Verum eſt, inquit, Evangelium non ſervari ab ijs qui adſpernantur decreta contra Samoſatenum, aut Arium, aut Macedonium facta: Nam Veteres Synodi propter controverſias dogmatum convocabantur, non de Ceremonijs cumulandis. Quam indigna vox eſſet dicere, Chriſti fidem inutilem & inanem eſſe, ſine obſervatione omnium rituum humanorum; Lucem & vitam æternam in mentibus inchoatam exſtingui, ſi aliqua ridicula Ceremonia negligeretur! Addebat tales ritus ſæpè ſine ullo peccato omitti poſſe. Hâc tam dextrâ interpretatione facilè ſatisfecit omnibus. Sæpè & in jure Civili ea quæ ab hiſtorijs petenda ſunt, explicabat interrogantibus; ut locum de uſuris centeſimis, item quid ſit ἐρήμη δίκη; qui fuiſſent gradus veterum Romanorum judiciorum, & talia permulta. In Theologia quid deſideraverit, teſtatus eſt Ioſguinus Groningenſis, qui ſcripſit ſe adoleſcentem interfuiſſe ſermonibus Rodolphi & Weſſeli, in quibus deplorarint Eccleſiæ tenebras & reprehenderint profanationem Cœnæ in Miſſis, ac Cœlibatum: item diſputaverint de juſtitia fidei, quid ſit quod Paulus toties inculcat, Homines fide juſtos eſſe, non operibus: atque apertè rejeciſſe Monachorum opinionem, quæ fingit homines operibus juſtos eſſe. Cætera erat vir prudens, liberæ & veraciſſimæ linguæ, moribus gravis; à livore, malevolentiâ ac petulantiâ alienus. Nec ſolebat irritare moroſos & φιλονείκους, intempeſtivis reprehenſionibus, ne quid certaminum ſereret in Scholâ; ſæpè recitans Græcum verſum,

ξένον δὲ σιγᾶν κρεῖττον ἢ κεκραγέναι.

Jocis eruditis gaudebat plurimum: ſcurrantem nemo audivit unquam: non veſtiebatur ſplendidè, ſed honeſtè & jucundè. Naturâ negligentior, ut ſolet ferè hoc genus hominum, ac paulo incivilior, in convivijs præcipuè, citra tamen cujusdam offenſam, habitus eſt. Cogitabundus enim menſę innitens ungues demordebat. Puellas amare ſe nonnunquam ſimulabat: verum nunquam deperibat. In earum gratiam vernaculâ linguâ quædam carmina ſcripſit elegantiſſimè: quæ virginibus primariisque amicis præſentibus voce & teſtudine modulatiſſimè canebat. Hujusmodi cantionibus animum intentiore ſtudio gravatum interdum remittebat. Cùm jam in ipſo vigore ætatis, nec procul à quadrageſimo anno abeſſet, & eruditionis ac eloquentiæ gloriâ per Germanias, Gallias & Italiam ab optimis quibusque celebraretur, non ignorans vir verè pius verèque Chriſtianus illud Platonis: Omnem ſcientiam magis obeſſe quàm prodeſſe, ſi deſit ſcientia optimi, magno animi ardore ſeſe ſacris literis addixit. Has nocturnâ, has diurnâ verſare manu, delicias ſuas ducebat: in ſolis his venam ſcientiæ & intellectus, imò fontem aquæ vivæ, ſalientis in vitam æternam, ſe reperiſſe gloriabatur. Verùm ut erat judicij exactiſſimi, ad ſacras

cras literas penitiùs intelligendas, ſanctæ Hebrææ Linguæ cognitionem neceſſariam eſſe facilè intellexit. Studia itaque Hebræa aggreſſus eſt; quæ primùm ei plurimum negotij, ut ſcribit ipſe, exhibuerunt; ut ſibi videretur cum Antæo luctari. Sed poſtea nactus Judæum, ejus linguæ utcunque peritum, paucis menſibus tantùm profecit, ut aliquot Pſalmos Davidicos in Latinam Linguam citra culpam transtulerit. Extant inter Epiſtolas Illuſtrium Virorum ad Joannem Reuchlinum, & binæ Agricolæ epiſtolæ Heidelbergâ ſcriptæ: Altera prima parte Græca, altera Latina, quâ inter alia gratulari ſe ſcribit, animi natureque ipſius felicitati, tum imprimis fortunis Germaniæ, quam ſi unquam, nunc aliquando expergefieri oporteat, & ab ea barbarie, quâ tot jam ſeculis velut ſtupido ſopore vel potius ληθάργῳ τινί oppreſſa teneatur excitari: ſtudiumque ſuum in literas Hebraicas ſingulare profeſſus, ſtatuiſſe ſe ſcribit, ſenectutis requiem, ſi modò ea ipſum maneat, in ſacrarum literarum perquiſitione collocare; quumque ita neceſſe habiturus ſit, libros eos Legis intentè penſiculatèque lectitare, videri ſe ſibi eadem operâ & literas Hebraicas diſcendo eos legere, & legendis eis Hebraicè diſcere poſſe, ſimulque τὴν ἰδιότητα ἐκείνου τοῦ λόγου μυστηρίοις πολλοῖς γέμουσαν pernoſcere: atque ad hoc ſe acriter incitâſſe Baſilium (id eſt Weſſelum Groningenſem) quem noſtrum vocat, & tunc in patria eſſe, fuiſſeque ſibi arctiſſimam cum eo familiaritatem teſtatur. Jam totus videbatur alius factus. Immutaverat enim cor ejus verbum Dei vivum & efficax. Jam Chriſtum Jeſum ſpirabat animus: loquebatur lingua: manus ſcribebat. Et ecce adeſt ipſe Chriſtus: qui conſecratum ſibi pectus, ex hoc errorum pelago in veræ ſapientię portum transvecturus erat. Correptus itaque febri, etiam prius quàm Medicorum auxilia advocarentur; totum ſe Chriſto Servatori commendârat: ſuperanteq; vi morbi animam ſuam Chriſtianâ alacritate vitæ datori Chriſto reddidit; annum quadrageſimum ſecundum egreſſus, anno Domini 1485. d. 28. Octobris ingenti ſtudioſorum ac Doctorum omnium mœrore, Haidelbergæ apud Minoritas, in habitu Franciſcano ſepultus. Fratres habuit duos uterinos Joannem & Henricum: Quorum ille Secretarius, ut videtur, fuit Dominę Auricenſis: hunc adoleſcentem ſtudiis informandum Hegio commendavit. Uxorem nunquam duxit: quanquam in priore ætate ducturum deſtinârat, ut teſtatur ipſe epiſtolâ ad Reuchlinum quâ matrimonium initum ei gratulatur, ſententiam ejus laudare & vehementer probare ſcribit. Sed poſteaquam, verba ſunt epiſtolæ illius, inceperit diligentiùs ſe ipſe introſpicere, averſum eſſe ab eo conſilio, non incommodis rei uxoriæ, quod multi κακότεχνοι etiam multis verbis proſecuti ſint, ſed deterruiſſe ſe genus vitæ ſuæ & animum leviſſimis etiam curis imparem, καὶ φιλησύχοντα τῆς φύσεως τῇ γε μᾶλλον ἀπραγμοσύνην, καὶ ῥαθυμίαν τινὰ παντὸς τοῦ βίου. Amicos habuit præter Ioannem Dalburgium, hominem apprimè nobilem & egregiè eruditum, primum illuſtriſſimi Principis Palatini Electoris

Cancellarium, poſtea Vangionum Præſulem, & Theodoricum Plenningerum: item Adolphum Occonem Friſium, Auguſtanæ Civitatis Medicum, quem & Bibliothecæ ſuæ hæredem ſcripſerat: Weſſelum Gansfortium, popularem ſuum; Rodolphum Langium, nobilem illum canonicum Monaſterienſem: Jacobum Barbirtanum, Muſicum nobiliſſimum: Alexandrum Hegium, quem Græcas literas docuerat. Hic ſæpè cum natu grandiores ad literarum ſtudia hortaretur, & ne deſperarent, admoneret, ejus meminit: Ego, inquit, liberalium artium Magiſter, & quadragenarius, tùm quoque barbarus, perveni ad Agricolam adoleſcentem, præceptorem meum, à quo quicquid in Latinis & Græcis literis ſcio, aut alij me ſcire credunt, didici. Tam ingenuus & ab omni faſtu alienus fuit hic Hegius, ut non probro ſibi duxerit, ex Agricola multa quærere & diſcere. Eoque (teſtes ſunt Agricolæ Epiſtolæ in Faſciculo Expetendorum Ortuini Gratij occurrentes) explicuit ipſi Agricola, quid inter *mimum* & *hiſtrionem* interſit: quid *perſona* ſignificet, & unde dicta: tum quid *ſcurra*, *paraſitus*, *nebulo*, *nepos*, ἄνθρωπος dicatur: quid *aurora*, quid *veſpera*, quid *tignum*, *aſſer*, *diœceſis*, etc. Scripſit Agricola tùm proſâ, tùm carmine multa: quę omnia Alardus Amſtelrodamus in duos Tomos redegit: & excuſa ſunt Coloniæ apud Joannem Gymnicum, anno 1539. Videatur Geſneri Bibliotheca, & alij. Lubet hic addere elogium, quod Rodolpho poſuit Eraſmus in adagio, *Quid cani cum balneo*: quodque hodiè in editione Manutiana ex decreto Synodi Tridentinæ perpurgata, nuſpiam apparet. Ita igitur Eraſmus: Hoc equidem adagium eo libentiùs refero, quod mihi reparat renovatque memoriam pariter ac deſiderium Rodolphi Agricolæ: quem ego virum totius tùm Germaniæ, tùm Italiæ publico ſummoque honore nomino: illius, quæ genuerit; hujus, quæ literis optimis inſtituerit. Nihil enim unquam hoc Ciſalpinus orbis produxit omnibus literarijs dotibus abſolutius, abſit invidia dicto. Nulla erat honeſta diſciplina, in qua vir ille non poterat cum ſummis artificibus contendere: Inter Grecos Græciſſimus: Inter Latinos Latiniſſimus: in Carmine Maronem alterum dixiſſes, in Oratione Politianum quendam lepore referebat, Majeſtate ſuperabat. Oratio vel extemporalis adeò pura, adeò germana, ut non Friſium quempiam, ſed urbis Romanę vernaculum loqui contenderes. Eloquentiæ tam abſolutę parem adjunxerat eruditionem, Philoſophiæ Myſteria omnia penetraverat. Nulla pars Muſices, quam non exactiſſimè calleret. Extremo vitæ tempore ad literas Hebraicas ac Scripturam Divinam totum animum appulerat. Atque hęc conantem Fatorum invidia virum terris eripuit, nondum annos natum 40. vel ut alij 43. Extant paucula quædam illius monimenta; Epiſtolæ quædam, Carmina item varij generis, Axiochus Platonis Latinus factus; Iſocrates ad Demonicum verſus, tum una atque altera

altera oratio habita in publico Scholaſticorum Ferrarienſium cœtu. Nam illic & didicit, & publicè docuit. Latitant apud neſcio quos Commentarij (poſt editi) Dialectices. Verterat & Luciani Dialogos aliquot: ſed ut ipſe erat gloriæ negligens & plerique mortales alienam ſanè quam indiligenter curare ſolent, nondum in lucem emerſerunt. Quanquam hæc ipſa, quæ extant, etſi ne edita quidem ab ipſo, planè divinitatem quandam hominis præ ſe ferunt. Verùm, ne videar homo Germanus immodico patriæ ſtudio cœcutire, Hermolaj Barbari Veneti de eo Epitaphium ſubſcribam, elegantiſſimum profectò; & de quo dubites, utro ſit dignius, ipſo-ne qui ſcripſit, an hoc, quem eo exornavit. Eſt autem hujusmodi:

Invida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
AGRICOLAM, *Friſij ſpemque decusque ſoli.*
Scilicet hoc vivo meruit Germania, laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Quæſo quid noſtro Rodolpho potuit amplius, aut omnino magnificentius contingere, quàm teſtimonium tam ſplendidum, tam plenum? idque redditum non vivo, ſed jam vitâ defuncto; ne quis ab amore magis, quàm à judicio profectum cauſari poſſit. Deinde ab eo viro, qui non ſolum Italiam ſuam, verùm etiam omne ſeculum hoc noſtrum illuſtrârit: Cujus tanta eſt apud omnes eruditos authoritas, ut impudentiſſimum ſit, ab eo diſſentire: tam inſignis in reſtituendis literis utilitas, ut aut à literis omnibus alieniſſimus, aut certè ingratiſſimus habeatur apud quem Hermolai memoria non ſit ſacroſancta. His itaque tam plenis, tam abſoluti viri, laudibus, equidem fateor, me peculiariùs etiam atque impenſiùs favere: Quod mihi admodum adhuc puero contigit, uti præceptore, hujus diſcipulo, Alexandro Hegio Weſtfalo, qui ludum aliquando celebrem oppidi Daventrienſis moderabatur, in quo nos olim admodum pueri utriusque linguæ prima didicimus elementa: Vir (ut paucis dicam) Præceptoris ſui ſimillimus, tam inculpatæ vitæ, quàm doctrinæ non trivialis; in quo unum illud vel Momus ipſe calumniari fortâſſe potuiſſet, quod famæ plus æquo negligens, nullam poſteritatis haberet rationem. Proinde ſi quæ ſcripſit, ita ſcripſit, ut rem ludicram haud ſeriam egiſſe videatur. Quanquam vel ſic ſcripta ſunt ejusmodi, ut eruditorum calculis immortalitatem promereantur. Itaque in hanc digreſſionem non temerè ſum exſpaciatus; non ut glorioſè Germaniæ laudes jactarem; ſed ut grati diſcipuli vicibus fungerer, & utriusque memoriæ debitum officium utcunque perſolverem: propterea quod alteri veluti filij debeam pietatem, alteri tanquam nepotis charitatem. Hactenus Eraſmus. Cujus ſententiæ Petrus Montanus, Philoſophus Platonicus & Poëta Satyricus his verſibus ſubſcripſit: Agricolam ſolum ex Germanis ſcriptoribus inſolenti Græciæ, aut procaci Italiæ objicere poſſumus. In oratione enim pedeſtri mihi effinxiſſe videtur

videtur ſonum Lactantij, lenitatem & rotunditatem Plinij, lumen Senecæ, Tullianam quoque redolet ubertatem, & acumen oſtentat Quintiliani, vehementiamque & obliquitatem Cypriani referre videtur. Ex Geldenhaurio & Orat. de Agric. tom. 2. Philippi, & alijs. Denique nec prætereunda ea, quæ de Agricola habet Chytræus Orat. de Weſtphalis: Eraſmus, *inquit*, XIV. annorum adoleſcens, ſub Hegio præceptore, ſtudia literarum Daventriæ colebat. Cum autem Rodolphus Agricola in Hegij Scholam veniſſet, & Hegius ei aliquot adoleſcentum ſcripta monſtraſſet: his conſideratis, cum Eraſmicum cæteris anteferret, videre adoleſcentem voluit. Accerſitus è ſua claſſe Eraſmus adoleſcens ad Hegium accedit. Ibi Rodolphus arreptum capillo in vertice tacitus intuetur, & quaſi conſideratâ indole ex lineamentis, adjecit hanc vocem, Tu eris magnus. Hanc veram hiſtoriam recito, ut junioribus quaſi notiores fiant hi viri ex familiaribus ſermonibus, ex quibus, in magnis ingenijs, vim fatidicam ineſſe animadverti poteſt. Nam de Io. Murmellio, qui Hegio poſtea in ſchola ſucceſſit, adhuc puero idem Rodolphus dixerat, Magna in te ingenij vis eſt. & de Herm. Buſſchio, velut vaticinatus fuerat, celebrem Poëtam fore. *Hactenus Chytræus.* Ut ab Agricola tandem recedam, ei ſequens Epitaphium Viglius Zuichemus, vir celeberrimus, poſuit Haidelbergæ, exhibitum à Melchiore Adamo inter monumenta Haidelbergenſia p. 22.

EPITAPHIUM HERMOLAI BARBARI VENETI, PATRIARCHÆ AQUILEGIENSIS IN OBITUM RODOLPHI AGRICOLÆ FRISIJ.

Invida clauſerunt hoc marmore fata RODOLPHUM
AGRICOLAM, *Friſij ſpemque decuſque ſoli.*
Scilicet hoc vivo meruit Germania, laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Tollenti anathema.

RODOLPHI AGRICOLÆ PHRYSII
MEMORIÆ POSUIT VIGLIUS
ZUICHEMUS
OBIIT ANNO M. CCCC. LXXXV.
DIE XXVIII. OCTOBR.
VIXIT ANNOS XLII. MENSES II.

Relinquenti benedictio.

REGNERUS



Si doctrina, fides, pietas, fera fata morari
Poſſent, Reinerus non moriturus erat.
Sed quæ debuerant diram depellere mortem,
Hæc illi celeris cauſa fuere necis.
Dum nimis indulget ſtudiis, dum quoſque iuuare
Ardet: eheu vitam negligit ille ſuam.

REGNERUS PRÆDINIUS.

REGNERUS PRÆDINIUS natus eſt in pago Vinſemo, qui Groningâ non longè diſtat: Prædinius vocari voluit, quod ruri & in prædijs eſſet natus: Is cum peracri ingenio eſſet, à prima ſtatim ætate perceptis utriuſque linguæ artiumque dicendi fundamentis, Groningæ in ædibus fratrum, ubi ſecum à pueris, eodem Cubiculo habitaſſe, & eodem lecto multò tempore dormiſſe teſtatur D. Albertus Hardenbergius, Lovanium ſe contulit, & Philoſophiæ primùm, deinde etiam majoribus (quas vocant facultatibus) operam ſtrenuam impendit; Theologiæ imprimis deditus, quod cætera omnia ſtudia, niſi ad ſacroſanctam veritatem referantur, inania reputaret: proindeque omnem ſuam eruditionem, mores, totamque vitam, ad Lydium lapidem Verbi Divini prudentiſſimè examinans, nihil ſolidè bonum judicabat, quod hominem non aliquâ parte regeneraret, participemque æternæ veritatis faceret. Reverſus in Patriam, cum ad diverſa munia, in Rep. obeunda, magnis & precibus & præmiis invitaretur, ad nullum ſuſcipiendum commoveri potuit, quàm ad adminiſtrationem Scholę publicæ, tùm quod in hoc plurimum Reipub. adferre ſe arbitraretur, tùm etiam quod genium ſuum huc maximè propenſum eſſe ſentiret: Suſceptam itaque Groningæ hanc Spartam ſic ornavit, ut vicinas Scholas Triviales famâ ſuâ longè latèque obſcuraverit. Erat enim in hoc viro recondita eruditio, & eloquentia ſingularis, &, quod præcipuum eſt, gubernandę juventutis mirabilis quædam dexteritas: Itaque non modò ex Groningia, Friſia Orientali & Occidentali, ex Weſtphalia, Tranſiſulania, Geldria, Brabantia, Flandria, ſed etiam Germania, Gallia & Italia, Hiſpania & Polonia ejus audiendi gratiâ, Groningam non modò ſtudioſi mittebantur, ſed & eruditi quoque velut ad Academiam celebrem confluebant. Et procedebant ex ejus Schola adoleſcentes ita fideliter inſtituti, ac tam ſolidé docti, ut cum ad Academias ſe conferrent, omnibus eſſent admirationi: quorum non paucos ſibi Lovanij & cognitos & amicitiâ conjunctos fuiſſe Suffridus Petri teſtatur. Summâ enim induſtriâ parique diligentiâ diſcipulos, quorum numerus erat permagnus, linguarum liberaliumque artium cognitione non ſolum Grammaticæ, Dialecticæ, Rhetoricæ & Mathematicæ; verum etiam Medicinæ & Juris imbuebat; animoſque ipſorum frequenter, miris modis, ad ſummam veritatem inſtigabat. Cumque horas quatuor integras die quoque Scholaſticæ inſtitutioni impenderet, nihilominus domi varia inſuper alia meditatus eſt ac ſcripſit in Platonem, Ariſtotelem, Demoſthenem, & Galenum, Ciceronem, ac Quintilianum, quæ quod ſacram veritatem minus redolere ipſe arbitraretur, diſcerpſit, Vulcanoque, non ſine multorum lacrymis tradidit. At

Theologica, quæ divinam veritatem longè manifeſtiùs ſpectandam proponunt, & homini viam æternæ vitæ commonſtrant, quo plures Chriſto lucrifaceret, omnibus communicare voluit, ut opera ejus Baſileæ anno 1563. ab Acronio edita demonſtrant. Guſtum purioris religionis percepit opera Goſwini Halenſis, domus Fratrum Præpoſiti Groningæ, quo anno 1530. defuncto, cum Radingo Coning, Johanne Eelſt, aliisque paucis inter ſexcenta pericula, colligendæ Chriſti Eccleſiæ incubuit. Vita ejus ſemper quoque doctrinæ ſinceræ reſpondit. Nam ſobriè ſanctèque vixit, conſilio & opibus inſervivit multis: munera quæ homines valdè ſolent corrumpere, à nullo mortalium accipere voluit: Convivia publica vitavit, nec ullis intereſſe ſolebat præterquam in quibus pauci familiares atque pij adeſſent. Obiit anno ętatis 51. Chriſti 1559. die 18. Aprilis.

Nunc eos, qui inde à condita
A C A D E M I A
in ea docuêre
P R O F E S S O R E S,
ordine in hoc
Honoris Amphitheatro
ſiſtemus.

UBBO



EMMIVS, *Hiſtoriæ decus immortale diſertæ,*
Doctrinâ magnus, nec Pietate minor:
Ingens lux FRISIÆ, *docto admirabilis orbi,*
In cujus laudes luxuriare ſolent
SCALIGER, HEINSIADES, GRVTERVS, DOVSA, THVANVS,
Hocce gravi vultu conſpiciendus erat.

PRimum in hoc ordine locum jure meritiſſimo ſuo Hic ſibi vindicat, cujus non tantùm conſilio ac ſuaſioni ortum ſuum bona ex parte, ſed ingenio etiam ac ſcriptis cedro dignis famam præ cæteris, illuſtris hæc Academia fert acceptum .Extulit verò hoc eximium ut Patriæ ſuæ, ſic ſeculi ingeniorum ac literarum decus, anno æræ Chriſtianæ Vulgaris CIↃ IↃ XLVII pridiè Nicolaj, id eſt, ipſis Nonis Decembris, vicus Friſię Orientalis haud ignobilis, cui nomen GRETHA; ubi arx egregij operis Præfecturæ totius caput, ſedes & antiquiſſima hæreditas Sircſeniæ domus, quæ Comites edidit, tùm portus commodiſſimus, & huic ſubſerviens rara ſoli felicitas. *Hoc mihi ſolum natale eſt* (inquit ὁ μακαρίτης) *in quo & lucem primùm vidi & educatus ſum: ubi & pater meus & avus paternus, & proavus, & avia quoque paterna, & aviæ pater, & patris mej avunculus eodem mecum nomine & cognomine dictus, nati fuère, omnes inter ſuos honorati, & poſſeſſiones ſoli ibidem tenentes.* Pater ei fuit EMMO Diken, Eccleſiæ Jeſu Chriſti ibidem per annos complures fidus miniſter, vir & eruditione & vitâ Theologus, Martini Lutheri & Philippi Melanchthonis quondam diſcipulus, ob doctrinam, pietatem ſingularem, morumque modeſtiam, carus imprimis ac familiaris Joanni à Laſco Polono, viro maximo, omnium Eccleſiarum toto agro iſto ſparſarum, tùm temporis Ephoro. Avum paternum habuit Diconem Mettium, Remeti F. agricolam fortunâ ut in illo ordine ſatis lautâ, curando aquarum clauſtro apud Grethanos pręfectum, annis & authoritate gravem, qui cum bello Geldrico arce iſtius loci, ad quam occupandam Geldri properabant, fraude infidi præfecti Alberti Bacomorini excedere & clauſtro providere, ne quid detrimenti caperet, juſſus eſſet, re probè confectâ, cum jam pedem referre cœpiſſet, ad genua usque toto corpore armis fulgens, ab hoſtibus circumfuſus, & nequicquam fortiter defendere ſe conatus, in manus eorum pervenit, à quibus non parvo auri pondere pro modo rerum ſuarum redimere ſe coactus fuit. Cui ſi in arce remanere licuiſſet, haud leve momentum, ut tùm quidem vulgò credebatur, ob gratiam & authoritatem, quam inter ſuos habebat, tardandis Alberti conſilijs, qui arcem hoſtibus peſſimâ fide tradidit, adferre potuiſſet. Patris avunculus UBBO EMMIUS J. U. D. huic noſtro nominis author, juri dicundo in arce Orthana præfuit, cùm ad eam Henricus ſenior Brunſvicenſis caſu planè memorabili, tam illuſtris opibus & gloriâ Princeps, imgloriâ & inbelli manu adoleſcentis XV annorum occubuit. Nec minus honoratum ei genus maternum. Mater enim ELISA patrem habuit Egbertum Tiardam Civitatis Nordanæ per annos triginta continuos Conſulem, qui mores hominum multorum nôrat & urbes. *Hinc mihi maternum genus* (ait EMMIUS de Norda locutus) *hîc avus, proavi, abavique ſedes*

In deſcript. Chorog. Friſ. Orient. pag. 48.

ſedes habuêre. Patriam & originem paulò accuratiùs in hiſtoria deſcriptam, aliaque ſua poſteris reliquit, ob ſiniſtrum quorundam affectum, quibus quaſi ſudes in oculis erat, ingenua viri in dicendo ſcribendoque libertas; præſertim quoties de jure libertateque Friſiorum mota eſſet controverſia. Coëgit quoque hoc facere eum adverſariorum iniquitas, qui cum fabulas ſuas ab eo temni ac refelli indignis ferrent animis, eum convitiis conſpuere & boni nominis ejus famam lacerare voluerunt, eum μισοφρίσονα eſſe, hoſtem patriæ, ignarum ignotumque ſibi, & cujus conditionis ſit, clamitantes. Quibus ille reſponſum hoc debuit; *Me quod attinet, ſum origine & patriâ Friſius non minus quàm hi, qui me flagellant, ſi modo hujusmodi hi ſunt, honeſtâ domo utrâq; natus, honeſta quoq; in re, in literis voluntate ac ſumptu meorum, ſine onere aliorum, honeſtè domi foriſque educatus, idque cum diminutione hæreditatis meæ. Adverſarius meis affectu in communem patriam & gentem noſtram non concedo; ſed affectum veritati in hiſtoria vim facere non patior, intraque terminos me contineo. Verum tradere tuerique ante omnia laboro: & hunc laborem difficilem Friſijs meis impendo gratis, ſolo patriæ ac veritatis ſtudio ductus, & hoc inter negotia aſſiduâ cum valetudinis jacturâ præſto.* In puero ſtatim indolis & ingenij præſtantia eluxit; ideoque piâ ac fidâ parentum curâ domi maturè Dei timore, bonis moribus, literarum primis initijs imbutus, anno ętatis nono à patre Emdam ad Scholam literariam deductus fuit, hęſitque in ea annos ferè IX. Depoſito illic primo ſtudiorum tyrocinio, cum flueret annus MDLXV miſſus eſt Bremam, ob famam ac celebritatem magni illius Grammatici & Scholę Rectoris Joannis Molani, è cujus exacta diſciplina multi præclari & eximiè docti viri prodiêre. Indè in patriam reverſus, non mox properavit ad Academias, more juvenum noſtri ævi, in quos quadrat vetus hoc dictum, Canis feſtinans cœcos parit catulos, ſed aliquandiu in Schola Nordana renaſcente ſubſtitit, Præceptoribus uſus Ioanne Floriano, & D. Nicolao Saſchero, viris doctiſſimis. Ibi tum ille & exercendi ſtilum ſcribendique rationem ſuo exemplo ſuſcitare, & ſtudio induſtriâque ſingulari, cùm ſibi favorem caritatemque Superiorum conciliare, tùm animos æqualium ad bonas literas majore aſſiduitate & diligentiâ colendas impellere, idque non ſine emolumento ſtudiorum ſuorum inſigni. Ingreſſum annum vitæ XXIV. per annos XIV. in Scholis optimè exercitatum ac confirmatum, cum jam poſſet ſemet regere, contra inſidioſas ſeducentium illecebras egregiè firmum, ſolidioriſque doctrinæ fundamentis præclarè jactis, tum demum, nec ante, Pater ipſum, Vir longè prudentiſſimus, maturum judicavit, qui uberioris profectus gratiâ laudatiſſimas Academias cum fructu adiret. Anno igitur Chriſti MDLXX. è patria ad pleniorem ingenij cultum & quaſi mercatum doctrinæ uberiorem rectâ Roſtochium perrexit. Erat

De orig. & antiq. Friſ. Pag. 3. & 4.

verò

verò tùm temporis præ cæteris Germaniæ Academiis Celebris Roſtochiana, ob clariſſimorum in ea docentium virorum copiam, inter quos eminebant duo viri magni David Chytręus & Henricus Bruçęus, ille Theologus & Hiſtoricus celeberrimus, hic verò Medicus ac Mathematicus prȩſtantiſſimus. Utrumque docentem aſſiduè audiebat, utrumque crebrò dein in ore habebat; priorem ab inſigni in dicendo facundia, & multiplici hiſtoriarum cognitione, alterum à docendi dexteritate, jocis facetiisque conditâ, commendans. Heic dum ſe penitus ſacris Muſarum ſtudiis dedit, in morbum incidit graviſſimum ac propemodum lethalem, quo corpusculum fractis viribus contabeſcebat, medicis morbi ſpeciem non dignoſcentibus, qui intus diu latitans tandem ſe prodidit externis indiciis. Morbus erat Friſiis & accolis maris Balthici ἐπιχώριος, vulgo dictus Schorbutus, reddebatque ejus curationem difficiliorem tempus brumale, in quod fortè inciderat, cùm nulla ſuppeteret recentium herbarum copia, & æger ad ver uſque ſupereſſe non poſſet. Reſtituit tamen eum ſanitati priſtinæ, per Dei gratiam, potus lactis caprilli, in quo decoctum erat ſemen ſinapios & raphanus major. Hoc morbo periculoſo defunctus DEUM ſoſpitatorem ſuum hymno euchariſtico eruditè pièque celebravit. Indè, jactis ſic ſatis fideliter Roſtochij præcipuis ſtudiorum fundamentis, de adeunda Gallia cogitare cœpit; ſed ecce triſtiſſimus nuncius de morte patris eum in Patriam ad matrem viduam revocavit, labente jam anno tertio, ex quo è Patria diſceſſerat. Domum ad ſuos reverſus fratres quatuor ac ſororem mœrentes, ac imprimis mœſtiſſimam matrem, cui unicè carus erat, poſt acerbum mariti funus, triſtiſſimo mox caſu alio, filiæ unicæ, navigio, quo Nordâ domum reditura erat, per navicularij incuriam everſo, aquis ſuffocatæ afflictiſſimam, multis pietatis officiis non parum refocillavit. Mœrore matris, multâ filij conſolatione (quod pietatis ſtudium in tertium uſque annum domi ipſum lari paterno & velut lateri matris affixum tenuerat) temporisque longinquitate nonnihil mitigato, noſter denuò è Patria migravit, Genevam Allobrogum petens, cùm jam ętatis annum ageret XXVIII, quæ ætas comparandæ per peregrinationes prudentiæ, præterito juventutis lubrico, omnium aptiſſima eſt. Vidit in itinere non ſolum ea, quæ ſponte ſuâ ſe oculis ingerunt, Academias & urbes celeberrimas Coloniam Agrippinam, Moguntiam, Wormaciam, Spiram Nemetum, Heidelbergam, Tubingam, Argentoratum, Baſileam, Tigurum, Bernam, Lauſannam, ſed & viros in iis doctrinâ & virtute claros ſalutavit, hominum ingenia, mores, inſtituta, ſumma cum cura obſervavit didicitque, eâque ratione penum ſcientiæ ſibi fecit inſtructiorem. Genevam verò attraxit eum, non ſolum ſtudium addiſcendæ linguæ Gallicę, ſed imprimis ſtudium Veri in religione, & inclytum nomen Theodori Bezæ, à cujus ore totum biennium pependit auditor aſſiduus. Audivit quoque L. Danæum, Fr. Portum aliosque, & Simoni Goulartio viro optimo & clariſſimo gratus

F fuit

fuit, qui etiam ad extremos vitæ annos ei fuit amicus, & ſingularis benevolentiæ plenas literas frequenter miſit. Habuit ibidem compares & ſtudiorum ſocios ac ſibi familiares, Hermannum Vultejum, Sibrandum Lubbertum, Joannem Witten, Eberhardum Altingium, Oniam Geldorpium, Henrici F. quibus literæ & virtus poſtea clarum nomen dedêre. Viſo etiam Lugduno, Romanorum quondam Coloniâ à Plancio deductâ, cùm in reditu Baſileæ aliquamdiu ſubſtitiſſet, ubi tùm clariſſimi Viri docebant, in Patriam denuò reverſus, propinquorum &amicorum gratulationibus exceptus, matrem amplexu ſui tantoperè commovit, ut præ gaudio prorumpentibus lachrymis, ſinum ipſa ſuum perfuderit. Nec diu nomen viri hujus latere in Patria potuit, nec diu quoque eidem otiari libuit, quod multi facere ſolent; ſed mox Deo vocanti obſecutus, bono publico inſervire, qui ſtudiorum finis eſſe debet, voluit. Proponebantur id temporis ei duæ potiſſimum conditiones perhoneſtæ, Eccleſiaſtica una, altera Scholaſtica. A priore, ad quam animus ferebat, retraxit eum verecunda modeſtia, quæ hæreditaria adeò naturæ ejus inſita fuit, ut nimis penè modeſtè de ſe ſentiens, in hominum cœtu fari vix auderet. Et hęc ad extremum vitæ terminum ferè ipſi adhæſit, fuitque hoc ei commune cum viris quibusdam verè eximiis, de quibus idem dici poteſt, quod B. Hieronymus de ſuo Nepotiano ſcribit; *Eruditionis gloriam famamque declinando, eruditiſſimus habebatur.* Scilicet ut recta ingenia debilitat verecundia, ita prava confirmat audacia. Elegit igitur vitæ genus Scholaſticum, moleſtum ac laborioſum, oblatamque Scholæ apud Nordanos Recturam anno MDLXXIX ſub feſtum Paſchatos iniens, juventutem bonas artes & pietatem docere, ſeminariumque Eccleſiæ & Reipublicæ fideliter exercere occœpit. Biennio in hoc ſtudio propè exacto, cùm jam difficilia ea, quæ in initiis omnium ferè bonarum rerum occurrere ſolent, ſuperaſſet, de matrimonio cogitans, non fuit in amoribus nimium feſtinus aut fervens, ſed actiones ſuas omnes ratione regebat. Erat apud Nordanos puella bono genere nata, THEDA Tjabberij Filia; cum hac conjugij ſponſionem iniit pridiè natalis Chriſti anni MDLXXX, nuptiasque celebravit menſe Aprili anni ſequentis. Verùm ut moderatior fuit amor ante nuptias, ita ferventiùs exarſit in matrimonio; Nam Theda iſta, verè tæda in pectore mariti adeò luculentas tenacesque flammas accendit, quæ (ipſâ mox poſt fratris matriſque Emmij continua funera heu nimis citò, ipſique præmaturè, peſtilitate populariter graſſante, in labore partûs, unà cum fœtu extinctâ) dùm viveret ipſe nunquam fuêre extinctę. Superſtes ei ex hac conjuge fuit Emmo primogenitus filius, qui anno ætatis XIX obiit Groningæ, Patrique ob placidos mores, & optimam fructus ingenij ſpem magnum ſui deſiderium cum dolore reliquit. Manſit verò in hoc thoro viduo verè ſubtriſtis viduus in annum uſque tertium. Tùm hortatu & amicorum & propinquorum frequenti impulſus, ad alterum conjugium

tranſiit

tranſijt, ductâ in uxorem MARGARETHA à BERGEN civis Emdani, viri optimi filiâ, virgine annos natâ XIX. Nuptijs finitis cum novâ nuptâ ad intermiſſa ſtudia & labores ſolitos, quos non perire ſibi, ſed per DEI benedictionem fructus ferre valdè uberes cum voluptate videbat, Nordam lætus redijt. Sed tantam Nordanæ Scholæ felicitatem livor & violentia heterodoxorum tandem turbavit. Cum enim Scholam iſtam frequentiâ diſcipulorum augeri cernerent Zelotæ quidam Lutherano nomine ſe jactantes, nec ullâ ratione adduci poſſet Emmius, ut ſententiam de religione mutaret, metuentes ne clariſſima lux hæc ipſorum officeret luminibus, id effectum dedêre, ut ipſi denunciaretur, deinceps ut à munere ſuo abſtineret, ob confeſſionem doctrinæ. Accidit hoc anno MDLXXXVII. menſe Septembri. Manſit tamen per hyemem Nordæ, in ædibus ſolitis, ſed ſine functione, ſine ſtipendio; fortique animo hoc ſuum damnum tulit. Inde LERAM in eadem Patria à populo iſtius loci, volente id Comite Joanne, ad eandem functionem vocatus, id brevi ſingulari in docendo induſtriâ & dexteritate cum Collegis, aſſiſtente divinâ gratiâ, aſſecutus eſt, ut Schola literaria illic non infrequens nec incelebris eſſet, cæteras certè omnes iſtius regionis inter Amaſum & Viſurgim ſuperans. Nordanæ verò, poſtquam in ea Confeſſioni veritatis in doctrina ſacra locus amplius non fuit, & Eccleſia Lutherano nomine gaudentibus ceſſit, fortuna paulatim decrevit, nec reduci poſtea potuit, quamvis omnia in eum finem tentata ſint, & luci reſtituendæ faculę accenſę. Apud Leranos dum vivit, & quam nactus erat Spartam exornat egregiè, facilè amorem ac favorem multorum, quibus innotuit, cùm in Patria, tùm extra eam, in ſe vertit. Sed non ſine Numine cœleſti præter cæteras animi dotes inſignes, imprimis ſtudium veri, ob quod loco priore cedere coactus fuerat, familiaritatem ei ac amicitiam non vulgarem multis cum civibus Groninganis, qui ob ſimilem veritatis profeſſionem, è Patria extorres, Leræ ſedes ſuas fixerant, conciliavit. Inter hos primi erant tres Viri generis nobilitate, virtute & eruditione eximij, Regnerus Alberda Conſularis, in exilio vitâ functus, & duo naturâ & amore verè fratres Fredericus & Abel Coenderi. Hac quippe ratione ei via ad hanc Urbem noſtram quaſi ſtrata fuit, ut poſtea eventus docuit. Reductâ namque ad ſocietatem Ordinum fœderatorum Belgij GRONINGA, cùm paſſim exules in Patriam redituri rent, Ampliſſimus Senatus inclytę hujus Urbis, ad Scholæ ſuæ clariſſimæ, ſed per belli tumultus collapſæ, inſtaurationem ac gubernationem ſtatim conſentiente omnium voluntate UBBONEM EMMIUM vocavit, ac Rectorem toti literariæ Reipublicę, docentiumque Ephorum præſidere voluit, factâ ei poteſtate unà cum Scholarchis Collegas pro arbitrio ſuo arrogandi

& abrogandi. Eô igitur, tanquam ad majorem boni publici proventum, concedens, anno Chriſti MDCXIV natus annos XLVII, Collegis ſibi adſcitis viris piis & eruditis, quantum cujusque locus ac conditio requirebat, Scholę reſurgenti ordinem convenientem dedit, ejusdemque Synopſin legesque typis excuſas publicavit. In hoc munere, cùm undequaque diſcentium ad hanc Scholam concurſus fieret magnus, Collegarum quoque numerus auctus, & par ſtudium ei reſponderet, magno cum honore & fructu per annos XX ferè, hoc eſt, ad Academiæ noſtræ initia, heic perſtitit, vereque oſtendit quis quantusque vir eſſet, ingenio & eruditione multiplici excellens, labore etiam inter occupationes & varias & aſſiduas indefeſſus, orthodoxæ religionis & adſtrictioris diſciplinæ amantiſſimus, Pietate in DEUM nulli ſecundus, & quæ ab ea non deflectit Prudentiâ multum pollens. Ingenium ei ſincerum & candidum, atque ideo ſubdolos & aliud præ ſe ferentes, dicentesque, aliud pectore clauſum habentes deteſtabatur. Candore verò ſic utebatur, ut non minus cautum quàm candidum ſe eſſe, reipſâ oſtenderet, fidens quidem, ſed qui videns. Secreta ac momentoſa non facilè cuiquam revelabat. Judicium, quibuscunque de rebus conſuleretur, tam purum & exactum, ut rariſſimè aberrarit qui conſilium ipſius eſſet ſequutus. Collegarum ſuorum amans, & concordiæ cum iis ſervandæ perquam ſtudioſus, uti in omnes ferè, ſic in eos præcipuè æquus. Gerardo Buningio, Scholæ Conrectori, ob ejusce Pietatem, Doctrinam & ſingularem induſtriam, plurimùm tribuebat. Diſciplinæ ſuæ alumnos, ſi officium, ſi diligentiam, ſi ſolertiam probarent, amore & favore ſingulari complectebatur, eorumque commoda quacunque poterat ratione promovebat. Vitâ erat gravi, aſtricti rectique moris, frugi, ſobriâ, caſtâ, ab omni levitate & laſciviâ abhorrente. Nec tamen natura eum fecerat aut triſtem aut horridum, quamvis pauciſſimi eſſet ſomni, laboris verò multiplicis, ſed erat in eo comitas & affabilitas prorſus ſuavis. Patriam non minus, quàm fortunas ſuas privatas, caram habebat; ideoque ut rebus ejus adverſis vehementer dolebat, ſic ſecundis ex animo lætabatur. Laborantem & afflictam conſilio atque operâ ſuâ, præſertim ab Ordinibus ejusdem ad hoc rogatus, & amiciſſimè invitatus, juvare ac ſublevare ſtudebat quàm maximè. Rem literariam quæſtui habere turpe ducebat, ſuâ ſorte contentus, procul omni ſtudio pecuniæ, ambitione, vanitate, invidiâ, vitam agebat. Sibilos & clamores calumniatorum contemnens & adverſus quorundam minas imperterritus, ab optimo propoſito ſe abduci, aut in recto curſu turbari, non ſinebat; optimâ ſe optimę voluntatis conſcientiâ cum bonorum approbatione conjunctâ ſuſtentans. In communi periculo, cùm ferè trepidarent alij, etiam poſt acceptam aliquam cladem, animo erat nequaquam abjecto, & parum Reipublicę ab hoſte externo metuebat

bat, ad interna verò ejus mala quoties oculos vertebat ex imo pectore ingemiſcebat. Nihil temerè agere, cogitandi & omnia diligentiſſimè expendendi, in eo cura erat ſumma. Itaque in ſua inquirere ipſe ſemper, & retexendo meliora efficere, multum laborabat. Temporis, rei ſcilicet precioſiſſimæ, accuratiſſimam rationem ſemper habebat, ne minimam quidem ejus particulam ſine ductâ lineâ tranſmittebat. Inter dicendum utebatur voce articulatâ, clarâ, canorâ. Has animi dotes, hos mores, hęc ſtudia viri eximij, poſtquam & exteris innotuêre, mirum quàm multorum quoque benevolentia fuerit ſubſecuta. Certè præter alios, Dordrechtani, Leovardienſes, his excitati, ad ſimilem apud ſe functionem, Emdani verò ad aliud vitæ genus capeſſendum, ampliſſimis propoſitis præmiis eum invitarunt. Sed ille, gratiis quibus debebat actis, non ſuum lucellum, ſed Reipublicæ literarię commodum ſemper quærens, Groningæ, quoad Deo viſum, manere, quàm aliò transferri maluit, & quod aliis in ſimili caſu occinere ſolebat, ipſe ad uſum quoque ſuum revocavit dictum hoc vulgare,

Si quâ ſede ſedes, quæ ſit tibi commoda ſedes,
Illâ ſede ſede, nec ab illâ ſede recede.

Videbat quippe Groningam, cujus Curia totius Friſiæ commune velut tablinum videri poteſt, & Studiis ſuis hiſtoricis & Muſis ſedem eſſe longè commodiſſimam: videbat quoque labores ſuos ibidem nec ingratos, nec infrugiferos eſſe. Ubi rerum teſtimonia adſunt, non opus eſſe verbis, ſapientes dixêre. Qui Friſiæ hujus noſtræ res novit, ignorare non poteſt, quàm plurimos viros Pietate, Virtute ac Doctrinâ excellentes, ex Schola Ubbonis Emmij prodiiſſe, Theologos, Juriſconſultos, Politicos. Vixêre jam multi, vivunt plures hodiè, qui ſub Diſciplina hujus adoleverunt, & non in hac ſolum, ſed & in vicinis Friſię partibus, & extra eas alibi, Eccleſiæ, Reipublicæ, Scholiſque vel dudum præſtitêre, vel adhuc præſtant operam & utiliſſimam & feliciſſimam. Conſenuit igitur in hac palæſtra, atque adeò annos XXXV (qui fuit flos ætatis) in pulvere iſto & alibi & hîc trivit, vir, ſi rectè cenſuit magnus ille Thuanus, meliore otio dignus. Dignum quoque eodem cenſuêre Illuſtres hujus Provinciæ Ordines, cùm, egregijs ejuſce virtutibus abundè compertis, eum non ſolum in Illuſtris Academiæ initiis ad Hiſtoriarum & Grecæ lingue profeſſionem, ſed etiam ad primam illius Recturam capeſſendam provexêre. Quid verò in utraque hac provincia ille? Maxima ſane cum laude utramque adminiſtravit. Latinitate namque donatis Academię hujus legibus & præclaris & æquiſſimis, ut literatam juventutem juſtitiâ, æquitate ac prudentiâ ſuâ ſingulari in officio continuit, ſic aures etiam animoſque eorum eruditiſſimis ſuis lectionibus, magnâque diligentiâ imbuit atque inſtruxit, donec grandior ætas per invaletudinem laterumque imbecillitatem eum à publico revocavit. Hanc

tamen jacturam alio modo cumulatiſſimè reſarcivit. Nam & lectionum intermiſſarum diſpendium privatis ſuis & indefeſſis operibus, de quibus mox dicemus, ita amplè redemit, ut gratam æternamque nominis ſui memoriam comparârit: & ſuam à Senatu Academico abſentiam prudentiſſimis ac ſaluberrimis conſiliis in rebus gravioribus benignè rependit, ſuosque Collegas aliosque inviſentes ſanis mellitisque ſuis ſermonibus ita detinuit, ut doctiores lętioresque ſæpenumerò dimiſerit. Et quia cum ſenio ut prudentia, ſic & authoritas ejus creſcebat, quùm in conſiliis dandis plurimùm polleret, in maximis tam publicis quam privatorum negotiis frequentiſſimè conſulebatur, conſultoresque conſilio juvabat prudenti, rebus ipſorum convenienti. Undè factum, ut maximam apud ſuos ſibi pararit authoritatem, cùm inter eos haberetur quaſi commune in rebus dubiis oraculum. Ad amicos literas ſcribebat familiares frequentiſſimè, vix ullus ut dies ei abiret, quo non hoc officij genere defungeretur, & ſæpè complures eodem die exarabat ad diverſos, perinde ac ſi hoc ageret tantum, & à negotiis cęteris feriaretur. Amicitias verò colebat conſtantiſſimè domi foriſque. Ex iis, quos Groningæ arctiùs complectebatur, neminem extra domum ſuam amabat magis & obſervantiâ colebat, quàm Fredericum & Abelem Coenderos fratres, viros genere nobiliſſimos, & virtute ac dignitate in hac Republica maximos; Eggericum Eggeum Phebens Hovetmannum & Scholarcham rarâ pietate, candore & integritate vitæ inſignem; & clariſſimos viros rerumque Belgicarum peritiſſimos, Eberhardum Reidanum, Ill. Comiti Guilhelmo Ludovico à conſiliis, & Pancratium Caſtricomium civitatis Syndicum. Cum his omnia communia habere, ſummâ familiaritate conjungi, unum ferè & idem velle. Emdæ intimè amabat Menſonem Altingium, Theologum ſummum, atque omnium optimè de Eccleſia Emdana meritum. Quocum Genevâ domum reverſus ſtatim initia contraxit amicitię, quę brevi tempore, cum genij inter ſe congruerent, in tantum adolevit, ut nihil illis toto reliquo tempore eſſet conjunctius, adeo quidem ut nulla, vel minima nubecula intervenerit unquam, quę facem amoris mutui inter eos vel ad breviſſimum horæ momentum redderet obſcuriorem. Cùm hoc & in Patria degens, & Groningæ commorans habuit eosdem affectus, eadem deſideria & conſilia. In hujus ſinum, ſi quid ægrimoniæ aliunde hauſiſſet, effundere ſolebat. Eaque inter ipſos erant mutua. Atque hinc literarum inter eos miſſitationes propè quotidianę, quibus ſenſus ſuos alter alteri aſſiduò communicabat. Ab hoc, intima & incorrupta, nec uſquam nutans amicitia ei conſtabat cùm clariſſimo viro, doctrina, virtute & fide ſingulari D. Joanne Althuſio Syndico, & cum Samuele Wingenio Senatore integerrimo, & cum affine Herone Boijen; ad quos ſæpiùs literas dabat, & ab iisdem accipiebat. Perarcta quoque

que & vetus neceſſitudo ei interceſſit cum magni nominis Theologo Doct. Sibrando Lubberto, quæ Genevæ primùm inita, deinde per annos XLVIII circiter ſine vitio continuata, ad ultimum Lubberti vitę diem perduravit. Huic jure merito accenſeo ampliſſimos viros, Gellium Hillama & Joannem Saeckema, binos ſupremi Senatus Friſici ocellos. Sola certè locorum diſtantia obſtitit, non affectus amorque, quominus Emmius eos & hi Emmium totum κλήσει καὶ χρήσει poſſederint. Quanti ſe mutuò ſemper fecerint, teſtantur id amiciſſimæ frequenter miſſæ literæ. Quin etiam ab eo tempore quo ſedes ſuas Groningæ habuit, per annos XXVI, affectum Illuſtriſſimi Principis GUILHELMI LUDOVICI Comitis Naſſoviæ, Gubernatoris noſtri quondam laudatiſſimę memorię, tam benevolum & benignum ſemper ſenſit Emmius, ut humilioris ſuæ conditionis ſibi conſcius, in ruborem ſæpè daretur. Nam viri hujus cordatum ingenium Neſtoreamque in conſiliis dandis prudentiam ſæpè expertus Heros inclytus, eum ad ſe accerſere, benignè habere, per fidos domeſticos, per literas in maximis negotiis conſulere, & à mente ejus haud temerè recedere, in more poſitum habebat. Inter diſciplinæ ſuæ alumnos ob ſincera & aperta ingenia, doctrinam, pietatem, mores incorruptos, pręcipuè diligebat plurimique faciebat, Bernardum Theodorum Agnæum, Eccleſię hujus noſtrę paſtorem p. m. Everhardum Everdes Reipublicæ Emdanæ Conſulem, Rembertum Huſmannum, Henricum Eppium Juriſconſultos, Henricum Altingium, Menſonis Filium, Theologiæ Doctorem & Profeſſorem eximium; nec non viros & natalium ſplendore & publicis honoribus claros, Goſwinum Schafferum, in conſeſſu Illuſtrium Ordinum Generalium Aſſeſſorem, poſt etiam Conſulem civitatis hujus prudentiſſimum, Bartholdum Wicheringium, Joannem Huninga, Henricum Schonenborch, Reipublicæ hujus Conſules: quibus Comes addatur Joachimus Borgeſius, Scholæ Groninganę moderator. Hoſce inquam, ſuos olim diſcipulos, uti præ cæteris amavit, ita ab iisdem reciprocâ ratione ut communis quidam parens & diligebatur & ſummo in honore cultuque perpetuò habebatur. Cum Collegis Profeſſoribus integra atque illibata ipſi interceſſit concordia atque amor mutuus. Præcipuè verò amare viſus eſt magnique facere, celeberrimi nominis Theologum D. Franciſcum Gomarum, & virum è Scotia nobilem Guilielmum Mackdowellum J. U. D. & pręſtantiſſimi ingenij Philoſophum. Extra Friſiam cum viris ſummis animorum conjunctio ipſi fuit, imprimis cum Joanne Wittio Tranſiſulaniæ Quæſtore & vetus & perarcta, tùm cum magno Thuano, I. Douſa, cum Illuſtri Abrahamo L. B. à Dhonâ, cum Davide Chytręo, Hermanno Vultejo, Chriſtophoro Pezelio, Vrbano Perio, Jer. Baſtingio, Jano Grutero, Petro Scriverio, Antonio Thyſio, atque aliis non paucis: quibus

omnibus

omnibus ut charus erat ob ſingulares dotes animi & eruditionem, ita ipſe eos viciſſim amore ſincero & cultu proſequebatur. Cùm igitur nihil ſit appetentius ſimilium ſui, nihil rapacius quàm natura, & hinc bonis inter bonos quaſi neceſſaria benevolentia ſit, quid mirum, ſi & multos & magni nominis viros, in ſui amorem & benevolentiam excitaverint, tam illuſtris in Emmio virtus & eruditio, quæ Sole clariùs in ſcriptis ejusdem elucent? Ut nihil dicam de iis quæ adverſus diſputationes Danielis Hofmanni in re Theologica edidit; nihil quoque de illis, quibus & vitam & ſacra Eleuſinia Davidis Georgij, qui monſtra pudendorum errorum aut furorum veterum à ſe recocta mundo denuò propinavit, ex libris ejus myſticis eruta in lucem protraxit apertam, quæ ſcripta ſine dubio viri pietatem & aſſerendę veritatis ac gloriæ Dei ardens ſtudium commendant; dotes ingenij clariſſimi & vis ignea in hiſtoria ſcribenda maximè effulſerunt. In eo enim ſcriptionis genere ingenium habuit planè ſubactum. Nam in omni omnium populorum ac gentium hiſtoriâ verſatiſſimus, de cujusque gentis ac cujuslibet temporis hiſtoriâ rogatus ex tempore diſſerebat, recitatis omnium locorum, temporis, & perſonarum circumſtantiis, haud ſecus ac ſi premeditatus & paratus accederet ad hiſtorias iſtas exponendas; ut ſatis appareat non fuiſſe eam ſuperficiariam ipſi cognitionem, quæ multis contigit, ſed quæ paucis exactam, ſolidam, ad interiora penetrantem atque deſcendentem. Notiſſimas habebat in veteri & nova hiſtoriâ, non ſolum res geſtas, earumque cauſas & eventus, cujusque populi πολιτείαν, ſed & urbes arcesque à forma, ſitu, magnitudine, ſimulque vias publicas, fluvios, montium tractus, geniumque loci, principum ingenia, mores, cupiditates, ambitus artesque quibus ad honores graſſati, quibus propinquitatibus ſubnixi, quo ſanguine creti. Cùm igitur tot tantisque inſtructus eſſet, ſubſidiis ingeniique dotibus, quæ in optimo hiſtoriarum ſcriptore requiruntur, cœpit de rebus quoque Patriæ ſuæ, hoc eſt, gentis Friſiorum cogitare, quæ orbi hactenus incognita, partim in archivis, partim in monumentis variis Patriâ linguâ ſcriptis latitabant. Quod ut faceret, quanquam res facilis non eſſet, & ad id tempus uſque quo eam occœpit nulli tentata, minimeq; in otio vivere fortuna ei largiretur, tamen Patriæ charitas, & rei ipſius honeſtas ipſum impulerunt. Indignum enim putabat latere ea, quæ memoriâ eſſent digniſſima, & quę rectè & verè cognita non poſſent non toti genti Friſię haud parvo honori eſſe. Semel verò ſtadium hoc ingreſſus, quanquam multa eſſent, quæ abſterrere potuiſſent, tamen obfirmatâ mente perrexit, nec ante à cœpto deſiſtendum ſibi putavit, quàm ad metam perveniſſet. Pervenit verò tantâ dexteritate fideque, ut lectorem ſano judicio pręditum verè in admirationem ſui rapiat. In rerum narrationibus & orationum texturâ crederes eſſeLivium redivivum: in gnomis politicis

Politicis arcaniſque Principum conſiliis rimandis eſſe alterum Tacitum. Denique ita ſcripſit, ut in ipſius hiſtoriam probè quadret prçconium hoc apud Rud. Agricolam, *Rerum*, ait, *ad actiones moresque noſtros pertinentium, ratio ab hujus hiſtoriâ petenda eſt. Quoniam is & benè facta laudando, & quæ contra ſint vituperando, non docet ſolum, ſed, quod efficaciſſimum eſt, exemplis propoſitis, quæ rectè ſecus-ve fiant, velut in ſpeculo oſtendit.* Abſolutâ, hiſtoriæ Friſicæ antè per partes editæ, jam verò in unum corpus collectæ, iteratâ editone, mox ad alterius operis operoſam editionem idem ſe accinxit. Jampridem enim moliebatur divinum illud opusChronologicum, novâ formâ, nec ulli hactenus uſurpatâ conceptum, in quo illuſtriores omnium hiſtoriarum eventus in ſua tempora digeſti inter ſe comparantur, haud minore labore quàm induſtriâ. Ad hoc opus elaborandum non ſufficit ſola hiſtoriarum omnium gentium exacta cognitio, ſed una requiritur rei Aſtronomicæ haud levis peritia, ad temporum epochas, annorumque formas diſſimillimas connectendas, controverſias & difficultates Chronologicas decidendas, amovendasque. A quibus ſubſidiis quanquam eſſet inſtructiſſimus, ut & labori & tempori parceret, libuit ei haud rarò uti operâ ſubſidiariâ, V. Cl. ſummique Mathematici ac Collegæ conjunctiſſimi, Dn. Nicolai Mulerij, in eclipſium aliorumque cçleſtium motuum calculo; ipſique unâ cum Scaligero autor fuit ad Tabulas Friſicas, quas affectas habebat, perficiundas, ac in publicum edendas. Quarum ope tollitur omnis in calculo ſyzygiarum Solis & Lunæ eclipſiumque, labor & operoſa moleſtia. Beneficio igitur fili hujus Ariadnes, hoc eſt, Aſtronomiæ, cum ſe ex temporum labyrinthis explicuiſſet, ſuperatis etiam aliis magnis moleſtiis, quæ inter excudendum occurrebant, opus Chronologicum emiſit omnibus ſuis numeris abſolutum, ſingulari dexteritate paſſim connectens hiſtorias ſacras cum profanis, eccleſiaſticas cum politicis, adjectâ etiam Imperiorum ſerie ac Genealogiis ſuccinctis præcipuorum Regum ac Principum; maximo certè rei literariæ & imprimis cognitionis hiſtoricæ commodo atque emolumento. Non longo poſt tempore opuſculum aliud edidit, in quo complexus eſt ſummatim Illuſtriſſimi Herois GUILHELMI LUDOVICI Comitis Naſſovij pridem Gubernatoris noſtri genus, vitam & res præcipuas domi militiæque prçclarè geſtas, non hujus ſolum, ſed ſequentis etiam ævi cognitione & memoriâ digniſſimas: & hçc duo ſimul aſſecutus eſt; Effigiem ſcilicet optimi, ſapientiſſimi, prudentiſſimi, fortiſſimi Principis exhibet; & maximas plurimasque res in Belgio pro libertate Fœderatorum contra Hiſpanos feliciter geſtas perſpicuâ brevitate conſtrinxit, ut compendium hoc pro breviario quodam aut συνόψει eorum, quç in his regionibus ab anno MDLXXVII ad annum MDCXIIII acciderunt, lectoribus eſſe poſſit. Jamq; çquiſſimum amicis videbatur, virum gravem annis, qui jam tres uitæ aureos,

ut Martialis verbo utar, compleverat, curis & laboribus aſſiduis fractum, à ſcriptione multa porrò abſtinere, quieſcere, reſpirare, laborumque anteactorum memoriâ frui. Sed ille laboribus caſtrenſibus Muſarum induratus quieti ſe tradere nequaquàm voluit, oſtenditque placere ſibi id, quod à forti Principe uſurpatum legitur; *Imperatorem etiam ſtantem mori oportere.* Itaque quamvis annos quatuor pluresve corporis valetudo non permitteret ipſum uti publico, ut ante quoque diximus; mens tamen ſana ac vegeta ad extremum vitæ terminum ſibi conſtans, otium detrectans, tertium meditata fuit opus, rei literarię utiliſſimum, præſertim viris ad Reipub. clavum ſedentibus, aut Principum conſilia regentibus gratiſſimum. In hoc & accuratam deſcriptionem Chorographicam regionum & inſularum à Græcis quondam habitatarum; & medullam hiſtoriæ Græcæ ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diodoro Siculo, alijs, contextam, & diverſos rerumpub. ſtatus, quibus diverſi populi ac civitates in eâ gente uſæ ſunt, repræſentat. Interea dum hi fructus ſuaviſſimi mellitiſſimique ex longâ, multiplici, ſtudioſâ hiſtoriarum veterum lectione decerpti Lugduni Batavorum typis excuduntur, aliquamdiu contra certum typographi promiſſum hærent, rurſum ſub prælo ſudant, rurſumque hærent, author parenſque eorum paulò octogenario minor, à corpore languidus, ab animo pro ætate validus, vulnus accepit graviſſimum ex obitu Egberti filij ſui junioris, juvenis optimi, magnæque exſpectationis, quam mors immatura in Galliâ apud Aurelianos abripuit anno MDCXXV. Huic plagæ poſtremæ animus ejus, qui ſuorum ex hâc vitâ exceſſus, & alia fortunæ adverſæ incommoda hactenus fortiſſimè tulerat, par ægrè eſſe potuit, ejuſque dolori levando inter alia epitaphium ipſi ſcripſit, illudque typis excudi ac vulgari curavit. Superatâ tamen utcunque doloris ἀκμῇ, ad conſuetos legendi ſcribendique labores redijt; & cum res geſtas Philippi Macedonis, Alexandri Magni patris; quomodo ſcilicet per artes verſutiſſimi hujus Principis libertas Græcorum oppugnata conciderit, in commodum reipublicę, Belgicæ præſertim, exponere ſtudet, & ad annum XV. regni Philippi perveniſſet, ſenſit clementiſſimam DEI manum ex hujus vitę ſtatione ſe placidè evocantis. Morbus enim ipſum prehendit doloris expers, interiores pulmonis receſſus occupans, corpuſculiq; virium reſiduum ita ſenſim atterens, ut in Muſéum ſuum per gradus aſcendere non valuerit. Dies igitur plus minus XL cum libris juxta focum ſeſſitans, amicorum inviſentium colloquiis & alloquiis vacavit, multaq; de Rep. de patriâ afflictâ, de mundi hujus vanitate, de deſiderio ſuo abeundi ad Servatorem Chriſtum, diſſeruit animo mirificè patienti, ſereno, confirmato, absque ulla doloris metusue ſignificatione; certus tamen de morbi eventu. Ingraveſcenti morbo acceſſêre vigiliæ ferè perpetuæ, ei quidem ſanitatis tempore

tempore minimè inſolentes, ſed hoc tempore non parum infeſtę. Nam quamvis cerebrum roridâ ſomniferâque exhalatione ſatis ſuperque irrigaretur, ſomnum tamen inire vetabat pectoris anguſtia, reſpirandique difficultas; quo nihil in morbo gravius dari poteſt. Quamobrem viribus corporis deſtitutus in lectulo ſeſe continere coactus fuit, circiter diem XXXVI à morbi principio. Quod vitæ ſuperfuit biduum precibus piiſque meditationibus impendit, animique pietatem ac conſtantiam admirandâ ſuavitate ac prudentiâ profeſſus, aſtantes amicos, & imprimis mœſtiſſimam conjugem liberosque binos præſentes hiſce fermè verbis, ſermone intercìſo affatur: DEUS *longum mihi in terris diem eſt largitus: veſpera jam ingruit. Diem autem illum mediocriter laboribus impendi, quos omninò pro virili Eccleſiæ Chriſti & chariſſimæ Patriæ bono ſuſtinui. Hujus rei mihi probè ſum conſcius, ac teſtis mihi* DEUS. *Satur ſum vitæ hujus. In Dei voluntate penitus acquieſco. Cupio migrare & eſſe cum* CHRISTO *unico Servatore meo. Hæc vita mera moleſtia eſt; etiam quod in ea præſtantiſſimum. Hoc autem præſtantiſſimum duxi, ſi quid laboris perferrem, undè aliquid fructus & boni ad alios proveniret. Vita viatoris quaſi curſus; at ille paratam in Cœlo requiem, qui bené currit, habet. Jam iter ingredior. Nunc dimitte ſervum tuum Domine in pace, quia oculi mei viderunt ſalutem tuam. Salutem tuam expecto ô Jehova!* Non poteſt, inquit Auguſtinus, malè mori, qui benè vixit. Laudabili igitur vitæ laudabilis finis ac coronis acceſſit. Nocte ferè mediâ, quæ præceſſit nonam Decembris, mortis imminentis certamen, poſtremamque naturæ luctam ſentiens, convocatam ad ſe familiam omnem jubet genua flectere, ſecumque præeunte verbis filio, à Deo exorare corporis ſui diſſolutionem & lenem & brevem. Quo facto, cum ipſe capite totoque corpore ſuperiore inter precandum levato, ſurſum oculis manibusque ſublatis, altâ voce & quaſi animo ovans & ſpe plenus fuſas preces ingeminando illud *Amen, Amen*, obſignâſſet, gratiasque pro officio præſtito egiſſet, & illud Simeonis, *Nunc dimitte ſervum tuum, Domine, in pace* iterâſſet, paulò poſt ſuaviſſimè obdormiſcere cœpit, qualem ſomnum inire ſolent ægri, cum nullam ampliùs morbi ſentiunt moleſtiam, ac in iſto ſomno quieteque corporis pia illa ſanctaque anima, ad DOMINUM ſuum æternamque quietem migravit placidiſſimè, adeò ut exitus illius non niſi ceſſante reſpiratione ab aſtantibus animadverti potuerit. Accidit hoc circiter horam ſecundam à media nocte. Hoc curriculum vitę in his terris, hic finis viri præſtantiſſimi fuit. Superſtites reliquit conjugem *Margaretham à Bergen* matronam lectiſſimam, ex eaque natos liberos binos, *Weſſelum Emmium* Eccleſię hujus Groninganæ Paſtorem, pietatis, probitatis, modeſtiæ, aliarumque paternarum virtutum ac eruditionis

vivum exemplar; & *Eliſabetham Emmiam* Virginem indole moribusq; Emmianæ familię convenientibus pręditam. Vixit in hoc mundo annos LXXVIII & dies quaſi quatuor. Vixit inquam, imò vivit, vivetque æternùm, in victuris genio ſuo illuſtriſſimis ingenij monumentis. Fuit ſtaturâ corporis planè juſtâ, inter proceram brevemque mediâ. Artus illi ſatis compacti firmique, εὔσαρκοι veriùs quàm graciles aut macilenti. Caput decorum ſupernè crines denſi ferèque tonſi tegebant. Facies poſtremis annis ſuppalleſcens grato rubore ſuffuſa; in qua frons lata atque exporrecta; oculi, animi indices, cæſij, vividi & acutum cernentes, prout res poſcebat torvi blandi-ve. Totus denique vultus gravitatem præ ſe ferebat multâ humanitate temperatam. In Scholis cum verſaretur vel ſolâ vultus hujus gravitate diſciplinę ſuæ commiſſos in officio continere ut plurimum valebat. Idem tamen inter amicos honoratiores verecundè modeſtus, inter æquales verò aut inferiores blandiſſimâ comitate aſperſus videbatur. Idem quoque corpori mortuo tàm pulcher ac ſibi conſtans manſit, ut viventem videre te putares. Funus ei factum die XIII. Decemb. honorificum, deducente hoc, præter Academiæ Cives, magnâ frequentiâ Civium & Procerum civitatis: cui & intereſſe voluit ad teſtandum dolorem ſuum Illuſtriſſimus & Fortiſſimus Heros ERNESTUS CASIMIRUS, Comes Naſſoviæ, &c. Friſiæ, Groningæ, Omlandiæ Drentiæquę Gubernator. Conditæ ſunt corporis exuvię in interiore parte templi Academici juxta chariſſimos liberos, expectantes reſurrectionem ad vitam æternam. Conditorio ſaxum inſtratum, cui hoc epitaphium memoriæ cauſâ inciſum;

IMMORTALI MEMORIÆ
CLARISS. & PIENTISS. SENIS,

UBBONIS EMMIJ

FRISIJ GRETHANI:
PRIMI ACAD. GRONING. RECTORIS:
THEOLOGI SINCERI,
PHILOLOGI EXIMIJ,
HISTORICI ABSOLUTI,
VIRI PRUDENTIÆ SINGULARIS.
(QUI PER OMNEM VITAM
SUA SORTE CONTENTUS,
LABORE INDEFESSO
DE ECCLESIA AC REPUBL. PATRIA
QUAM OPTIME MERITUS:
VERE PIA DEMUM AC PLACIDISS.
MORTE DEFUNCTUS
HEIC CORPORE QUIESCIT)

MARGA-

MARGARETHA A BERGEN
VIDUA ET LIBERI SUPERSTITES
MOERENTES
H. M. P.
VIXIT IN TERRIS AN. LXXVIII. DIES IIII.
ABIIT IN COELOS AN. CHRISTIANO
MDCXXV, DIE IX. DECEMB. JUL.

H. *Alting.*

Effigiem verò ejuſdem ad vivum in tabula depictam, ampliſſimus inclytæ hujus urbis Senatus, honoris ergò, in Curia, decreto publico ponendam curavit.

ELOGIA ET JUDICIA
Magnorum Virorum De
EMMIO
ex multis pauca.

JOS: SCALIGERI.

QUam jucundæ mihi fuerint priores literæ tuæ, teſtari poſſunt ii qui unà aderant, quum eæ mihi redderentur. Nam quanti & probitatem tuam, & doctrinam ſemper fecerim, non ſolum ego mihi conſcius ſum, ſed & illi, qui me de te ea narrantem ſępiſſimè audiverunt, quæ virtus tua & meritum à me expreſſit. Certè, ſi nihil aliud, ſaltem divina hiſtoria tua Friſica hoc à me exigebat, quam ego judico non ſolum iis, qui ſimilem ſcribere volent, conatum, ſed & iis, qui jam ſcripſerunt laudem præripuiſſe. &c.

Anno MDCVIII. XIII Kal. Septemb.

JAC. AUG. THUANI.

QUòd ad binas quas à te, Vir Doctiſſime, cum elegantiſſimo Friſiæ Orientalis typo accepi, hactenus non reſponderim, nolim ſuperbiæ aut negligentiæ tribuas. Ab altero quippe qui me norunt, ſummè alienum ſciunt, ab altero me occupationes continuæ facile excuſabunt, præſertim apud te, quem & ſummâ animi æquitate eſſe perſpexi, & tanto candore, qui in ſcriptis tuis elucet, ut minimè dubitem, quin quod alius fortaſſe requireret, in me non ſis deſideraturus. Cum his mitto exemplar

primæ hiſtoriarum noſtrarum partis; cujus publicatione vix dici poteſt, quantam in aula noſtra invidiam ſuſtinui. Adeo difficile eſt, ſciſſo jam à multo tempore factionibus regno, ita modum in ſcribendo tenere, ut non laudando ab his adulatoris, reprehendendo ab illis obtrectatoris ſuſpicionem incurras. Et tamen teſtari poſſum Deum & homines, me nihil in toto hoc opere gratiæ aut odio dediſſe, easque duas veritatis peſtes ſummopere ſemper vitaviſſe. Eandem tibi pugnam fuiſſe video cum Originum Friſicarum ineptis aſſertoribus, mihi æquè ridiculis, ac ij, qui Antenores, Helenos, Francos, Marcomiros, Clodomiros, & hujusmodi vanitatis novitiæ monſtroſa nomina Francicis antiquitatibus affingunt, quos à te ſemel exploſos ut generosè deinceps contemnas, ſi me audis, tibi autor ſum, potiusque in pertexendâ illâ Friſicâ telâ ad hanc uſque ætatem, ut polliceris, atque adeo adGroningam receptam allabores. Quod ſi facies omnem Belgicam hiſtoriam noſtri ævi maximè omnium memorabilem complecteris. Ad eum annum, hoc eſt MDXCIIII. noſtra perduximus, optavimusque ſepius, ut quod moliris jam editum eſſet, antequam quæ de Belgicis ſcripſimus, te longè ſecuti, & veſtigia ſemper adorantes ſcripſiſſemus. Nam citra aſſentationem dicam, quare enim apud te? nihil ſimile tuis ſcriptis poſt BUCHANANUM in eo genere me legere memini, ſeu fides, prudentia, ac ingenua libertas, ſive orationis elegans ſimplicitas, ac perſpicua brevitas ſpectetur; ut me temeritatis meæ pudeat, pœniteatque, qui ab his omnibus imparatus tantum opus ſupra vires aggreſſus ſim, & infeſtiores longè, nec ſcriptis diſceptandas animorum contentiones, non ſine vitæ diſcrimine contra me excitaverim. Quippe illi, quibuscum mihi res eſt, quidquid verè & liberè dicitur, in ſuam contumeliam dictum interpretantur, præſertim à me, quem Reip. ratione muneris addictum, tempori ſervire, hoc eſt illorum flagitia diſſimulare, & in ſcribendâ hiſtoriâ idem quod in Rep. adminiſtrandâ temperamentum afferre debuiſſe, ſibi perſuadent, homines præpoſterâ prudentiâ, & iniquiſſimâ mente, qui quo longius à privato abſum, tanto acerbius in me feruntur, quaſi dignitas, & purpura, & non veritas potius hiſtoriæ fidem conciliaret. Tandem meo periculo ſenſi, magnatum odium Veritatis aſſertæ mercedem eſſe. Sed quid pluribus te detineo? Tu vide, & cenſe. Vicem meam ſcio miſereberis, & te exemplo meo ſolaberis. Vale Doctiſſime UBBO, & me virtutis ingenijque tui præcipuum admiratorem & Cultorem redamare perge, & cum otium erit diligenter reſcribe. Lutetiæ Pariſiorum Kal. Septemb. MDCIIII.

Idem in Epiſt. alia inter alia ſic ait.

ITAQUE

ITAQUE poſtremis illis tuis, quanquam omnia tua mihi ſummè grata ſunt, non tàm lætatus ſum, quàm jacturâ piorum dolui, gratiſſimamque longè rem mihi feceris, ſi earum exemplum, ſi quod habes, ad me quamprimum mittas. Nam non is ſum, qui mea ita cœcus amore mei probem, ut non plura amicis, quàm mihi in iis corrigendis permittenda cenſeam; præſertim tibi, cujus & ſingularem in me humanitatem expertus ſum, & facilem in ſcribendo elegantiam cum acerrimo judicio, & veri amore conjunctam, non deſino tua quotidie legendo admirari. Itaque te iterum rogo, hanc amico ſuppliciter flagitanti gratiam ne negaveris, tibique ſic perſuadeas, nullas occupationes, quanquam graviſſimis undique indies premor, impedimento fore, quo minus ſedulò ad tuas reſcribam &c. Novi candorem tuum, & fidem, quam ubique ſi me admonitione tuâ non indignum judicaveris ſequi certus ſum. Friſica tua, an ſis perſequuturus, & quouſque ſis perſequuturus ſcire aveo. His nihil ſimile ſecundum Scotica BUCHANANI noſtra ætas, meo quidem judicio, vidit. &c. *Adde his ejusdem* THUANI *aliud elogium, & quidem publicum, Lib. hiſt.* CXIX. *pag.* 771. *ſub finem.*

Huic, *dicit*, comes addetur SUFFRIDUS PETREJUS Leoardiæ in Friſia natus, qui cum Lovanij in pueritia literis Græcis naviter operam dediſſet, veterum Græcorum ſcriptis in Latinum vertendis animum applicuit, & poſtea à Friſiæ Ordinibus invitatus, origines, colonias, nobilitatem, libertatem, jura gentis ſuæ illuſtranda ſuſcepit: in quibus altius repetendis dum admiſtis fabularum figmentis nimium ſtilo indulget, multorum reprehenſiones incurrit, ut UBBONI EMMIO, qui eam provinciam ſummâ fide ac admirandâ ſimplicitate poſteà executus eſt, potius lampada tradidiſſe, quam ei in ſcribendâ patriâ hiſtoriâ præluxiſſe videatur.

JANI DOUSÆ *Patris.*

Literæ tuę cum re ipſâ, tum verò amoris erga nos ac benevolentiæ notis inſignes, gratiſſimæ mihi fuêre: quas quidem binas diverſis temporibus accepi, multo urbanitatis aſperſas ſale: in quibus admirabilem illam in hiſtoriæ veritate propugnandâ EMMIANI ſtudij conſtantiam evidentiſſime perſpexi, &c. *Sic verò terminat*; Vale mi EMMI, hiſtoricorum ſeculi noſtri (nolit velit Invidia) unico magis unice citra controverſiam Phœnix, graculosque iſtos ac ſpinturnices (quod facis) fortiter fac contemnas; in quo omine mi ocelle deſino. Iterum vale, & nos amare perge mutuum facturos. Ego te in oculis fero ingenij ac doctrinæ tuæ admirator, & cultor præcipuus perpetuusque.

Idem judicium ſuum de Emmij ſcriptis publicè ſic profeſſus eſt lib. I. *Annal. Holl. pag.* 75.

Ideoque

Ideoque, *inquit*, nec in Friſiorum geſtis recenſendis lectoris otio abutemur, ſupervacaneum exiſtimantes ea iterare, quæ ab UBBONE EMMIO legitimo Friſiæ ſuæ hiſtorico fideliſſimè perſcripta ſunt. Cujus ea in Patrię ſuæ antiquitatibus inveſtigandis curioſitas, ea religio fuit, ut (meo quidem animo) parum ſeu potius nihil aliorum induſtrię reliquum feciſſe videatur.

IDEM.

Sermo frequens de te, & DOUSAEO multus in re
EMMIUS: Hiſtoriæ hoc viſa merere Fides;
Incorrupta Fides. quæ quo per tempora noſtra
Rarior, hoc pluris eſt faciunda mihi
CATTIGENIS que meis: res quorum ex ordine geſtas
Te ſparſim FRISIIS inſeruiſſe tuis,
Et video, & lætor. quo nullum hoc ſcilicet ævo
In genere hoc BELGIS clariùs extat opus.
Vera, nec inteſtata loquor. ſcit GROTIUS iſtud
Doctrinâ verè magnus & ingenio;
Et norunt alij plures, quid maxima gentis
Gloria Gallorum ſentiat EMMERIUS;
EMMERIUS, de te ſolitus qui plurima amicè
Quærere, & in laudes luxuriare tuas:
Ante alia Annales meritò admirarier unos,
Expenſos FRISIIS quos tulit UBBO ſuis.
Ter quater ô felix antiqui temporis ætas,
Cui facundo adeo contigit ore cani!
Vos quoque felices tanto ſcriptore libelli,
Ingenij rari, nec minus artis opus:
Vos ego ſæpè meo vos elogio ornaturus,
Teſtabor veterum laudibus eſſe pares.
HIRCINOS alij folles plauſuſque morentur;
Præter monſtra, nihil qui didicére loqui.
Sit, qui caulinis cingat ſua pulpita thyrſis;
Nil præter SCAURUM ſpectet OTACILIUS;
EUNUS APRO tantum ſtudeat ſua ſcripta probari;
Ipſe uno hoc viſus judice VARRO ſibi.
Contenti AUGUSTO vos miratore THUANO
Vivite; majus enim quid dare Fata queant?

JANI GRUTERI.

MI Domine (*inquit ad Ubbonem ſcribens*) habes ſecundam partem hiſtoriæ optimæ, quam tranſmiſit Autor Præſes THUANUS, qui priores tuas ad ſe non recepit. Fac quæſo nunc ſaltem

ſaltem intelligat ipſe gratam fuiſſe & voluntatem ejus & æſtimium de te, cui es inter Hiſtoricos Princeps. Te jure merito diligo & eſtimo virtutes tuas & doctrinas ſupra ſeculum ſuum rectas, & erectas. Pergere te in Hiſtorico illo ca[illegible] feliciter votum meum eſt, & petitio unica. &c. *Et*: Vir & [illegible]ce eximie, non ſine gaudio vidi manum tuam ſemper alioquin mihi optatiſſimam; & tanto magis adpreſſi ori ac pectori, quàm magis ibi agnoſceremus vivam Gratiarum, vivam Humanitatis, tantum non Apellæis expreſſam imaginem. Ego te quidem dudum, uti fecerat quoque THUANUS, habui pro hiſtorico ſeculi hujus ſine controverſia Principe; ſed nunc preterea habere cogor amicorum item primarium. *Idem alibi*: Interim firmiter amo, obſervo, quos judicio certo mihi applicui; inter quos te earum Minervæ, & Conſo caput, jure merito habeo agnoscoque Principem. Juvenes, qui ſenibus ſubſtituuntur, vanitate ſeculi ſui inflantur, nihilque reſipiunt ſolidi. Eaque propter te inter probos doctosque æſtimo vero precio, hoc eſt ſingularem; cuique in hiſtoria nihil eſt hodie prius, nihil ſecundum. Si licet, velim & nomen meum comparere juxta DOUSAM noſtrum, ac breviculo epigrammate teſtabor, animis nos fuiſſe cognatos.

Epigramma id tale eſt.

Quiſque hodie hiſtoriæ numeros impleſſe putatur,
Qui de re quâvis dicere plura poteſt.
Quive adeò fumos aut ſomnia vendere doctus,
Stemmata cujusvis continuare queat;
Fabellasque gravi jacere ac miracula pompâ,
Quâ pueri expaveant, fæmineumque genus.
Paucis culta Fides, paucis reverentia Veri eſt,
Nemo at Mnemoſynem demeruiſſe ſitit;
Mnemoſynem, monumenta ſuis quæ ſola receptat
Illa tholis, Vanum inde exulat inde Nothum.
Non tulit id Phœbus, prolesque novena Monetæ,
Corque tibi thyrſo terque quaterque ferit,
VBBO EMMI. *hinc Friſicæ ſurgunt geſta omnia gentis,*
Picta Minerva ſuo quæ velit eſſe peplo.
Quæque Cupidineæ aurato mucrone ſagittæ
In tabulis ſcribat Gratia terna cedri:
Moxque Honor ac Virtus templo deponat avito,
Heic aras ubi habet Anna Perenna ſuas.
Quottidie quibus Hora roſas, quibus Hebe amaranthos
Sufficit; at nectar ambroſiamque Venus.
Macte EMMI *hac curâ, macte hoc opere* VBBO! *perennis*
Hiſtoriæ tu Dux, tu coryphæus eris.

Quamque tibi magis invidia atque inſcitia dentes
Oſtendunt, annos hoc magis ipſe feres.
Perque omnem Europam vectus famæ allice pennâ,
Excipière hominum dulce Deûmque decus.

PETRI SCRIVERIJ.

ESſe quid hoc dicam? tibi debita fama negatur,
Ubbo? tibi, patriæ quem voco jure patrem.
Nam ſine te (verum teſtor) vir magne fuiſſet,
De Friſiis vanum jam legeretur opus
Jam Suffridæis premerentur noſtra Chymæris
Pulpita: jam monſtris omnia plena forent.

Ita verò, exploſis fabulatoribus, carmen claudit.

Sed queis judicium, queis eſt mens ſana, pudorque,
Lectores libris det Deus Ubbo tuis.
Qui pretium faciant, cedroque & murice donent:
Abſtineat ſcabras cætera turba manus.
Ante focum pueris veterum deliria nutrix
Narret, & Occonem garrula laudat anus.
Te gravis æternâ commendet voce Thuanus,
Noſter & ingenti Grotius *ore legat.*
Me quoque mirantem generoſi fulmina Veri
Devinctum ſancto pignore pectus habe.

D. HEINSIJ.

CUm in tam eximio volumine & æterno opere, quo Patriam & univerſum Friſiorum nomen, candore admirabili, ſummâ induſtriâ, ſingulari facundiâ, quamdiu ullum in terris eruditioni erit præmium, tibi obligaſti &c.

DAVIDIS CHYTRÆI.

CLariſſime & optime vir, amice colende, accepi tandem diu deſideratam rerum Friſicarum hiſtoriam tuam, ſingulari & exquiſito judicio, & prudenti rerum delectu, & illuſtri orationis disertæ ac perſpicuæ copiâ elaboratam, & chorographiâ totius Friſię accuratâ eruditiſſimè ornatam. Pro munere quod dediſti, reverenter tibi gratiam habeo, & poſteris, qui hæc recentiora legent gratulor: Anno MDXCVI. *Idem alibi.* Ego quidem publico literarum & Reip. nomine gratias tibi officioſè ago, quod hunc laborem, non Patriæ ſolum tuæ, & toti viciniæ, ac tibi ipſi honorificum ac ſalutarem, ſed omnibus etiam bonis & doctis gratiſſimum

mum ſuſcepiſti, & conſtanter urges: & Deum, ut vires animi, & corporis ad ea, quæ inſtituiſti, perficienda tibi tribuat, ardentibus votis precor. Pro hiſtoria tua Friſica omnibus elegantiæ numeris perfecta, remitto rudem ac nudam rerum proximo ſexennio in hoc Arctoo orbe actarum annotationem.

HECTORIS BOURICIJ in ſuprema Friſiorum Curia Senatoris ad GRONINGAM.

INvicta ſedes fœderati Belgij,
Alumna belli, Martis & Muſæ domus,
Victrix Marani Bæticique fulminis,
Aſſerta poſtquam jura, libertas, fides
Te vendicarunt; ſcilicet parum fuit
Quod Marte præſtas, quodque limes Belgij
Cluis GRONINGA, *ſede quæ Muſas novâ*
Nuper beaſti, quæque tot claros viros
Iubes vacivos Martias inter minas
Labore docto demereri poſteros;
Beata ſedes, quam hoſpitator EMMIUS,
Fax literarum, temporis priſci pater,
Vindexque veri, ſæculi noſtri decus,
Ocellus orbis, patriam ſumſit ſibi.
Quo cive ſolo gloriari plus potes,
Quam cive gaudet Patavinus LIVIO.
At hæc prius fuêre; nunc jacet, jacet
Ætate, curis fractus & laboribus,
Fato peremtus, omnium inſtar EMMIUS.
Et tu GRONINGA *cive quæ magno cares,*
Orbata tanto literarum vindice,
Scriptore tanto deſtituta patriæ,
Quæ condis oſſa maximi hoc ævo ſenis,
Unum memento, poſt hac eſſe neminem,
Qui geſta condat, unum præter EMMIUM.

P. WINSHEMIJ *Friſiorum hiſtoriographi.*

QUod ad EMMIUM attinet, is etſi divina ſua ſcripta ad quorundam in gente noſtra palatum non temperavit, accedendum tamen in hoc eſt omnium literatorum judiciis, ne privatis affectibus metiamur gloriam tàm ſublimium monumentorum. Ut turpe ſit illi Viro, cui quaſi totus orbis in ſcenam prodeunti adſurgit, nos ſolos iniquiores eſſe, ac illud nomen

temerare, quod & ſanctum cunctis gentibus eſt, & conſecravit ſe æternitati. Pauci enim dies quibus à Cl. Heinſio accepi magni AUG. THUANI de EMMIO teſtimonium, quod tale erat, ut vel hujus videndi cauſâ Belgium ſalutaret, ac coràm, quemadmodum appellat, intueretur hoc naturæ miraculum. Mitto quid uterque DOUSA fecerit. Tantum abeſt poſſe Virum tàm Illuſtrem trahere in deſpectum, & illius odium tutò nobis concitare, qui in animis hominum ære perennius monumentum reliquit. Ejus enim ut magna admiratio, ita cenſura difficilis &c.

H. VULTEIJ.

AGo verò tibi ingentes gratias pro inſigni munere Commentarij rerum Chronologicarum, quo me ſuperiore panegyri Francofurtenſi donatum voluiſti. Appendicem, de qua me nunc, & nuper monuiſti, avidiſſimè expecto, ut hoc gaudium mihi ſit perfectum. Legi nonnulla, ex quibus operis totius præſtantiam colligere mihi non fuit difficile, lecturus totum ubi appendix acceſſerit. Sed fateor ingenuè mi UBBO, hæc ſupra captum meum ſunt, ita accuratè & exactè conſtituiſti omnia, ut etiam iſtarum rerum peritis arbitrer aquam hærere poſſe; &c. 1620. Aprilis 5.

I. KIRCHMANNI.

CUm verò in hiſtoriarum lectione parum feliciter quis verſetur absque Chronologiæ face, non poſſum quin tibi commendem, Chronologiam UBBONIS EMMIJ ante annum primùm editam, qui mihi omnium induſtriam videtur ſuperare in aſſignandis temporibus omnium regnorum, quæ ab orbe condito floruerunt, & adhuc florent, & quidem in libro peculiari, quem Chronologiæ præmiſit.



Rauenſpergerides, quo Teutonis ora ſuperbit,
Fingere quem cupiat Lyſippus, pingere Apelles,
Sic oculos, ſic ora ferens, pro tempore in are
Conſpicitur cujus laus ære perennior omni est.

F. IACOB HENNINGIVS.

HERMANNUS RAVENSBERGERUS.

PRimum Academiæ Rectorem excipiat primus hic in ea Theologiæ Profeſſor. Edidit deditque eum nobis Naſſovia, ut Heroum Martiorum, ſic bonorum ingeniorum fœcunda genitrix, feliciſſima educatrix. Oppido Sigenâ, tùm Comitum Illuſtrium ac Generoſorum Aulâ, tùm Scholâ quoque Illuſtri jam olim celeberrimâ. Natalis ejus incidit in Pridie Kal. VIIIbr. anni ſeculi ſuperioris ſexti ſupra octogeſimum. Pater ei *Herm. Ravenſbergerus*, Mater *Eliſabetha Munceriana*, Orthodoxę fidei profeſſione, pietatisque ſtudio non minus quam honeſtâ utrique familiâ inter ſuos notiſſimi & laudati. Horum paternâ curâ inde à teneris in Gymnaſio patrio bonis literis conſecratus & imbutus, cum ad capeſſendum ſublimioris facultatis ſtudium maturuiſſe videretur, primum Juriſprudentiæ ſeſe dedidit, ductu Dn. Doct. Antonij Matthæi Jcti longè Celebratiſſimi, poſt primarij in hoc noſtro Athenæo Juris Profeſſoris, ipſiusque licèt per tempus breve Collegæ optatiſſimi. Huic ſtudio cùm ad tempus tùm in Illuſtri Schola Naſſovica Herbornæ, tùm in alma Academia Palatina Heidelbergæ ſatis feliciter eſſet operatus, ad Sacroſanctam Theologiam animum appulit, illique tùm Herbornæ Ductore ac Doctore Johanne Piſcatore Theologo eximio, & de Eccleſia Dei optimè quà voce vivâ quà ſcriptis merito, tùm poſtea in inclyta Cattorum Academia Marpurgi ſub Eruditiſſimo ac Diſertiſſimo D. Schonfeldio omni ingenij contentione incubuit. Cujus quidem induſtriæ ſuæ ſperatos fructus laborisque exantlati juſtum præmium maturè ſatis adeptus eſt, tertium tantum ſupra vigeſimum ætatis annum agens, in eadem Academia Theologiæ Doctor publicè rituque ſolenni cum honore renunciatus, Anno ſeculi hujus nono. Mox anno ſequenti, ut ad plures partas ingenij dotes diffundere poſſet, ab Ill. Comitibus Naſſoviis profeſſio ei Theologica in Gymnaſio patrio eſt demandata, ut redderet almæ matri ἀυτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον quicquid ex Sapientiæ Theſauris, ceu ſacrum depoſitum, ingenio ejus olim ea crediddiſſet. Hac occaſione cum longius etiam latiusque florentis ingenij eximię doctrinæ ejus fama increbuiſſet, aditum ea ipſi ad altiora mox reſeravit. Vix enim triennio in profeſſione Herbornenſi exacto, Ill. ac Gen. Comites Benthemici ſolenni vocatione inde eum exciverunt, ipſique non tantum in Illuſtri ſuo Steinfurtano Profeſſionem Theologicam, ſed & Eccleſiarum per Comitatus ſuos regendum clavum commiſerunt, anno 1614. Inde paulò poſt ab Illuſtribus Groningæ & Omlandiæ Ordd. ad hanc Academiam noſtram, quam tunc recens aperuiſſent, primus Profeſſor Theologiæ vocatus, eam Spartam quoad vixit per annos XI voce vivâ, ſcriptis quoque non-

1586
1609

nullis ornavit. Recturam ejus ter cum gloria geſſit, quartamque gerere aggreſſum mors occupavit. Namque morbo lento qui annum plus minus ei adhæſerat, confectus, illuſtribus ſeriæ reſipiſcentiæ fideique Chriſtianæ documentis exhibitis, Cœleſtem vitam anhelans, inter preces Rev. fidique verbi Divini Miniſtri, Dn. Cornelij Hillenij, placidè exſpiravit xx die Decembris Anno Chriſti M DC XXV.

CORNELI-



Cuius ad obſtupuit divinæ oracula vocis,
Motaq; de ſolitâ eſt Africa barbarie:
Qui ternis docuit Leges et jura Cathedris;
Hei mihi: quod tantum ſupprimat Umbra caput.

H. Nevhusius. Adv. Fris.


CORNELIVS PYNACKERVS,

NAtus eſt anno ſupra millesimum, quingenteſimo ſeptuageſimo, die ſextâ Julij, Patre *Adamo van KercKhoffe*, Concilij Chomatarchici Delphici quæſtore: Matre *Johanna van Polanin*, utrisque honeſtâ & veteri familiâ oriundis. Locus natalis eſt pagus, ei cognominis, *Pynacker*, in agro Delphenſi, modico milliari ab urbe abjunctus. Septennis mittitur Delphos in ludum literarium, ibique Linguas, Græcam & Latinam, atque artes organicas exactiùs edocetur. Indè ut uberiorem ingenij cultum caperet, abiit Leydam, ubi Theologiæ operam dare cœpit, & diſputatione de Pontifice Romano publicè habitâ, hoc ſtudium continuavit Heidelbergæ anno 1590. Hìc aliquantiſper commoratus, cum Genevam iter inſtitueret, Vir illuſtris & generoſus Elbertus à Pallant, Dominus in Selm & Dirsfort, ipſum ſtudiorum & itineris comitem per Italiam, Siciliam, Pannoniam, Moraviam, Bohemiam, Germaniam, ad Arcem ſuam Selmenſem, quę eſt in Cliviâ, reduxit. Leydam reverſus ſe totum, mutatis ſtudiis, Romanę Jurisprudentiæ tradens, eam decumanâ induſtriâ juris ſcientiam acquiſivit, parvorum annorum ſpatio, ut, pręviâ diſputatione inaugurali de jurejurando, ab Everardo Bronchorſtio, Juris Utriusque Doctor renunciaretur, anno 1597. die 16 Maji. Duobus poſt menſibus foro & cauſis orandis in ſuprema Hollandiæ Curia ſe dedit. Sed vix Praxin exercere cœpit, cùm Leydam revocatus in numerum Profeſſorum cooptatur, poſtquam Iulius Beima, Iuris Profeſſor, indè ad ſuos, ad Curiam & Ordinem Senatorium in Friſia, allectus, Cathedram juridicam vacantem reliquiſſet. Hoc munere Profeſſorio dùm fungitur, primo conjugio ſibi jungit *Suſannam de Treslong*, viduam, filiam Guilhelmi Blæſenſis, dicti Treslong, Maris apud Zelandos præfecti, qui, nec non comes Lumæus & Bartholomæus Enteſius, Albanis temporibus, tempeſtate ita ferente, Brielam in poteſtatem redegerunt; quod annales Belgici loquuntur. Cæterum Profeſſionem Leydenſem ſuſtinet, adusque annum 1614 quo ab Illuſtribus ac Prępotentibus Groningę & Omlandiæ Ordinibus ad novam Academiam vocatus eſt Groningam, ubi in vaſtum, at indigeſtum Controverſiarum Corpus Andreæ Fachinei, juxta ſeriem Digeſtorum & Codicis concinnat indicem; qui ſeorſim primò Groningæ eſt editus, dein Coloniæ Agrippinæ ipſi operi prefixus. Habebat præterea Commentarios in varios Digeſtorum titulos conſcriptos: Conſilia item innumera, ſed ut ea publici juris faceret adduci non potuit, dictitans, Nihil jam ſcribi quod non ſit ſcriptum priùs. Hiſtoriam equidem Drentiæ poſtremis annis orſus erat: quam, opinor, typis divulgaſſet, ſi fata fanda

non

non abrupiſſet. Dum autem Groningę magno cum Auditorum applauſu docet, præter expectationem, ampliſſimum Legationis (poſtea repetitæ) munus ei imponitur. Nam captis à Turca Hollandorum navibus onerariis centum quinquaginta, in mari Luſitanico, Gaditano, Balearico, Liguſtico, ab Illuſtriſſimis & Potentiſſimis Fœderati Belgij Ordinibus, adnitente Celſiſſimo Auraico Principe Mauritio, ad Baſſas, ſive vice-reges Regnorum Juliæ Cæſarię & Tuneti, ad ipſorum Senatum, ſive Diwana apud Barbaricos in Africa, ablegatur anno 1622. pro redintegranda pace cum Turcarum Imperatore, pro repetendis navibus, pro redimendo numeroſo captivorum grege. Tribus fermè luſtris in exotica & barbarica negotia impenſis, redit in Patriam. Hagâ Comitatenſi ubi aliquantulum ſubſtiterat, relictâ, ſeceſſit in Drentiam, hinc ab Illuſtribus & Præpotentibus Friſiæ Ordinibus ad primariam Iuris Profeſſionem Academiæ Franekeranę vocatus eſt anno 1636. Mortua priori uxore tranſiit ad ſecundas nuptias anno 1641. ductâ *Sybilla Boterpot*, *Antonij Boterpot* Secretarij quondam & Graphiarij urbis Vianæ, filia, Domini Iacobi Sas, in Curia Vltrajectina Senatoris ſorore. Denatus eſt anno 1645. die 12. Ianuarij horâ duodecimâ.

NICOLA-



Hos quicunque vides vultus mirare peritam,
Artificis dextram: ſed ſi luſtrarier intus
Ingenium cæleste queat, quod ſidera novit,
Cælumque, et rapidos ſolis lunæque meatus,
Germinaque et quicquid medica pater abdidit arte,
Hæſerit hac totus defixus imagine mundus.

H. SCHONENBURG.

NICOLAUS MULERIUS.

ORtus eſt Familiâ antiquâ pariter & opulentâ, *des Muliers*, Gallicæ, ut creditur, originis; quæ jam ante duo & quod excurrit ſecula ſedem fixit in cognomine colonia, Inſulis Flandrorum non longe diſtante, ac Vindocinenſis Ducis regimini obnoxiâ. Pater ipſi fuit *Petrus Mulerius* Theologus, Vir ſpectatę pietatis, qui communis illa ætate ſuperſtitionis ac idololatriæ abominatione agnitâ, ad ſanioris Religionis lucem oculos atque animum convertit: & mox veritatem publicè amplexus, ejuſdem Præconem inter cives ſuos egit. Factum id Brugis urbe Flandriæ notiſſimâ, & præclarorum ingeniorum fœcundâ matre, ubi habitabat. Conjugem tunc habebat fœminam religioſiſſimam *Claudiam le Vettre*, quæ & ipſa deſerto Papatu Evangelicis cœtibus ſe junxerat, ex quâ cum alios tum *Nicolaum*, hunc de quo ſermo nobis eſt, ſuſcepit, Anno 1564. Decembris 25. die Natalitijs Chriſti ſacro. Sæviebat ea tempeſtate feralis Belgio Inquiſitio, nefaria perſequutione exterminatura quicunque Pontificiam idolomaniam averſarentur, atque inprimis ſacrorum aliorum antiſtites. Incubuit illa & Brugenſium oppido: ac parum abfuit quin *Petrum* quoque unà cum familia univerſa oppreſſiſſet, niſi præmonitus de periculo ab urbis Senatore, domo & ſuppellectilibus omnibus relictis, ſe ſuoſque tempeſtivâ ſeceſſione ſubduxiſſet Meninam: quæ Flandriæ & ipſa civitas, ad Legiam fluvium ſita, tertio lapide Inſulis diſtat. Sed nec licuit hic tuto eſſe, inſequente ipſum Titelmanno Decano Ronſenſi, hæreticæ pravitatis (hoc ſtigmate ſincerioris fidei profeſſio notabatur,) Inquiſitore. Quod cum denuò ipſi innotuiſſet, amici cujuſdam indicio, captivitatem atque necem, quæ parabantur; etiam tunc feliciter declinavit, & urbe elapſus, in proximam ſylvam ſe abdidit; tres ſecum trahens liberos, & hos inter *Nicolaum*, annum agentem tertium. Subſecutura autem maritum Uxor *Claudia*, & calamitatis futura ſocia, ab armatâ perſecutorum manu intercepta eſt, prodita à vicino cum jam in viâ eſſet, minimam natu prolem ulnis ſuis geſtans. Hæc itaque carceri mancipata, & ſqualore ejus per annum integrum macerata, cùm neque ſtropharum argutijs à veræ fidei profeſſione abduceretur, neque hujus conſtantia infantis ablatione labefactaretur, tandem Albani Ducis ſanguinario decreto morti adjudicata fuit: quam Religionis ergo adijt Ipris Anno 1568. lætiſſimo conſtantiſſimoque animo, ſermone vernaculo concinens Pſalmum 27. *Le Seigneur eſt la clartè qui m'adreſſe, etc.* Quod vero ſanctitate vitę, morumque commoditate exemplum prębuiſſet omnibus, dum vixit, gratiſſimum, eam conſecuta eſt ultionem, ut plebs in ne-

ſarium indicem odium conciperet vehementiſſimum, nec tantum Judam proditorem infami nomine appellaret, ſed etiam officinam ipſius ſubrueret, gravius quid in hominem proculdubio ſtatutura, niſi voluntario exilio urbe exceſſiſſet. Aſt *Claudiæ* maritus *Petrus*, dici non poteſt quantum ex obitu lectiſſimæ Conjugis mœrorem conceperit; qui poſt illa Brugas repetiit, ibique *Nicolaum* filium primis literarum rudimentis initiandum dedit. Inde Caletum ſeceſſit, non ante annum 1577. & Gandavenſem Pacificationem Brugas regreſſus: quo tempore modò dictum filium in diſciplinam tradidit Clariſſimo Cruquio, à Commentarijs in Horatium ſcriptis inter eruditos nomen ſortito. Sed non diuturna iſthæc quies vel Patriæ fuit, vel ipſi. Recruduerunt enim civilia bella, idem ſecum calamitatum agmen trahentia, & ipſe novum exilium ſubire neceſſum habuit. Cujus ſedem Lugduni Batavorum maluit ponere, ceu loco ſtudijs Filij jam matureſcentibus magis opportuno. Hic igitur *Nicolaus* inter Academicos nomen profeſſus, Philologiæ primum ac Philoſophiæ, dein etiam Theologiæ mentem manumque applicuit. Quo minus tamen hanc ſibi Spartam unicè ornandam ſumeret, cùm alijs de cauſis, tùm ſecreto quodam genij ingenijque ductu factum eſt, quibus ad Medicinam ac Mathematicas diſciplinas excolendas fuit avocatus. Non neglexit tamen planè Theologiam, ſed aſſiduum ſeſe præbuit auditorem Lamberto Danæo, Iſagogen ſuam publicè tradenti. Adjunxit preterea linguarum Orientalium Hebrææ Arabicæque, nec non Chronologiæ ac Hiſtoriarum cognitionem. Quam uberrimam & accuratiſſimam conſecutus eſt ſub inſtitutione Virorum Celeberrimorum Juſti Lipſij, Bonaventuræ Vulcanij, Johannis Heurnij, Gerardi Bontij, Rudolfi Snellij, Franciſci Raphelengij, & aliorum: Ac tandem ſummis in Medicina Doctoræ honoribus auctus fuit d. 24. Martij Anno 1589. Promotore Johanne Heurnio; quo eodem die atque actu eadem cum ipſo inſignia ſuſcepit Nicolaus Forterius, vitæ ac ſtudiorum ſocius *Mulerio* individuus. Matrimonium mox inijt Kal. Novemb. anni ejuſdem Amſtelodami cum Virgine moratiſſima *Chriſtina Six*, Senatoris Audomaropolitani filia; idque ſub oculis Parentis adhuc ſuperſtitis, quem biennio poſt anno 1591. Leydę defunctum luxit. Ipſe quando familiam habere, praxin quoque Medicam exercere cœpit, quæ adeo felix obtigit, ut fama illius moti Harlingenſes, Ordinarij Medici titulo primum *Mulerium* evocarint anno 1590. In qua ſtatione totos tredecim annos exegit, tanto omnium favore & amore ſubnixus, ut cum ob rationes domi natas Amſtelodamum abire cogitaret, anno 1601. cives dignitate primi, numero quinquaginta & amplius, repetitis ſupplicibus libellis apud Magiſtratum inſtiterint, ſibi ut ſuus Æſculapius retineretur, aucto etiam honorarij vice ſtipendio. At enim

non niſi

non niſi biennij ulteriorem moram Harlingę traxit, anno 1603. Amſtelodamum profectus, ubi larem fixit. Neque diu poſt ab Illuſt. ac Potentibus Groningæ ac Omlandiæ Ordinibus Ipſi delatum Medici Provincialis munus, quod admiſit, & cum familia Groningam commigravit. Anno 1608. cum Gymnaſio Leovardienſi Moderator quæreretur, & qui huic functioni deſtinabantur Clemens Timplerus, & Otto Caſmannus, poſterior morte, prior à Generoſiſſimo Comite Benthemenſi, in dimiſſionem non conſentiente, præpediti, obtineri non poſſent: ſuaſu Johannis Bogermanni & Goſwini Geldorpij Eccleſiæ Leovardienſis Miniſtrorum, *Nicolaus Mulerius* electus Gymnaſioque præfectus fuit. Quod magna cum laude ſuâ, & diſcentium commodo haud minore, moderatus eſt, uſquedum ad Profeſſionem Medicam Groningam revocaretur; prælectionibus Philoſophicis ac Philologicis Juventutem ſibi commendatam magis magiſque parans Academijs & publicæ illarum inſtitutioni. Et licet poſt obitum Johannis Druſij Linguæ Hebrææ in Academia Franekerana Profeſſoris celeberrimi, ſuffragijs Illuſt. Friſię Ordinum, Succeſſor ei deſtinaretur; aliam etiam conditionem Senatus Embdanus anno 1612. offerret; non tamen ſe paſſus eſt exorari. Fixum enim animo habebat, cujus olim ipſi ſpes facta fuerat, Academiæ Groningæ & Omlandiæ ſe ſuoſque labores conſecrare: de qua erigenda jam per complures annos conſilia agitabantur. Ea autem demum anno hujus ſeculi decimo quarto optatum diu eventum ſortita ſunt, Academiâ Provinciali Groningæ apertâ: Ad quam Ipſe ex primis expetitus & accerſitus fuit; delataque Medicinæ Profeſſio, nec non Linguæ Gręcæ Matheſeoſve: alterutrius eligendę factâ poteſtate; quarum hanc, Mathematicam nimirum, Medicæ conjungere maluit; & utramque ad finem uſque vitæ, ex uſu publico ſuſtinuit. nullis aliorum ſollicitationibus, ne quidem Academiæ Lugdunenſis Batavæ Curatorum aures præbens, aut aſſenſum. Quemadmodum autem ſtudijs Mathematicis inde à prima adoleſcentia impenſè delectatus erat, ita quoque cum ante, tum poſt adeptam illius Diſciplinæ Profeſſionem, magna cum voluptate incubuit. Hinc nata varia ſcripta, quæ accuratione magna concinnavit, quædam etiam publicę utilitati conſecrata in lucem dedit. Primum eorum vulgavit Harlingæ anno 1595. Aſtrolabium nempe, ſeu Sphæram planiformem, addita ſuccincta ejus explicatione, tribus libellis Belgicè adornata, quorum poſtremum in repetita ſub vitæ finem editione ſuſtulit. Succeſſêre Ephemerides ab anno 1609. ad uſque 1626. (quando Filio ſuo *Petro Mulerio*, Med. Doctori, poſtmodum etiam Botanices Profeſſori, lampada hanc tradidit:) ſummo cum judicio ſcriptæ, parique applauſu exceptæ. Majoris autem momenti atque etiam laboris fuit, quod inſtigantibus Illuſtri

Joſepho Scaligero & Celeberrimo Ubbone Emmio ſuſcepit, & anno 1611. edidit Opus Tabularum Friſicarum Lunæ-Solarium. Hæſit autem tunc non exiguo tempore, ubi iſtud excudebatur, Alcmariæ, quo prælo adeſſet corrector: eaque occaſione Novatorum turbis aliquatenus fuit implicitus. Cum enim Adolphus Venator, ibidem Eccleſiaſtes, homo non factionis Remonſtranticæ modo, ſed etiam Socinianiſmi veneno infectus, *Mulerium* ad crebriores de Religione collationes provocaret, Ipſe Zelo veritatis ductus ſæpiùs in certamen cumVenatore deſcendit. Atque hinc perſpecto novorum dogmatum periculo, poſtquam Conradum Vorſtium ad Profeſſionem Theologicam in Arminij locum Leydam vocatum accepit, non ſemel apud Academiæ illius Curatores per literas interceſſit, omni conatu id agens, ne vocatio ſuccederet. Arbitrabatur enim Sacramenti religione, quâ cum Doctoræ honores conſequeretur adſtrictus fuerat, ſe teneri, ut quod ad præſentiſſimam Academiæ iſtius perniciem facere perſuaſum habebat, id bonâ fide ſignificaret. Impacta tamen ipſi eo nomine Sycophantię calumnia, à Vorſtio, in Apologia pleniori: à qua ſe ſcripto oppoſito purgavit, attamen typis deſcribi noluit, ſuæ ſe innocentię involvens, quæ tacentem rectiùs defendebat, quàm Adverſarium loquaces chartæ tuebantur. Utilioribus igitur ſcriptis partam jam gloriam extendere maluit; qualia fuêre quæ ab ipſius manu deinceps prodierunt in lucem, Inſtitutiones Aſtronomicę duobus libris comprehenſæ anno 1616, & anno ſequente Nicolai Copernici Revolutionum libri, integritati ſuæ reſtituti, ac notis illuſtrati; alteroque rurſus, occaſione feralis Cometæ, quem univerſa Europa fulgentem exhorruit, tractatus de eodem vernaculo idiomate editus; denique liber de Anno Iudaico ac Turcico anno 1630. luci datus. Cæterum dum Groningæ profeſſione functus fuit, non tantum Academiæ utilem operam præſtitit, Anatomicis ſectionibus aliquoties inſtitutis, Bibliothecæ curâ ad vitæ finem uſque, Rectoratu autem Academico altera vice geſtis: ſed & extra eam Medicam Praxin feliciſſimè exercuit; & cum Anno 1621. Societas Indiæ Occidentalis inſtitueretur, ob ſingularem rerum illarum peritiam, in Collegium Directorum hujus Provinciæ, inter primos allectus, & ejus nomine ad conventum Societatis ſupremum, quem XIX-virûm vocant, non ſemel delegatus fuit. Interceſſit præterea Ipſi cum primarijs Reip. Proceribus, doctiſſimiſque per Europam Mathematicis familiarior amicitia, cujus conſervandæ augendęque ſemper fuit ſtudioſiſſimus. Habebat autem eas dotes, quæ plurimum ad neceſſitudines conciliandas faciunt, bonam mentem, pectus candidum, vultum gravem ſuavitate temperatum, ſermonem gratum, mores compoſitos, ſimileſq; illecebras tam viſu facilem quam dictu affabilem omnibus præſtantes. Quibus artibus quosvis ſibi amicos parare, paratos ſervare proclive fuit. Nec

fuit. Nec defuit favor ipſorum hujus ac vicinæ Provinciæ Gubernatorum, Illuſtriſſimorum Guilielmi Ludovici, ac Erneſti Caſimiri Naſſoviorum, qui Ejus tum in Medicinâ facienda, tum in Republica adminiſtranda conſilium, non rarò poſtularunt, ſecutique ſunt. Hoc modo cum ætatem ageret, non potuit ejus extremum grave eſſe. Quod abſolvit ipſo die Dominico Nonis Septembribus anni 1630. breviſſimo quidem, at non infelici compendio. Poſtquam enim eopſe die Sacris Cœnæ Dominicæ interfuiſſet, ſupremum funeris honorem Collegæ in Societatis Indicę cura præſtitiſſet, domique tum nepotum Catechizatione, tum pijs de mortuorum reſurrectione meditationibus ſeſe oblectaſſet, colicis tentari cœpit doloribus, cumque in culina conſediſſet apoplexia quoque correptus fuit. Unde prolapſus inter ſuorum lachrymas, & preces à Collega vicino Henrico Alting Theologo conceptas, piam animam exhalavit: in choro Templi Academici tumulatus, exſequias euntibus, mortuumque lugentibus omnium Ordinum hominibus frequentiſſimo agmine. Vixit in univerſum annos 65. menſes 8. dies 12. exactis in Profeſſione annis 16. & 13. diebus. in matrimonio autem annis ferè 41. Reliquit ſuperſtites Uxorem primam, & quos ipſi pepererat liberos utriuſque ſexus ſex, ex undecim reliquos. Quorum natu maximos, filium quidem *Petrum Mulerium* Medicinæ Doctorem, Botanices Profeſſioni in hac ipſa Academia inauguratum vidit; filiam vero *Menelao Winſemio*, Medicinæ Doctori & Profeſſori Franekerano elocavit. Nupſêre & reliquæ filiæ duę Fiſci Urbani Patrono altera, altera Pharmacopœo honeſtiſſimo: filij autem totidem cœlibes vitam tranſegêre. At mentis & ingenij fœtus, tam qui lucem adſpexerunt, quam quos relictæ Schedæ continent, ſubjectus index exhibet.

Ipſomet AUTORE
NICOLAO MULERIO
curante prodierunt.

Astrolabium cum Iſagoge, ſive Kort Onderwijs van't gebruyck des Aſtrolabiums.
Tabulæ Friſicæ Lunæ-Solares. Kalendarium Romanum vetus, cum Iſagoge.
Korte Tafelen van Sinus Tangentes, Secantes, &c.
Inſtitutionum Aſtronomicarum libri duo.
Nicolai Copernici Aſtronomia inſtaurata, cum Notis.
Hemelſche Trompet van de Comeet des Iaers 1618.
Iudæorum Annus Luna Solaris, & Turc-Arabum merè Lunaris.

Reliquit inedita ab hæredibus exſpectanda.

Tabulas Friſicas reliquorum quinque Planetarum.
Tractatum de Fortificatione.
Tabulas Aſtronomicas compendioſas ac uſu faciles.
Claudij Ptolomai Quadripartitum, in Latinam linguam tranſlatum & notis illuſtratum.
Quod opus à multis expetitum, in alienas manus & poteſtatem venit, atque ſic hæredibus, forte etiam ipſi Autori perijt.

JOHANNES EPINVS HVNINGA J. V. D.

NAtus hic in agro περιχώρῳ, mox in ipſa primâ Academiæ inſtitutione, inter primos ejus ſex Profeſſores introductus, Philoſophiæ moralis ordinariam, & Inſtitutionum Juris profeſſionem extraordinariam; nec non Secretariatum nactus, & Rector Academiæ Anno cIↄIↄc XIX menſe Auguſto electus fuit. At proximi anni cIↄIↄc XX menſe Februario creatus urbis Senator, Academiæque Curator, abdicavit ſe Recturâ & Profeſſione: & reliquam vitam in Republica exegit, ad Conſularem dignitatem evectus. De quo quia, uberiorem vitæ hiſtoriam non ſuppeditarunt propinqui, non habemus quod addamus ultra: præter hos verſiculos in honorem ejus ab amico ſcriptos.

ELOGIUM

Nobiliſſimi Ampliſſimique VIRI


DN. JOH: HUNINGA

Prof: & Conſulis Groningani.

PRotulit hunc, priſca quæ Nobilitate refulſit;
Ex magni HUNONIS *nomine nata domus:*
Cui nemus Eoum ſedes, validiſſima quondam
Delitiiſque ſuis arx animoſa, fuit.
Quando tumens Amaſus Dullarti peperit undas
Terraſque infuſa ſorpſit avarus aqua.
Verba cito Ubbonis magni, non ſomnia vatum,
Cui famam Friſius debet uterque ſuam.
Sed longe ingenio genus hoc ſuperavit avitum,
Doctorum ut fuerit doctus HUNINGA *ſtupor.*
Qui veſter, vobis merito debetur Athenæ,
Rector, & illuſtri Conſul in urbe fuit.


A. C. F. ex tempore.

GVILIELMVS



Protúlit húnc, priscâ qúæ nobilitate refúlſit,
Ex magni HUNONIS nomine dicta domús;
Qúando tímens Amaſús Dúllarti pepperit úndas,
Terraſq; infúſâ ſorpſit avárús aqúa.
Sed longè ingenio genús hoc ſúperavit avitúm,
Doctorúm út fúerit doctús HUNINGA stúpor.
Qúi vester vobis, meritò debetúr Athenæ
Rector, et illústri Consúl in úrbe fúit.

ARNOL. CRAL.



Gente Caledonius, Sophiæ, Themidosq; sacerdos,
MAKDOWELLORVM gloria prima domus;
Sic oculos, excelſo animo, ſic ora ferebat,
Dum premeret ſontes protegeretq; bonos.

FRANCISCVS IVNIVS F.N.



GVILIELMVS MAKDOWEL.

SCotiæ provincia eſt Teviotia, ab interfluente amne Teviota vulgo *Teviotsdeel* dicta, Angliç regno finitima. Hinc originem ducit GULIELMUS MAKDOWEL, mortalis vitæ telam exorſus Anno CIƆ IƆXC. circiter Idus Octobres, in Parochia de Makarſton, vetuſta familię ſede, quam Tueda fluvius alluit, Scotiam ab Anglia diſterminans, qui ſenſim inde decurrens, ac Bervicum præterlabens, in Britannicum ſe mare exonerat. Proſapia ipſi obtigit inter populares ſuos Antiqua & Illuſtris, ſive paternum genus ſpectes, ſive maternum. Annalium enim Scoticorum conſtans memoria nobile nomen *Makdowellorum*, *Douglaſſiorum*, *Edmiſtinorum*, & *Carorum*, (quos omnes inter majores ſuos numerat;) æternitati conſignavit & conſecravit. Patrem habuit *Thomam Makdowell* Dominum & Toparcham in Steidrig & Makarſton, cujus mater *Beatrix Douglaſſia* filia erat *Guilelmi Douglaſſij*, ejuſdem Provinciæ Præfecti ac Satrapę hæreditarij. Matrem vero *Johannam Caram*, *Andreæ Cari de Greynheade* Equitis aurati, & *Iohannæ ab Edmiſton filiam.* (Fuerunt autem *Edmiſtonij* ante tempora regis Milcolumbi, qui primus Comitum & Baronum titulos in Scotiâ conſtituit, *Athani* dicti, id eſt Buchanano interprete, Superprępfecti; quâ nulla major apud priſcos Scotos dignitas.) Vix ſeptennis à parentibus ablegatus eſt Muſſelburgum, (oppidum eſt ad fluvium Eſcam ſitum, quatuor mille paſſibus Edimburgo regni metropoli diſtans,) ob Scholę trivialis quę iſtic erat celebritatem : ut vernaculæ & Latinæ linguæ elementa addiſceret ſub auſpicijs & manuductione Magiſtri Georgij Niſbeti, non infelicis tunc apud ſuos juventutis informatoris. Exegit hic ſexennium eo fructu, ut cum dimitteretur, ſimul etiam judicaretur dignus, qui ad Academiam mitteretur. Diſtulit tamen iſtud facere Pater ejus, mage conſultum putans filij ſtudijs, ſiquidem Grammaticæ præcepta uberiore Hiſtoriarum & Poëtarum lectione firmaret. Quare ipſum Calſonum miſit, in oppidum mille paſſibus ferè à ſuis ædibus diſſitum, ac Magiſtro Johanni Balfourio inſigni hiſtorico commendavit; ſub cujus diſciplina & ſub ipſis quaſi Patris oculis, annum ſequentem abſolvit. Ita tandem Andreapolin venit, urbem tam extra quam intra regnum propter Academiæ famam longè celeberrimam: ubi decurſo ex lege & more quadriennij curriculo, conſpirantibus & conſentientibus examinatorum omnium punctis, titulo laureâque Magiſtrali inter primos primus eſt ornatus, Promotore magni nominis Philoſopho Magiſtro Johanne Strangæo, quem poſt Academia Glaſguana Præfectum habuit, & Theologiæ Profeſſorem clariſſimum. Priuſquam tamen gradum Magiſterij ſuſciperet, factum

eſt ut

eſt ut Philoſophica in Collegio Leonardino apud Santandreanos Profeſſio ipſi offerretur, ex communi ſententia Examinatorum, & inprimis Petri Bruſſij, viri Nobiliſſimi, ac illius Collegij Præfecti; cui Celſiſſimus Dux Levinus, Collegij Leonardini fundator, ex jure à majoribus ſibi relicto, vocandorum Profeſſorum poteſtatem fecerat. Hæſitavit autem aliquamdiu, animi anceps ob immaturam adhuc ætatem, donec tandem Bruſſio ſuadente, jubente, urgente, eam functionem adijt, & per triennium atque amplius magna cum laude ſuſtinuit. Nam & laribus Leonardinis adjumento, & Collegis ſolatio, & toti Academiæ ſingulari admodum fuit ornamento: unde quam gratum Ipſius contubernium, tam ingratum accidit omnibus, quod inde avelleretur. Nunquam conſenſuris in Ipſius abitum, niſi privatas ſuas rationes publicè juvandæ Reipublicæ literariẹ ſtudio poſthabuiſſent: quod totius Academiæ nomine profeſſus eſt ejus Rector, Petrus Bruſſius, in teſtimonio diſcedenti conceſſo. Cauſam vero migrationi Ipſius dedit Vocatio Illuſtrium ac Præpotentum Groningæ & Omlandiæ Ordinum: qui per Octoviros erigendæ Academiæ Curatores, parario Nobili Viro Johanne Caſimiro Junio Fr. F. olim Academiæ Andreapolitanæ, dum Philoſophiæ ſtudijs operam dabat alumno, ad novellam Academiam & Philoſophiam in eâ docendam, *Gulielmum Makdowellum* ſollicitarunt, & exorarunt. Huic igitur muneri inauguratus eſt unà cum primis Academiæ Profeſſoribus, anno CIↃ IↃC XIV. & poſt reditum ex Scotiâ, quo componendarum rerum ſuarum gratiâ profectus erat, ipſummet auſpicatus. Quâ porro fide, conſtantiâ, ac juventutis commodo in eo verſatus ſit, in recenti multorum eſt memoria. Neque ψιλαῖς ἐννοίαις inhẹrere, neque vanis ac inutilibus παρέργοις luxuriari placitum habuit; ſed artem, uti decet, ab ipſis fontibus derivatam, per præcepta commoda, variarum facultatum exemplis illuſtrata exhibuit, omniaque ad uſum ac praxin accommodavit. Cujus rei documenta exſtant, omni exceptione majora, Collegia nimirum Ipſius, per omnes ferè Philoſophiæ partes habita: quæ hodieque non ſine fructu multorum manibus teruntur. Academiæ etiam faſces, brevi intervallo bis ſibi delatos, cum laude & applauſu publico geſſit. Dum autem ita publicè Cathedræ Philoſophicæ decus tuetur & auget, privatim Juriſprudentiæ ſedulam navavit operam. Cujus adeptæ luculenta edidit ſpecimina: quando non modo in vicino agro, juriſdictioni Ipſius per matrimonium ſubjecto, ipſemet tribunal exercuit, & inter vicanos jus dixit; verum etiam in Conventibus juridicis majoribus, qui bis quotannis in Urbe habentur, non ſemel in Judicem à toto conventu electus fuit, & cum alijs, qui jure dicundo præſunt, cauſas appellationum graves & arduas cognovit, definivitque. Publicum verò conſecutus eſt eruditionis ſuẹ in Juris & æqui ſcientia teſti-

monium,

monium, non tam ſuâ voluntate, quam amicorum ſuaſu petitum, a. d. VI. Kal. Junij, CIↃ IↃCXXV. quo Jurium Doctor renunciatus fuit à Jureconſultorum Coryphæo, Antonio Matthæo, Anteceſſore primario, recens tunc ex Marpurgenſi Academia ad noſtram vocatione Ordinum traducto: congratulantibus, & præconia dicentibus viris celeberrimis Ubbone Emmio, Nicolao Mulerio, & Henrico Schonenburgio, poſt Conſulatum Urbis adepto: quæ adhuc ſuperſunt, & augurium habent, fore ut Magnatum Regumque conſilijs ſuo merito tandem adhiberetur. Biennio poſt anno CIↃ IↃCXXVII. cùm ex vivis exceſſiſſet Magnificus & Ampliſſimus vir Petrus Pappus à Tratzberg, Prætor ac Præſes Senatus Militaris in hac Provincia meritiſſimus, Ipſe ſine ambitu ac anxia, quę hodiè viget, prenſatione, annitente & ſuadente Illuſtriſſimo & Generoſiſſimo Comite Erneſto Caſimiro Naſſovio, Provinciæ Gubernatore, concurrentibuſque Procerum ſuffragijs ac votis, defuncto ſuffectus fuit. Sic igitur Academiæ, cui jam tertium decimum annum inſervierat, valedicere, & ad aliam Spartam ornandam ſeſe accingere neceſſum habuit. Quin præſtitit etiam magno Reipublicæ ac diſciplinę militaris bono, in annum uſque CIↃ IↃCL. quo ad aliam eamque majorem dignitatem vocatus eſt. Cæterum dum Pręturâ militari fungitur, gemina Ipſi demandata, atque obita fuit Legatio, ad Sereniſſ. Magnæ Britanniæ Regem Carolum. Altera quidem anno CIↃ IↃC XXIX. cum Provinciæ huic & vicinæ Friſiæ ob non ſoluta ſtipendia graves eſſe inciperent duæ Equitum turmæ, Regijs auſpicijs ac ſumtibus hic conſcriptæ, quarum Gulielmus Balfour & Johannes Dulbis ductores erant. In qua ita ſe geſſit, ut diligentiæ ac fidei ſingularis teſtimonia cum ab Ipſo Rege, tum ab Illuſtri viro Alberto Joachimi, Fœderatorum Ordinum in Aula Britannica Legato ordinario, literis quas uterque dedit ad Illuſtriſſ. Comitem Erneſtum, retulerit luculentiſſima. Alterâ vero ob negotia longè gravioris momenti, functus eſt annis XXXV. & XXXVI. Nitebatur tunc Britannus, pravorum conſilijs impulſus, & claſſico quaſi canente Seldeno, Mare clauſum evulgante, liberum mare ſibi proprium vendicare, jus omne piſcandi ſuæ poteſtatis facere, alijs omnibus & Belgis imprimis, halecum piſcaturam exercentibus excluſis, ni ſibi ob conceſſam licentiam vectigales fierent, graviaque tributa penderent: atque ut hæc obtineret, validam claſſem inſtruxerat, quæ jam in anchoris hærebat, regia mandata vi eâque armatâ exſecutura. Hanc calamitatem ut à Belgis averteret, ſolidis Ipſe argumentis, & quanta ſubditum decebat παῤῥησίᾳ expoſitis, apud Regem inſtitit, atque ut à cœpto deſiſteret perſuaſit: ſic ut nulla ab eo tempore vis piſcatoribus illata, nullum damnum datum fuerit. Qua de cauſa ipſemet Celſiſſimus

Princeps Auriacus Fredericus Henricus reduci gratias egit, & ob utilem Belgio navatam operam collaudavit. At Rex Carolus ab eo tempore maximo in pretio habuit, deque Ipſo ſuis miniſterijs vendicando cogitare cœpit. Nam non multo poſt, abſenti licet, & ſtationem priſtinam Groningæ tuenti, locum in ſupremâ Scotiæ Curiâ aſſignavit: quod tamen Conſilium ob civile bellum, quo univerſæ Britanniæ fundamenta concuſſa quodammodo ac convulſa videntur, non ſucceſſit. Anno CIↃ IↃ CXLIX, agitata Hagæ Comitum fuit cauſa, quâ nulla unquam in Belgio mota, forſan nec movenda gravior, ſuper Marchionatu Bergenſi, cujus reditus annui à partibus æſtimabantur plus quam centum & triginta florenorum millibus, litigantibus de eo magnâ animorum contentione, atque in ſupremâ reviſione Conſobrinis Duciſſâ Lotharingiæ, & Principe Hogenſolrea. In eâ inter aliarum Confœderati Belgij Provinciarum Delegatos, nomine Groningæ & Omlandię ſedit etiam *Makdowellus*, atque unà cum reliquis Judicibus ſententiam dixit. Interea à Carolo ſecundo, Magnæ Britanniæ & Hyberniæ rege cum Legatis Scotiæ de rebus componendis agente, ex commendatione Celſiſſimi Principis Auraici, inter Conſiliarios adhibitus, poſt etiam ab Eodem, Scotiæ regno jam potito, Ordinarij ad Fœderatos Belgas Legati titulo, quo in hodiernum uſque diem gaudet, auctus fuit. Matrimonium inijt geminum. Prius anno CIↃ IↃC XVII. cum virgine nobiliſſima *Bernardinâ à Fritema* Menonis in Fritema, Toparchæ, & Emilię Clantię, cujus pater Johannes Clant Conſulatum Groningæ geſſit, filia: ex qua filios duos præmaturè mortuos, filiamque unam ſuſcepit, *Emiliam* ab avia materna denominatam: quæ adhuc ſuperſtes felicibus nuptijs elocata eſt Nobiliſſimo Viro *Ulrico ab Ewſſum ten Poſt*, pluribus jam in Provincia honoribus muneribuſque functo. Alterum cum nobiliſſima item matrona *Eliſabethâ Alberdâ*, Regneri Alberda van Zandt & Helenę Ripperda filia, viduâ autem atque etiam ex aſſe hærede, Sixti à Bottnia, in Feerwert & Niewe-lant Toparchæ: quod ſterile fuit, & hujus morte hoc anno CIↃ IↃC LII. alteram viduitatem *Makdowello* peperit.

FRANCISCUS



Flandria me genuit; varij tenuere; repostum
Servat ad extremum clara Groninga diem.
Quis fuerim, quantusq; rogas? non æmulus edat,
Non fautor: vero livor et obstat amor.
Utrumq; experto pro me mea ſcripta loquantur:
Heic veri studium est, heic pietatis amor.
MARTINVS VBBENIVS. *Ecclestes Enckhuſanus.*

FRANCISCUS GOMARUS.

Extulerunt hoc tantum Sacrarum literarum lumen, celebratæ Meurſio Belgarum Athenæ Brugæ, Flandrorum poſt Gandavum urbs primaria, inter fœderis Anſeatici τέτραπόλεις jam olim relata, Anno à ſalute parta CIↃ IↃLXIII. menſis Januarij die XXX. Patri *Franciſco*, matri *Johannæ Mœrmans* nomen fuit, ambobus loco honeſto natis, & in re non contemnenda. Sectabantur illi non ſine Numine in converſione Sacrorum, quæ ſuperiori ſeculo etiam Belgio obtigit, partes Reformatorum, & ſinceræ fidei ac pietatis ſemina cum ipſo lacte in filium derivare ſtudebant: quem etiam animadverſâ indole ad literas meliores factâ, harum ſtudijs inde à teneris conſecrarunt. Prima in hac militia ſtipendia in urbe patria fecit, quæ præclaros juventutis doctores, & magnam diſcipulorum frequentiam tunc alebat, eâ felicitate, ut quæ in trivialibus iſtiuſmodi Scholis tradi ſolent, intra XV. ætatis annum cum laude abſolveret. Cæterum cum pietatis veræ luce imbutus eſſet, eam vero, ut tum tempora ferebant conſcientiæ iniqua, haudquaquam tutum eſſet profiteri, Parentes quidem in Palatinatum, commune piorum exulum perfugium, conceſſerunt, Filium autem Argentinam ablegarunt, ubi ſub diſciplina magni illius Johannis Sturmij ſeptuagenarij quidem, at vegeti & ad labores Scholaſticos impigri, in tertium uſque annum artibus dicendi, humaniorumque literarum cognitioni, ſummo ſtudio parique fructu incubuit. Hinc Neoſtadium Palatinorum profectus anno CIↃ IↃ LXXX. ſtudia linguarum & artium perſecutus eſt, Doctoribus & præceptoribus eruditiſſimis, in Hebraicis Franciſco Junio, Simone Stenio in Græcis, Lamberto Pithopœo in Latinis, at in Philoſophia Fortunato Crellio & Johanne Jugnitio. Tandem etiam ad Theologiam animum applicuit, quam celeberrimi Doctores Zacharias Urſinus, Hieronymus Zanchius, & Daniel Toſſanus profitebantur, cui addiſcendæ magnam temporis partem publicè privatimque tranſſcripſit. Ejus verò ſcientiam haud vulgarem adeptum, literis inſuper Hebræis ac Philoſophicis haud perfunctoriè tinctum, cupido invaſit, inita peregrinatione Academias Angliæ viſendi. Primum autem Oxonium ſe contulit, declinante jam anno LXXXII. & Iohannem Reinoldum, mox inde Cantabrigiam progreſſus, Guilelmum Withakerum, Theologos celeberrimos Sacra docentes audivit. Hic quoque impellente Gulielmo Tempello, Philoſopho Ramæo, Philoſophica ſtudia ſibi recoquenda ſumſit, & placitis Ariſtotelis præceptiones Rami

 conjunxit,

conjunxit, peractoque ut loquuntur curſu Baccalaurei & Magiſterij Philoſophici, gradum meritiſſimè impetravit, a d. XI. Kal. Julij CIↃ IↃ LXXXIV. Reſtitutâ ſub Johanne Caſimiro Electoralis Palatinatus Adminiſtratore Heidelbergâ, ad illam Academiam ſe contulit anno inſequente, & Sacroſanctæ Theologiæ ſtudium gnaviter continuavit, atque intra biennium abſolvit, diſciplinâ & inſtitutione uſus ſummorum Theologorum, Johannis Jacobi Grynei, (qui altero anno Baſileam regreſſus eſt) Danielis Toſſani, Georgij Sohnij, & Franciſci Junij. Opportunè tunc temporis vocatio oblata ab Eccleſiâ Belgarum, quæ Francofurti ad Mœnum erat & Miniſtrum deſiderabat. Eam, cùm Patriâ carendum ſibi videret, libenter admiſit, & anno CIↃ IↃ LXXXVII. functionem orſus, in illa ſtatione integros ſeptem annos perſeveravit: non exiguis colluctatus difficultatibus & certaminibus, quæ tandem adverſariorum demagogorum opera, odio Religionis nihil non machinantium, eouſque invaluêre, ut Orthodoxa Eccleſia Urbe eliminata fuerit. Factum illud anno CIↃ IↃ XCIII. quo tempore Leydenſes de Profeſſore Theologo Belga in ſuam Academiam adſciſcendo, & Lucæ Trelcatio ſeniori ac Franciſco Junio huic Gallo, illi Gallo-Belgæ adjungendo, conſilia agitabant. Ea vero præ cæteris in Gomarum ferebantur, jam famâ notum, cui per literas d. XXVI. Januarij anni XCIV ſignatas à Curatoribus Athenei Batavi, Profeſſio deſtinata delataque fuit: & ab Ipſo, conſentiente in dimiſſionem Francofurtenſis Eccleſiæ Presbyterio, admiſſa. Priuſquam tamen novo muneri ſe ſiſteret, Heidelbergam recurrit, ibique teſtimonium doctrinę Theologicę petijt, & conſecutus eſt, poſt prævia examina privatum publicumque, Diſputationis de S. Cœnâ Præſide Petro Calamino habitæ; Licentiam ipſi Daniele Toſſano, Decano, Docturam verò Jacobo Kimedoncio, Promotore, conferentibus. Sic igitur Lugdunum Batavorum profectus Profeſſionem adijt, eâque tum ex uſu Eccleſię, tum quietè etiam & ex animi ſententiâ functus eſt, ad annum uſque CIↃ IↃCII, Novi Teſtamenti interpretationi potiſſimum incumbens. Poſt illa verò magna cum difficultate ac moleſtia, ex quo gravis illa Eccleſiæ, Academiæ, Ipſi, tempeſtas Remonſtrantica incubuit. Quippe Lucâ Trelcatio Patre, & Franciſco Junio paucorum dierum intercapedine peſte ſublatis, illi quidem Filius cognominis, huic vero Jacobus Arminius (infauſtum Belgio nomen) ſuffectus fuit, anno ſequente CIↃ IↃC III. Etſi enim initio profiteretur ὀρθοδοξίαν, ſenſim tamen nudavit animum, & dogmata Pelagiana clam palam, voce ſcripto ſpargere cœpit, ac familiam in Academia ducere. Unde gravia certamina de præcipuis doctrinę capitibus nata, in quibus Gomarus πρόμαχον ſe geſſit, ac fortiter conſtanterque cauſam veritatis egit: non tantum intra Academiæ Lugdunenſis ſepta, ſed & coram ſummo Hollandiæ Ordinum


conſeſſu, ubi bis cum Antagoniſtâ Arminio congreſſus eſt, ſolus cum ſolo, anno CIↃ IↃC VIII. inſequente autem anno ſociatis hinc inde quaternis Paſtoribus: ſucceſſu quidem non eo quem Eccleſiæ optabant, ut profligatis erroribus ac ſchiſmate Orthodoxa veritas & concordia in arce collocaretur; non tamen nullo; cùm, detractâ larvâ, Adverſarij Pelagianiſmus palam evictus fuerit. Quod ipſemet Arminius ſatis ſenſit, qui excuſatione uſus valetudinis (quam affectam habebat) poſtremum colloquium abrupit, domumque reverſus aliquamdiu poſt vivere deſiit. At non ſimul mortuæ; quas in Eccleſiam & Academiam intulerat, controverſiæ; quin novus eis quæſitus ὑπερασπιστής idemque defuncti in Profeſſione ſucceſſor, Doctor etiam impurior Conradus Vorſtius, impietatis Socinianæ famoſus & confeſſus aſſertor; inſuper habitis omnibus Eccleſię & piorum monitis, precibus, proteſtationibus, quibus hujus hominis vocationi intercedebant. Gomarus igitur cernens vix locum ſanæ doctrinæ Lugduni relictum, melioribus Eccleſiæ temporibus ſe ſervaturus, miſſionem ab Academię Curatoribus petijt & impetravit, anno CIↃ IↃCXI. conceſſitque Medioburgum, Zelandiæ metropolin, ubi paratum Ipſi erat hoſpitium, atque etiam munus publicum in Eccleſiâ & Scholâ obeundum. Quod utrumque adijt, & utrobique docens, ac cum Theologicis Hebræa conjungens, ſubſtitit ad annum uſque CIↃ IↃC XIV. quo in Gallias tranſijt Salmurium, Theologiam veteri more profeſſurus. Sed mox altero anno, ab Ordinibus Groningæ & Omlandiæ ſollicitari cœpit, qui delatâ ipſi Profeſſione primariâ Theologiæ, nec non linguæ Hebrææ, in hanc Academiam traducere nitebantur. Non tamen ſucceſſit conſilium ante annum CIↃ IↃCXIIX. quo demum hoc Theologo potiri potuerunt; ſemel autem nacti conſtanter retinuerunt, totos XXII annos, ſummâ fide, induſtria, dexteritate, etiam declinante ætate, Cathedræ ſuę decus tuentem. Quo toto tempore bis tantum Academia vivam ejus vocem deſideravit. Semel cùm ad Synodum Nationalem Dordracenam componendis Arminianis controverſijs ablegatus fuit, anno CIↃ IↃCXIIX. iterum cum anno CIↃ IↃC XXXIII. recognoſcendæ novæ Bibliorum Veteris Teſt. verſioni Lugdunum Batavorum eſſet evocatus. Alias conſtans ſonuit ſemper, commentarijs analyticis & exegeticis, plurimos N. T. libros illuſtrans; quos acto ſemel labore in orbem redeunte, ceu urſus catulos ſuos lambendo magis magiſque expolivit & accuravit. Recturam Academiæ annuam legitimè delatam quater geſſit, cum honore ſuo & commodo publico. Sic ætatem exegit ad extremam uſque ſenectam, quæ vegeta ipſi, ſucci & ſpirituum plena obtigit. Donec tandem anno CIↃ IↃCXXX IX. catarrhis infeſtari crebriùs ac graviùs, ijſque in coxam defluentibus iſciaticis paſſionibus vexari cœpit. Auctus cum ætate & hiberna tempeſtate morbus primò in-

ceſſus, inde etiam ſeſſionis uſum ipſi ademit, totumque lecto affixit. Acceſſère ſymptomata alia, obſtructiones inprimis, & exinde febris, quod reliquum fuit vigoris & virium paulatim depaſcens. Ex quibus velut præcurſoribus cùm imminere ſibi fatalem diem præſentiſceret, ad Dei evocantis voluntatem, per ſeriam reſipiſcentiam, ſinceram fidem, & ardentem gratiæ ipſius implorationem, ſeſe compoſuit: nec minus Eccleſiæ totius quam ſuam ſalutem intimis ſuſpirijs eidem cœleſti Patri commendavit, cui tandem piam animam vitę hujus ſaturam, alterius cupidam & ſecuram, reddidit, menſis Januarij die XI. circa decimam veſpertinam, anno ætatis ſuæ LXXVIII. exeunte, Chriſti CIↄ IↄC XLI. ineunte. Primum & tertium matrimonium, illud cum *Anna Emerentia Muſenhol* Francofurti, hoc cum *Anna Maria La Noye* Middelburgi inita, ſterilia ei fuère: at ſecundum cum *Maria L'Eremite* utroque parente nobili, itidem Francofurti contractum, verè ſecundum ac fœcundum, ex quo filiam natu minorem Rev. viro, *Davidi de la Haye*, Eccleſiæ Gallicanæ Paſtori nuptam, nepoteſque ex ipſâ, filiâ alterâ, ac filio Patri cognomini, annos aliquot ejus fata prægreſſo, complures ſuperſtites reliquit. Vir fuit excellenti ingenio, memoriâ ſtupendâ, diffuſâ in Philoſophicis ac Philologicis doctrinâ, linguarum plurium, ſed inprimis Orientalium (quibus accuratiùs perdiſcendis nec Iudæos magiſtros dedignatus erat) peritiſſimus, Theologus ſummus; cujus memoriam ſcripta ipſo vivo ac mortuo edita, in omnem poſteritatem conſervabunt.

Opera ejus conjunctim edita Amſtelodami, typis Jo. Janſſonij, Anno 1645.

Seorſim quoque edita Poetica Hebraica, ſive commentarius de Lyrâ Davidis, poſtremum ſenectutis ipſius opus.

NICOLAUS



Quem terris rapuiſse cluit Mors invida totum,
Parte homines ſatagunt reddere, parte Deæ.
Muſa viri genium ſcriptis æterna reſingit,
Humanum humanâ pingitur arte caput.
Sicq; redit totus ſubjecto LANGIUS *orbi*
Sive homines dicas, ſeu poſuiſse Deas.

I.B.I.F.

NICOLAUS LANGIUS.

LUcis hujus uſuram ſortitus eſt Crempę urbe Holſatiæ inter pręcipuas, Anno à nato Redemptore 1586. pridie Kal. Februarias. Pater ei Vir Reverendus *Hartichius Langen*, ex honeſta ac vetuſta inter Dithmarſos familia oriundus, Patri & avo ſuis, in miniſterio verbi Divini ſucceſſor, Eccleſiæ Meldorpenſis prope Crempam paſtor primarius. Mater ornatiſſima matrona *Catharina Leſen*, Senatoria familiâ nata. Ab his mox à teneris unguiculis pietatis, literarum, ac virtutis ſtudiis innutritus, partim diſciplinâ domeſticâ; voce & exemplo parentum ipſorum manuductus, partim à Ludimagiſtris oppidanis, quibus formandum ingenium ejus commiſſum, rudimentis artium, linguarumque eruditarum imbutus. Quumque in iſta herba meſſis non contemnendæ ſpem oſtendere viſus eſſet, ad eam promovendam, à piis parentibus Hammoburgum amandatus, Scholæque illius illuſtris Præceptoribus, Amiciſque alijs commendatus fuit, ſub quorum partim inſtitutione partim inſpectione, per biennium ad eam maturitatem ſtudia ſua promovit, ut Academicę inſtitutioni fuſiori ac ſolidiori habilem, Parentibus conſentiens judicium Præceptorum, tranſcribendum eum exiſtimarent. Miſſus igitur in Academiam celeberrimam Roſtochienſem, per triennium primum Philoſophicis ſtudijs ac humanioribus præludendum duxit graviori ac vaſtę Legum Juriumque prudentię, ad quam genio inclinante ferebatur. Tum hujus quoque ſacris utcunque initiatus, ut ſub novis Præceptoribus novo ardore, longius in hac facultate procederet, Wittenbergenſem Academiam petiit, in eaque biennio ferè Clariſſimis Doctiſſimiſque Viris, quibus tum temporis cathedra Juridica ibi florebat, publicè privatimque audiendis ac frequentandis unicè vacavit. Ex eorum numero ordinarius erat Bartholomæus Reuſnerus Canonum Profeſſor, Leorino Sileſius, Lucas Beckmannus, Wolfgangus Hirsbachius, Eraſmus Unru, Socer Polycarpi Leiſeri, Valentinus Guilielmus Forſterus, magni ICti Valentini qui de ſucceſſionibus ab inteſtato ſcripſit, magnus filius. Tum temporis etiam Helfricus Ulricus Hunnius, Ægidij Theologi F. Gieſſæ U. J. D. promotus, multam utilemque Academiæ iſti operam præſtitit, Collegijs ſuis quà Lectorijs quà Diſputatorijs, imò etiam publicis diſputationibus, quæ unicuique Doctori promoto habendæ conceduntur. Quomodo autem ſub Clariſſimis peritiſſimiſque iſtis Doctoribus locarit tempus ſuum, ac profecerit, teſtis eſt exaſciata Diſputatio, quam ſub laudato Domino Helfrico Hunnio An. CIↃ IↃCXI. menſe Majo, de Connubiorum jure, publicè defendit. Ibi in juris Civilis ſtudio ſic ſatis confirmatus, ulterius perrexit, viditque & audivit Lipſiæ

Romanum

Romanum & Sitzmannum, Jenæ Fomannum, Arumæum, Pinzingerum; Heidelbergæ Clariſſima illa Legalis ſcientiæ lumina Gothofredum, Hofmannum, Nebelium, & adhuc, ut computo, Calvinum: Bachovium quoque incomparabilem, tum quidem Ethices adhuc Profeſſorem, ſed de juriſprudentia nihilominus jam tum præclariſſimè meritum. Tempore igitur ſatis longo adeundis ac frequentandis Germaniæ ſuperioris Academiis impenſo, tandem An. 1612. Belgicam petiit, ejuſque florentiſſimam Academiam Lugduno-Batavam, quàm eruditione famaqùe ſua tum nobilitabant viri ſummi, Eberhardus Bronckhorſt, Cornelius Grotius, Gerardus Tuningius, Cornelius Pynacker, cui prę cæteris maximè familiaris exſtitit, ejuſque præſidio munitus menſe Julio de Jure dotium publicam diſputationem inſtituit. Collegia quoque, hoc & ſequenti anno, de graviſſimis in jure materijs variarum nationum eruditis Nobilibuſque Studioſis aperuit, ut diſputationes eruditæ in eis ventilatæ publico datæ luculentiſſimè atteſtantur. Quâ induſtriâ cùm laudem ſibi famamque non exiguam comparaſſet, nixus ad ulteriora, quo & experientiæ & eruditionis coronidem imponeret, plures & Academias & terras obeundi conſilium cepit. Primumque Lovanienſem adijt Academiam, in eaque per menſes ſex moratus, Flandriam inde reliquam peragravit. Tum in Britanniam transfretavit, eaque perluſtrata Gallias adiit, cui obeundæ biennium integrum impendit, tum Reip. ac moribus inſtitutiſque gentis, tum linguæ cognoſcendæ deditus. Tandem tædio vitæ hujus Academicæ, & ut ita dicam vagabundæ, obrepente deſiderio Patrios lares reviſendi, patre quoque revocante, Daniam petiit, per eamque ad ſuos reverſus, undequaque literis moribuſque ornatiſſimus, magno omnium ſuorum applauſu & congratulatione eſt exceptus. At cum publico inſerviendi ſtudium in ocio illo paternæ domus animum ejus quieſcere diutius non pateretur, paucis menſibus ibi exactis, Vitebergam quaſi poſtliminio repetijt, ſimulque cum Hunnio contractam veterem illam ante amicitiam & familiaritatem renovavit. Inde fama recens apertarum in hac urbe ab Illuſt. Præp. Gron. & Oml. Ordinibus Athenarum excitus, huc advolavit, ingenij eruditioniſque ſuæ ſpecimen exhibiturus, ſeque ipſum ad Spartam publicam magis magiſque præparaturus. Venit igitur in hanc urbem bonâ avi, anno 1618. menſis Decembris die XIV. Rectore Magnifico Cl. Dn. Franciſco Gomaro, brevique non æqualium tantùm & juniorum, ſed & Procerum Reip. Academiæque Patrum animos, quaſi honeſtô philtro, ingenij, eruditionis, diligentię, ita ſibi devinxit, ut Facultas Juridica inclyta facultatem ei Collegia privata aperiendi, ultrò libenterque concederet, magno Academiæ diſcentiumque bono, certatim ejus inſtitutionem & diſputationum hebdomadariarum præſidium expetentibus Juris Studioſis.

Neque

Neque ſufficiebat gratis Studioſorum animis frui quotidiana ejus converſatione & inſtitutione, ſed Profeſſorem eum publicum, ſaltem extraordinarium expetebant, quod etiam non magno negocio ab Ampl. Dn. Curatoribus Academiæ, qui Athenas ſuas celebres & inſignes eſſe vellent atque optarent; dotes Viri præclaras agnoſcentibus & æſtimantibus, fuit impetratum. Itaque anno 1619. d. 16. Decemb. Profeſſionem extraordinariam ad preces Studioſorum nactus, ut eam tantò majori autoritate decoraret, teſtimonio publico eruditionis ſuæ in Juris ſtudio ornari expetivit, quod poſt ſolennia examina, exploratis profectibus ejus eximijs, luculentum meritiſſimo eſt tributum, actuque ſolenni, brabeute Ampl. Cl. Dn. Joh: Huninga, tum temporis Rect. Mag. in ordinem Juriſconſultorum adſcitus An. 1620. Menſis Feb. die 4. Singulariter etiam & extraordinem, affectus teſtandi cauſâ, in convivio doctorali ex fiſco Academico honorarium vinum Rhenanum, ei dono fuit oblatum. Spartam Academicam auſpicatus die 17. Feb. Anno 1620. oratione inaugurali, quæ eruditionem ſimul facundiamque viri egregiè oſtenderet. Cumque huic Urbi & Academiæ Divina eum Providentia conſecraſſe videretur, larem perpetuum hic fixurus, Deo Duce tori ſociam ſibi delegit atque junxit, ex nobiliſſima atavita ſtirpe gemina oriundam Matronam viduam Margaretham Eliſabetham Brochuſen, cum qua ævum ſuum humanitate & patientiâ ſingulari in omni fortuna exegit; ſeptem ex ea liberorum parens, ex quibus quatuor ipſi ſuperſtites, filius unus, filiæ tres; quarum natu maxima nupſit Nobili. & Conſult. Viro Dn. Johanni Chriſtophoro Schombach Holſato, Nobiliſſimi & Ampl. Viri Dn. Joannis Schombachij, Regis Daniæ per viginti ſeptem annos Conſiliarij & Illuſtriſſimi Principis Holſatiæ per triennium Vice-Cancellarij filio. Novo marito ad novam Profeſſionem mox novum adjunctum munus Secretarij Academię, quod quoad vixit induſtriâ ſingulari ſuſtinuit & ornavit. Quum verò per annos ipſos tredecim à 1620. ad 1633. eâ fide & induſtriâ, Collega primum Cl. Pynakero, poſt Celeber. Antonio Matthæo ſeniore; omnes partes juris perſequutus eſſet; ut laudem brevitatis & perſpicuitatis, quæ rariſſima & paucis contingere ſolent, omnium rectè ſentientium calculo reportaret; anno eodem 1633. in Ordinariorum Profeſſorum Juris numerum eſt cooptatus. In qua Provinciâ ad ultimos uſque vitæ dies ſtrenuè gnaviterque exornanda, conſtanti diſcipulorum ſuorum teſtimonio, ſinceroque prudentiorum judicio, per annos 10. poſt illos 13. extraordinem docendo in eadem cathedra exactos, perſeveravit, recitationibus Cathedrarijs, diſputationibus publicis, privatiſque, alijſque lucubrationibus in lucem editis, cum Academiæ famam, tum ſibi nominis memoriam æternam ad ſeram poſteritatem

 concilians

concilians. Recturam Academiæ bono publico ſemel geſſit an. 1642. Interim ſenio arrepente, dum aliis laborat ac lucet, ipſe paulatim conſumitur: cui cum tormenta (Calculi, aliæque acceſſiſſent infirmitates,) Anno 1643. menſis Jul. 23. horâ intra 5. & 6. pomeridianâ, placidiſſimè ſine motu aut metu exſpiravit, præſentibus Cl. Dn. D. Henrico Altingio, Profeſſore Theologo, Cl. Dn. Johanne Steinbergio Anteceſſore juris, ac Reverendo Domino Paſtore, quem preces præeuntem modico ante ſupremum halitum intervallo, animo oreque ſecutus, voce validâ plenam in Servatore unico Jeſu Chriſto fiduciam teſtante, Amen ſupremum expreſſerat. Erat ὁ μακαρίτης dum viveret, ſi quis alius mortalium, humanus erga quemvis, comis erga cives, & inferioris ſubſellij homines, officioſus in magiſtratum, tum ordinis ſui & honoris Academiæ ſtudioſus, cum Collegis pacis colendæ ſtudioſiſſimus, vocem Ariſtidis ad Themiſtoclem æmulum adverſariumque cordi habens, certari inter Collegas omni tempore oportere, non privatis ſimultatibus & odiis, ſed uter meliùs de publico mereri, & plura in Patriam Academiam-ve beneficia conferre poſſit. Pietate erga Deum, ſtudiis & officiis erga homines, nemini erat ſecundus; in omni converſatione commodus, ſic lenis, ut non deſineret eſſe gravis, ſic gravis, ne abiret in moroſum, unde carus omnibus acceptuſque exſtitit, de quo ſibi quoque non immeritò gloriari ſolitus fuit, ſe, ſi non relinqueret liberis ſuis divitias amplas, relinquere tamen favorem bonorum famamque integram.

L I B R I


ab ipſo editi.

Exercitationes Juridicæ ad textum Inſtitutionum Juſtinianearum accommodatæ,

Jus controverſum ex Pandectarum & Codicis Præcipuis legibus compilatum, & communi operâ hujus noſtri & Pynakeri in lucem productum.

Compendium Inſtitutionum majus & minus tyronibus ob deſcriptiones & accuratas diviſiones maximè commodum.

FRANCISCUS



MEYVERTI vúltum, doctúmq; piúmq; probúmq;
Gloriaq; ingenij conſpicienda micat.
Ille Groningani quondam pars magna Lÿcæi,
Philoſophæq; fuit fundus Apollo rei.
Exequias cuius quæ mentem pingere neſcit,
Effigians nobis picta tabella refert.
IOAN. STEINBERGIVS. Ict.

FRANCISCUS MAYVARTIUS.

HUic patria Gandavum Flandrorum oppidum, natalibus multorum magnorum virorum, & ſuper cæteros Invictiſſimi Imperatoris Caroli v. nec non pacificatione illâ Gandavenſi inde dictâ, cum provincijs Germaniæ inferioris initâ, celeberrima. Parentes ei honeſtiſſimi Andreas Mayvartius & Catharina de Waele indigeni, quibus ipſe natus fuit an. 1585. menſis Junij die 4. cum urbs iſta trimeſtri ante à Duce Parmenſi ad ſervitutem Regis Hiſpaniarum technis & armis eſſet reducta. Hauſtis in patria bonarum literarum rudimentis, à parentibus Duacum, nobile tum Sapientiæ emporium, valdè adhuc adoleſcens ablegatus, tanto ardore ſtudijs incubuit, ut an. CIↃ IↃC IV. Kal. VIIIbrib. ætatis anno XX. nondum exacto, *legitimè decurſo Philoſophicorum ſtudiorum ſpacio.* (verba ipſa teſtimonij publici pono) *præmiſſis examinationibus, actibus ſolennibuſque omnibus huc requiſitis, gradu laureâque Licentiæ in liberalibus & Philoſophiæ ſtudijs publicè cum laude donatus atque exornatus fuerit.* Hinc factus in patriam redux, cum amici ac fautores in Italiam majoris diſciplinæ capeſſendæ causâ ablegandum eum cenſuiſſent, câque gratiâ publicis Senatus oppidani Commendatitijs inſtruxiſſent, ipſe partim ſuggeſtionibus parentum, partim librorum orthodoxorum lectione aliquo jam guſtu veritatis cœleſtis imbutus, Angliam prætulit, ubi in Religionis Reformatæ notitia eos fecit progreſſus, ut Romano-Pontificię ſuperſtitioni, in qua natus & educatus erat, penitus renunciaret, lucemque Evangelii agnitam toto pectore amplecteretur. Inde anno CIↃ. IↃC. VII. in Belgicam hanc transfretavit, atque in illuſtri Friſiorum Franequerana vicina Academia per annos quatuor, tum publicè diſcendo, tum privatim docendo, eam diligentiæ, honeſtatis, pietatis, modeſtiæ, eruditionis laudem eſt adeptus, ut diſcedentem, tum publico Rector & Senatus Academicus, tum ſeorſim ſuo nomine Cl. D. Sibrandus Lubbertus, tanquam ornamentum non mediocre Scholę ſuæ, teſtimonijs votiſque honeſtiſſimis proſequerentur. Erat jam ita & ætas ejus & eruditio matura, ut inde fructum non vulgarem publica res poſſet percipere. Quare cum propter contentiones in Hollandia ortas & afflictum Academiæ Leidenſis ſtatum, Ampliſſimus Magiſtratus Middelburgenſis juventuti Zeelandicæ extra periculum ſeductionis, in vera pietate & orthodoxa doctrina erudiendę, in urbe ſua illuſtrē Scholam aperire conſtituiſſet, vocato ad profeſſionem S. Theologiæ, clariſſimo viro Dn. D. Franciſco Gomaro, Theologo celeberrimo, Philoſophiæ Profeſſorem ipſi adjungendum, non abs re fore ratus, noſtrum hunc ἐν ἀγίοις ad eam Spartam ornandam vocavit, quam etiam, quoad

 ei locus

locus fuit, cum laude ornavit. Sed cum mutatis temporibus & ſpe novâ reſtitutionis Academiæ Leidenſis obortâ, inceptum illud novæ Scholæ Zelandicæ fuiſſet omiſſum, avocato in Galliam Cl. Gomaro, Dn. MAYVARTIUS operam ſuam in erudienda adoleſcentia Scholæ trivialis, Magiſtratui roganti addixit, & per annos aliquot cum fide & applauſu præſtitit, donec commendatione Cl. Dn. D. Gomari, veteris Collegæ, innotuit Ill. ac Pot. hujus Provinciç Ordinibus, ab eiſdemq; ad Profeſſionem Philoſophiæ conditionibus honeſtis in hanc Academiam evocatus, Anno CIↃ IↃC XX. huc commigravit. Atque ab eo tempore egregiam Academiç, (cujus etiam faſces An. 1629. cum laude & favore geſſit) egregiam ſtudioſæ juventuti, operam navavit. Venerat huc Cœlebs, atque in eodem ſtatu perſeveravit, ad annum uſque renatæ ſalutis 1622. Cujus menſe Junio die 5. qui ipſe dies illi auſpicalis erat an. æt. 38. Amſtelodami optatis nuptijs ſibi junxit honeſtiſſimam virginem JUDITHAM BOURSSE, quam an. 1640. Menſe Aprilis d. 2. rebus humanis exemptus, mœſtam Viduam, cum filijs filiabuſque aliquot orphanis deſtituit, cum exegiſſet vitæ mortalis annos LV. minus menſibus duobus, diebus duobus, horis VI.



Oratlum Themidos, Friſius quod jactat et Haſſus,
Quo per lustra novem stante Lyceá ſonant:
MATTHÆVS tali quondam jus dixerat ore;
Immoti vultus instar in ære manet.
Hoc monstrante ſuos cæpit Ius noscere voces.
Et Lex addidicit justius ipsa loqui.
Addictos alibi Doctores Suſpice Legum
Cæſaribus; potior vox ſonat huicce Dei.

MENSO. ALTING.

ANTONIUS MATTHÆVS.

OBtigit huic alteri Papiniano natale ſolum, Francoberga Haſſorum, quò graſſante Marpurgi peſtilentiâ, ſedes ſuas ac fortunas univerſa tranſtulerat Academia; Anno ęrę Chriſt. MDLXIV. die XXVII. Decembris; ijs parentibus ac majoribus, qui Alsfeldiæ, quò originem familiæ referunt, Marpurgi, ac paſſim per Haſſiam, ultra ſeculum clari fuerunt. Patrem habuit Doctorem *Conradum Matthæum*, ſupremi Haſſorum Dicaſterij Adſeſſorem, nec non Marpurgenſis Academię Profeſſorem atque Syndicum, antiquâ virtute ac fide virum: Matrem *Urſulam Wernerin* honeſtiſſimâ Wernerorum familiâ editam: fratres tres, literarum gloriâ celebres, *Philippum Matthæum* J. U.D. Parentis in Profeſſione Marpurgenſi ſucceſſorem: *Henricum* Eccleſiaſtem Palatinum: & *Joannem* Archiatrum Naſſovicum, Illuſtris Scholæ Herbornenſis Profeſſorem; denique & Sororios præſtantiſſimos *Dn. Georgium Sohnium* Theologum, *Valentinum Forſterum* IC. trium Academiarum Doctorem. Johannem Fiſcherum IC. Cancellarium Ducatus Brunſuicenſis Ipſe cùm & ingenio valeret, & domeſticis exemplis duceretur ad ſtudia literarum, in diſciplinam traditus fuit Pędagogiarchæ Marpurgenſi D. Juſto Vultejo, induſtrio ac felici juventutis formatori, ex cujus Schola, ſolida doctrinæ fundamenta ad Academiam attulit, in album ſtudioſorum relatus, Anno ſeculi ſuperioris LXXXI. Primum triennium Curſus Academici diſcendę Philoſophię impendit, publicè privatimque ſedulam operam navans excellentiſſimo Philoſopho M. Rudolpho Goclenio. Reliquum tempus Juriſprudentiæ Romanæ, non leviter nec per tranſennam, ſed penitiore indagine cognoſcendæ, attribuit. Quumque Inſtitutionum libros Marpurgi audiviſſet à Cl. IC. D. Hermanno Vultejo, Juſti filio, inde Heidelbergam ſe contulit, Anno LXXXV. pręceptoribus uſus D. Valentino Forſtero Sororio, & D. Iulio Pacio à Beriga, ICtis celeberrimis. Sed oborto anno ſequente ſtudioſorum tumultu, qui Academiæ florentiſſimæ diſſipationem acceleravit, ipſe Helmſtadium primo, mox Wittenbergam ſeceſſit, excitus famâ Petri Weſenbecij, ibi magno cum applauſu docentis. Unde Heidelbergam ab altero ſororio D. Sohnio revocatus, pręfuit ſtudijs privatis Illuſtris Iuvenis Dn. Alexandri Somborij, Baronis orthodoxi ex Tranſſylvaniâ. Quâ ἐφορίᾳ intra biennium defunctus, Altorfium Noricorum excurrit, ſtudio videndi atque audiendi nobile par ICtorum, HugonemDonellum & HubertumGiphanium. Sic confirmatior annis pariter & judicijs D. D. quamprimum Marpurgum & Helmſtadium redijt: Collegia privata Inſtitutionum & Pandectarum ſtudioſis petentibus aperuit, & cum laude habuit.

 Nec

Nec multò poſt Anno xciv. non modò Marpurgi J. U. D. creatus & renunciatus eſt, à D. Vultejo, ſed etiam Herbornam ad Profeſſionem Juridicam ab Illuſtri Naſſoviæ Comite Dn. Joanne Seniore vocatus fuit. Succeſſit conjugium cum lectiſſimâ virgine *Eliſabethâ*, viri Spectati *Eckardi Schuleri*, qui Haſſiæ Principibus ab Archivis erat, filia, ſub initium anni xcvi. felicibus auſpicijs contractum, & memorabili concordia ad finem uſque cultum: ex quo numeroſa ſed egregiè ſoboleſcens proles progerminavit, marium ix. fœmellarum iii. Cæterum Herbornæ Spartam quam nactus erat ita exornavit, fide, induſtriâ, & docendi diſputandique dexteritate, ut exeunte anno mdcv. à literatiſſimo Principe Landgravio Mauritio Marpurgum accerſeretur, ad Juris Civilis Profeſſionem, una cum tribus Collegis, Viris Summis, D. Vultejo, D. Goddæo, & D. Deichmanno, diviſis operis ſubeundam. Qua in ſtatione totos penè xx. annos, & quidem difficillimis Germaniæ temporibus, perſeveravit: donec anno ſupra m dc. xxv. in hanc Academiam, autoritate Illuſtrium DD. Ordinum traduceretur. Invenit hîc non modò portum ſecuritatis, ſed etiam commodum ſenectutis domicilium, ubi quod vitæ & profeſſionis reliquum erat, ex animi ſententia pertexeret. Etſi verò de priſtinâ aſſiduitate, contentione, ac de publico benè merendi ſtudio nihil remitteret; ſenſit tamen naturam exhauſtam curis atque laboribus ſenſim declinare, ac fatalia ſenectæ detrimenta pati. Imprimis poſtremo quinquennio magna articulorum, pedum, ac brachiorum imbecillitate laboravit; ſubinde quoque acutiſſimis doloribus & convulſionibus infeſtatus, inſuperque familiari ſibi capitis vertigine vexatus fuit. Contra quæ ita firmavit animum Chriſtianâ patientiâ, ut in paterna Dei voluntate abſque murmure acquieſceret: tum etiam ſenſum malorum ſuorum indefeſſâ laborum tolerantiâ diſcuteret.

Die Sabbathi 27. Maij. an. 1637. ſub veſperam, catarrho in ſcapulam ſiniſtram incumbente, pejus ſolito habere cœpit, atque eam noctem penè inſomnem & ſine quiete egit. Sequente, qui Dominicus & feſto Pentecoſtes ſacer erat, ſummo mane è lecto prorepens, aliquoties tentavit vires, poſſetne in publicum ad concionem procedere. Verum debiliores expertus, domi ſe continuit, & piarum Meditationum atque precum exercitijs vacavit. Secutum eſt levamen aliquod dolorum, ut etiam prandio cum familia pro more intereſſe poſſet. At mox recruduit latens malum, coegitque ipſum lectum repetere. Ubi initio cubans, inde ſedens, cùm ſe jam meliuſculè habere arbitraretur, quaſi hemiplexia tactus, ſubito reclinata cervice, animam Chriſto Servatori, inter gemitus preceſque adſtantium, reddidit: paulò poſt horam duodecimam die xxviii. Maij, Anni 1637. cum vixiſſet in terris annos lxxii. menſes v. diem i. Fuit vir candidus, antiquæ

antiquæ ſimplicitatis amans, alienus ab avaritiâ, ſorte ſuâ per omnem vitam contentus, imprimis autem cultor officij religioſiſſimus. Ad cujus gloriam etiam illud facit, quod quatuor filios habuit Profeſſores in quatuor Academijs, Caſſellis D. JOHANNEM, qui fata patris biennio antevertit; Ultrajecti D. ANTONIUM Patri cognominem: cujus etiamnum illuſtris gloria claret. hic Groningæ D. CONRADUM; D. CHRISTOPHORUM in inclyto Hardervicено, illos jurium, hos Medicinæ Doctores Clariſſimos.

OPERA EDITA.

Notæ & Animadverſiones in Libros IV. *Inſtitutionum Imp. Juſtiniani: quæ brevi (Deo favente) emendatiores & auctiores in lucem prodibunt.*

Collegia Juris ſex, unum fundamentorum Juris; alterum tertium & quartum Inſtitutionum; quintum Pandectarum; ſextum Codicis, quibus adjectæ ſunt Diſputationes quædam extraordinariæ.

Scripſit etiam Commentaria in varios Digeſt. & Cod. titulos: quæ apud Filios hæredes adſervantur.

HENRICUS ALTING.

ALmam hanc lucem Vir ille Dei primum adſpexit Embdæ Friſiorum, emporio nobili, ſed hoſpitio, religionis cauſâ è Belgica vicina exulantium, per ea tempora longè nobiliori. Natalis ei dies XVII. Febr. Juliani, anni CIↃ IↃ LXXXIII. qui dies erat Dominicus, ut & emortualis XXV. Auguſt. CIↃ IↃC XLIV. quaſi ſtudio id agente naturâ matre; ne vir ſanctiſſimus Domino dicatus alio quam Dominico die vel naſceretur, vel denaſceretur, vitam in Domino ordiens ſimul & claudens. Familia ALTINGIA perantiqua & nominis in hac Provincia celeberrimi ac notiſſimi annalibus, ex qua MENSONES ALTINGII duo, (quorum hic An. CIↃ IↃXXIII. obſes traditus Carolo duci Geldriæ, nomine Ordinum Drentiæ: iſte ejus proavus Reynoldi III. cognomento Pinguis, Geldriæ quoque ducis An. CIↃ CCCLX. Conſiliarius fuit. Ex eadem *Egbertus Alting* Secretarius, & hujus filius *Joachimus Alting* Civitatis Groninganæ, Hiſpanis ereptæ & Societati Ordd. Gen. redditæ CIↃ IↃCXCIV. inter primos deſignatus Conſul, quo alijſque ex Reip. ordine geſtis muneribus ad finem uſque vitę CIↃ IↃCXXV. functus, multa pro ejus commodis & egit & paſſus eſt, quibus ad omnem poſteritatem deſideratam ſui memoriam reliquit. Pater huic noſtro Theologo fuit MENSO ALTING *Menſonis*, quem diximus obſidem pro Drentiæ ordinibus datum, ex filio primogenito *Rudolfo* prętore Eeldano, nepos, Eccleſiæ Embdanæ per annos XXXVIII Paſtor fidelis & Zelotes; ac contra Anabaptiſticos furores ac Ubiquitiſticas machinas Propugnator fortiſſimus: qui & in agro Groningano ad Helpenam, ſub ipſa Albani ducis graſſante tyrannide primus (una cum Wichero Mileſio & Feitone Ruardi) bonum ſemen verbi divini ſpargere cœpit, circa annum CIↃ IↃLXVI. & urbe Hiſpano ereptâ, ac fœderi Ordd. Belgij redditâ, primus Reformatorum in templo ejus majori, quod Martini nomen fert, Concionem Sacram habuit XVII. Julij CIↃ IↃ XCIV. Mater MARIA BISCHOFF ex familia ſimiliter antiqua & honoratâ in agro Juliacenſi, filia *Henrici Biſchoff à Vucht*, Scabini oppidi Gangelt, cujus in noſtro nomen renovare parentibus placuit. Literarum ſtudijs, & Eccleſiæ per illa ædificationi, quaſi ab utero devotus, anno vitæ VII. Chriſti CIↃ IↃXC. in Schola patriæ urbis, earum rudimentis imbui cœptus, cujus claſſes omnes intra ſeptennium feliciter & cum laude emenſus, Groningam à parentibus ablegatus eſt. Ibi uno anno Conrectoris Buningij, tum tribus inſuper annis integris Cl. Ubbonis Emmij dexterrimâ inſtitutione in ſtylo Latino Græcoque informatus, neceſſarijſque Philologiæ ac Philoſophiæ principijs, ad altiora ſtudia ritè pręparatus eſt. Quibus capeſ-



Quem tulit Emda parens, quo ſe Heidelberga docente
Extulit, & merito cive Groninga cluit,
Cernitur hoc vultu ALTINGVS. *mens conſcia veri*
Perstat, et eſt priſcæ ſimplicitatis amans.
Commendat doctrinam usus, prudentia vitam;
Temperat eloquium cum gravitate lepos.
Sic et Principibus potuit placuiſſe Scholisque:
Et desiderium liquit utrisq; ſui.

bus capeſſendis in Germaniam, tanquam ad mercatum ſolennem litcrarum, in alta tunc illius pace paſſim florentium, juſſu patris profectus an. CIↃ IↃCII. ſalutato Marpurgo Herbornam ſe contulit, Scholam quidem illuſtrem, Theologorum tamen doctiſſimorum præ multis Academijs fœcundiſſimam matrem. Clarebat ea tunc Johanne Piſcatore Theologo celeberrimo, cujus eximijs laboribus plurimum debet Eccleſia. Habebat eadem & Matthiam Martinium, poſt Eccleſiaſten Embdanum, tandem Bremanæ Scholæ Rectorem perpetuum, virum linguarum cognitione non minus quàm Sacrorum eximium: ut & Guilelmum Zepperum verbi divini ibidem miniſtrum, Theologum magnum & ſcriptis clarum. His, maximè verò Piſcatore, (qui duorum illorum, quos ex omnibus diſcipulis *magnos* prædicabat, *Altingium* Theologum optimum, *Conradum Vorſtium* peſſimum dicere ſolitus fuit) magiſtris, non ita longo tempore, mirâ ingenij felicitate eos fecit progreſſus, ut facultas ipſi à Profeſſoribus conceſſa Collegium Philoſophicum & Theologicum inſtituendi, atque ita velut præludendi gravioribus operis, quibus per reliquam omnem vitam cœleſtem Sapientiam ſtudioſæ juventuti inſtillavit. Sic triennio ibi exacto, cum jam de Eccleſiæ miniſterio, tanquam metâ ſtudiorum ſuorum cogitaret, eumque in finem iter meditaretur in Helvetiam & Gallias, ordinis eccleſiaſtici rectiùs percipiendi gratiâ, aliò vocantibus fatis, à Johanne Seniore Comite Naſſovio, commendantibus eum Piſcatore, Zeppero, Martinio, deſtinatus fuit Ephorus trium juniorum Comitum, Guilelmi Naſſovij, Conradi Ludovici Solmenſis, & Philippi Erneſti Iſenburgici, qui tunc Sedani literis, linguæ, moribus, operam dabant, unà cum Sereniſſimo Principe Friderico, Friderici IV Electoris Palatini filio, poſt Bohemiæ rege. Erat enim tunc temporis Sedanum ſub Duce Bullionæo, Equitum Tribuno primario ſive Mareſchallo Franciæ, (ut vocant) heroë antiquis comparando, quaſi Illuſtrior quædam Principum & Magnatum, ad omnium virtutum officia & exercitationes Palæſtra. Eò igitur ad præmiſſam jam Generoſam ſibi credendam juventutem commigraturus, primùm Heidelbergam profectus, Johanni Alberto Comiti Solmenſi patri Conradi Ludovici, magno aulæ Electoralis Palatinæ Magiſtro ſe ſtitit. Inde Fridelshemium ad ipſum Principem Electorem contendit, à quo & humaniſſimè exceptus, & clementiſſimè inſtructus literis ac commendatitijs neceſſarijs, Sedanum ſe contulit; quo appulit, ſuamq; Ephoriam adijt ſub initium Septemb. Ann. CIↃ IↃCV. Sed quod ab Henrico IV Galliarum rege urbi illi obſidionis periculum imminere videretur (licet ea nubecula mox evanuerit) non diu poſt Anno CIↃ IↃCVI cum toto comitatu ſuo, in quo cum Comitibus fidei ſuæ commiſſis & noſter inde digreſſus, Heidelbergam ſe recepit Princeps Juventutis Palatinæ. Inde in aula Electorali demandata ei inſtitutio continuata, trigæ illi Comitum adjecto de voluntate Electoris quarto Johanne Conrado Rheingravio. Imo eâdem æſtate ipſe Sereniſſimus Princeps Fridericus ejus curæ cœpit commendari, quem per Hiſtorica & Geographica deduceret: ac tandem cum Ampliſſimo prudentiſſimoque viro Dn. Zacharia Colbio Ann.

ↄↄcviii. ejus ſtudijs abſolutè præfectus, ac cum ipſo Sedanum iterum fuit ablegatus. Hic diurnas horas muneri demandato ſic in ſolidum conſecrabat, ut nocturnas quieti ſuæ ſuffuratus Theologiæ impenderet: quâ in facultate Academia Sedanenſis magnos tunc viros habebat, Danielem Tilenum Sileſium, tunc adhuc orthodoxum, & Jacobum Capellum, (cui poſt Cl. Samuel Mareſius in Profeſſione Theologica & Eccleſiæ miniſterio ibidem ſucceſſit), quorum ut amicitia & familiaritate frui, ſic converſatione liberiore plurimum ipſi dabatur proficere. Sed Principe Electore demortuo An. cIↄ Iↄcx. Heidelbergam redeundum fuit, continuante etiam tunc magna fide munus ſuum noſtro. Cujus teſtimonium retulit illuſtre, quando Illuſtriſſimus Princeps ab ipſo fuit examinatus in omnibus Religionis capitibus, præſentibus Sereniſſimo Adminiſtratore Johanne Bipontino, Magnifico D. Petro Brederodio, Legato Belgico nomine Principis Auriaci, Magno Præfecto, Cancellario, alijſque Curię Auguſtæ conſiliarijs, nonnullis item ex Senatu Eccleſiaſtico, Academiâ, Miniſterio Heidelbergenſi & Senatu urbico delegatis: & reſpondit ad omnia valdè expedito & commodo ſermone, eoque Latino. Ut & Princeps magnis encomijs affectus, & Ephoro ejus *Altingio* publicæ gratiæ actæ fuerint. Imò hujus magiſterij ejus ne unquam apud poſteros inteſtata queat eſſe induſtria, vel Roma, quod miremur, faciet: quæ in Bibliotheca Vaticana inter Heidelbergenſia cimelia, (dicam an ſpolia, oſtentat themata & exercitia ſtyli Regis Bohemiæ, *Altingij* manu emendata, eruditis peregrinatoribus minimeque ſuperſtitioſis viſenda, atque non minus credo, quàm plęreque ipſorum reliquię ἀξιοθέατα, digna ſpectatu. Decreta vero an. cIↄ Iↄcxii Principis profectione in Angliam, eum quoq;, etſi jam ex ephebis egreſſum, noſter inter alios viros delectos comitatus eſt, quo in itinere pręſentiſſimum vitæ periculum, unà cum Cl. Abrahamo Sculteto alijſq; in lacu Harlemenſi, poſt primogenito Principis ſui funeſto ac fatali, adijt, quum ſubita ac procelloſa coorta tempeſtate, naufragio ac ſubmerſioni proximi, ægrè tandem toto corpore madentes, ſalvi tamen divina clementia in proximam ripam evaſerunt, vii. Octobris inter ſecundam & tertiam pomeridianam, qua ipſa venerandus ſenex *Menſo Alting* parens ejus Embdæ fatis conceſſit, procelloſo hujus vitæ mari ſuperato, in fęlicitatis æternę portum ſubductus. In Angliam ſecundior ipſi exſtitit navigatio, & commoratio jucunda, ob viros magnos quibus ibi familiariter innotuit. E quorum numero Georgius Abbot, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Vir doctiſſ. & ſanctiſſimus, Johannes King Epiſcopus Londinenſis; Doctor Georgius Hacquellus Principis Walliæ tum Ephorus, aliique. Quin & ipſius Regis doctorum, Jacobi vi. alloquio dignatus, clementerque ab ipſo exceptus fuit atque dimiſſus. Nuptijs Electoralibus inter Fridericum & Eliſabetham ibi concelebratis, an. cIↄ Iↄcxiii. menſe Februario, à Celſitudine ſua in patriam

in patriam, cum Generoſis diſcipulis ſuis ipſis, Kal. Martijs præmiſſus eſt. Quibuſcum Zelandia, Flandria, Brabantia, Limburgenſi, Juliacenſi, Colonienſi ditionibus peragratis, Heidelbergam rediit, ipſis Kal. Aprilibus, Principe ſuo cum nova nupta brevi poſt eodem ſubſecuto. Vix quarto inde menſe elapſo, Theologica Locorum Communium Profeſſio, in antiquiſſima & tunc florentiſſima Heidelbergenſi Academia legitimè ei, licet ex improviſo, demandatur; quam adijt XVI. Auguſti, ipſo Principis ſui natali die, ipſo ſic volente Principe, qui cum tota aula inaugurationis actum illuſtriſſima præſentia ſua cohoneſtavit. Sed quod per leges Academicas præſidere publicè diſputationibus non liceret, niſi Doctoribus ritu ſolenni creatis, præmiſſa diſputatione inaugurali à maximo Paræo, tunc Decano, Theologię Licentiatus, à Cl. verò Bartholomæo Coppenio Doctor ejuſdem facultatis ſolenniter ac more majorum renunciatus eſt, XIIX. Novemb. ejuſdem anni. Hanc Spartam arduam ſanè, ſi vel ſola incumbat, quum magna laude ſua, per annos aliquot ornaſſet, novi ſuperimpoſiti ei labores, quos tamen ſtudio de publico benè merendi, cujus hæc nova & pręclara ei occaſio, minimè detrectavit. Erat conjunctum Academiæ illi egregium & luculentum ſeminarium Eccleſiarum, optimis legibus inſtitutum & ampliſſimis dotatum reditibus, quod COLLEGIUM SAPIENTIÆ dicebatur. Hujus cura & inſpectio, Principe ipſo eum deligente, ei inſuper commiſſa fuit an. CIↃ IↃCXVI. d. XV. Octob. ut cum Collegis duobus juventutem ſacris devotam, privata inſtitutione & diſciplina ad Miniſterium præpararet. Quo in munere quanta ac quam fructuoſa ejus fuerit induſtria, vel ſexcenti, per Palatinatum & poſt toto orbe diſperſi Eccleſiarum Reformatarum Miniſtri, grata memoria recolentes, quos ex cura culturaque ejus fructus retulerint, abundè teſtabuntur. Dum duplici hoc labore, Inſpectionis in Collegio, in Academia verò Profeſſionis, conſtanter fungitur, moritur Cl. Coppenius An. CIↃ IↃCXVIII. ejuſque Profeſſio, quæ Facultatis ſecunda erat, illi defertur: quam ille, ſua quam nactus erat Spartâ acquieſcens, magno & raro modeſtiæ exemplo recuſavit, & qua pollebat in Aula gratiâ & authoritate, ut in Cl. Abrahamum Scultetum transferretur, effecit. Eodem tempore cum ſopiendis controverſijs in Fœderata Belgica ab Arminij ſequacibus excitatis Synodus Nationalis, indiceretur, & ex toto orbe reformato, viri graves, pij & docti, excirentur, qui tam auguſto Conſeſſui intereſſent, Dordraci an. CIↃIↃCXIIX. & CIↃ IↃCXIX. habito, *Doct. Altingius*, cum duobus Collegis, ex Academia Heidelbergenſi quidem Doct. Sculteto, ex Senatu autem Eccleſiaſtico Doct. Paulo Toſſano, atque ſuam in rebus ſacris eruditionem eximiam, ac ſummam in negocijs difficilioribus explicandis, ἀγχίνοιαν cunctis luculenter approbavit. Quo ipſo tempore cum Collega ſuo D. Sculteto, ipſemet Theologicæ Facultatis in alma

Heidelbergenſi Decanus, ordinem Doctoratus in Academia Leidenſi collapſum feliciter reſtituit, ſolenni renunciatione Licentiato, & mox per Celeberrimum Collegam Doct. Scultetum Doctore Theologiæ creato, Cl. Dn. Johanne Polyandro Profeſſore, ac tunc Rectore iſtarum Athenarum, qui ſuis deinceps Collegis eundem gradum contulit. Quo nomine incluta Batavorum Academia magis etiam ipſi debet, quam olim R. Jehudæ ben Baba ob manuum impoſitionis actum legitimum, ſibi illius operá reſtitutum, Scholæ Judaicæ: de quo Scaliger in Elencho Trihæreſij cap. 10. Vix peractâ Synodo, damnatis turbonibus, orthodoxiâ in arce repoſitâ, *Altingius* cum ſuis Collegis Heidelbergam ad ſua redierat, cùm incipiunt tumultus Bohemici. An. CIƆ IƆCXIX. Elector Rex Bohemiæ eligitur, coronatur: Anno ſequente XX. Spinola in Palatinatum irrumpit, Prælium Pragenſe committitur, & cujus in eo alea vertebatur Regnum Bohemiæ amittitur. Rex triſti ac difficili fugâ in Belgium elabitur. Sic anno CIƆ IƆCXXI. Academia Heidelbergenſis collabi, dilapſis præ metu Studioſis, & Profeſſoribus ipſis facultate factâ, in tutiora quò vellent ſe recipiendi. Noſter tamen, familia tantum providè in locum ſecurum Heilbronnam dimiſſâ, in ſtatione ſua perſiſtit, Collegiiq; Sapientiæ membra veteri more in officio continet, ſcientiaque ac moribus convenientibus in uſum Eccleſiæ præparat, imperterritus contra imminentia pericula, zelo inſerviendi Eccleſię Dei, ſtudioque ſatisfaciendi conſcientiæ, ſuumque approbandi Regi ſuo obſequium, qui id ab ipſo enixè per literas Hagâ ſcriptas petierat. Anno CIƆ IƆCXXII. menſe Auguſto, Urbs, quam hoſtis antea fruſtra tentaverat, obſidione cincta à Tillio, & VI. Sept. impetu & vi capta, omniaque dira exempla paſſa, direptionis, lanienæ, libidinis, quæ militaris licentia, victoris inſolentia, odium religionis, barbarorum Croatarum feritas, comminiſci potuêre aut patrare. Erat tum noſter in Muſéo ſuo, perceptoque triſti hoc nuncio de hoſte jam urbe potito, ac in medijs ejus viſceribus graſſante, peſſulo januæ obdito, ad unicam pijs ſolitam anchoram confugit, Invocationem Numinis preceſque devotas, in momenta ſicarios exſpectans, quorum cruentis manibus innocens victima Deo ſuo accepta immolaretur. Sed ſummus ille vitæ & necis arbiter illius curam habuit, ut ſubmonitus & excitus ab amico M. Seehuſio, Scholæ Rectore, duobus militibus eum in finem ſtipato, ſeſe per poſticum ſubduceret ac reciperet in ædes Cancellarij, quas Tillius direptioni exemptas voluerat, ob publica ibidem repoſita Reip. monumenta. Illis aſſervandis deſtinatus fuerat Protribunus, ſive vicarius legionis Comitis de Hohenzollern, homo prędæ avidus, & qui ne hæc ſtatio ſibi damno eſſet, ſuos quaſi venatum interea emiſerat, ut quos deprehendiſſent cives melioris notæ, ſub ſpecie aſyli captivos ſibi ſiſterent, grandi lytro emungendos.

gendos.

gendos. Ad hunc bipennem, adhuc ſanguinolentam, vibrantem, adducto hoc quoque noſtro, *Hodie* (jactabat Thraſo ille) *hâc manu decem homines confeci, ad quos Doct. Altingius brevi adjiceretur, ſi ſcirem ubi lateret. Tu verò quis es?* Sanè ille vultus, ille habitus, ille ſermo, is rerum articulus, quemvis alium percelre poterat: at noſter imperterritus, ſolerti tamen uſus reſponſo, nec apertè ſe negavit Altingium, nec tamen intempeſtivè ſe prodidit, eâdem ferè quâ olim in caſu ſimili S. Athanaſius dexteritate uſus, *Ego*, inquit, *Ludimagiſter fui in Collegio Sapientiæ.* Sic in Ludimagiſtro, Altingio fidem dedit ille Cyclops, quem illicò ſi Altingium eſſe noſſet, obtruncaturus erat. Eâ nocte inſomni & mœſtâ inter lamenta & ejulatus, quibus omnia undique perſtrepebant, aut ſequioris ſexus vim patientis, aut virorum equuleis ſubditorum, ac per varia tormenta ac vulnera lentâ citave morte affectorum, quod ad ædes eas, velut unicum aſylum confugere pleroſque cerneret, veritus ne imprudentia vel malitia etiam alicujus proderetur, ſe in ſupremum ejus recepit tabulatum. Ibi dum latet, truculentus ille Legatus, imperio Tillij derepentè excedere ædibus illis, eaſque Jeſuitis, quibus aſſignatæ erant, cedere cogitur, ne quidem tempore conceſſo ad ſuum unà Ludimagiſtrum conquirendum & abducendum. Cum his novis inquilinis minus tuta noſtro fuiſſet manſio, abſque peculiari Dei cura, quæ evidentiſſimè ſe hic oſtendit. Nempe cùm Tillio ipſi ibi quoque inſtrueretur culina, eique unus ex coquis aulæ Palatinæ præficeretur, ab eo non ſolum noſter clanculum neceſſaria vitæ ſuſtentandę ſubſidia conſecutus eſt, ſed etiam conductis opera ejus tribus militibus Bavaris, quorum pręſidio in plateis contra vim & licentiam ferri graſſantis tutus eſſet, dum Jeſuitæ toti ſunt in templis ad Miſſas adornandis, facultatem nactus eſt ædes ſuas reviſendi. Iſthìc omnia reperit afflicta, comminuta, lacerata, expilata, & in Muſéo ſuo dominantem Centurionem neſcio quem, qui *Hæc omnia nunc ſua eſſe* gloriaretur, facultatem tamen ei faceret, ſerio-ne & civiliter an ſarcaſticè incertum, unicum quem vellet de omnibus deligendi & ſecum auferendi libellum. Cui, adſpernatus oblata, generoſè noſter, *Si hæc*, ait, *tua ſunt, tibi diuturniorem eorum Deus largiatur poſſeſſionem, quam priori Domino*, & cum dicto, ultimo vale dicto veteribus poſſeſſionibus, pedem inde retulit, velut cum Biante ipſo facto profeſſus, Omnia ſe ſua ſecum portare, aut Jobi animo ac verbo ſuo facto, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Reverſus inde ad latebras ſuas, nec ſine grandi periculo invadentibus per viam, dum occurſu Jeſuitarum ſiſtitur & ad Colloquium vocatur, Croatis aliquot ſtrictis acinacibus, quorum vim militum, quos ſecum ducebat ope, ac fuga ad ædes quibus proximus erat januaque objecta ægrè evaſit, tandem tertio die à Tillio, per ſo-

 cerum

tâtem Heilbronnam excurrendi, ut familiam inde ſuam deduceret. Ita elapſus caſu Trojano Heidelberga, per varias lethi imagines Heilbronnam, inde Schorndorffium, ubi ſuam offendit familiam, pervenit. Ibi ad Februarium uſque hæſit, facultate hac per Sereniſſimam Electricem impetrata à Duce Wirtembergico, cujus aliàs miniſtri Lutherani, quaſi Ponti Axeni accolæ, aut aves Diomedeæ, quæ ſolos ſocios gratanter excipiunt, id ferebant ægerrimè, non alia de cauſa, quàm quòd *Altingius* Profeſſor eſſet Heidelbergenſis. Hinc à Rege in Belgium evocatus An. CIƆ IƆCXXIII. longo, difficili, ſinuoſo, ac ſumptuoſo itinere, partim terreſtri partim navali, in Patriam ſuam Embdam venit, cum familia univerſa, qua ibi tantiſper relicta in Batavos excurrit, ac ſuo ſe Regi ſtitit; qui extra ordinem ei Fridericum Henricum primogenitum ſuum (poſt anno CIƆ IƆCXXIX. Januar. VII. in lacu Harlemenſi, navi, ſeu negligentia naucleri, ſeu culpa nebuloſi cœli proſpectum præpedientis, in cymbam occurrentem impacta & ſoluta, lacrymabili fato ſub oculis Patris, vix ſervati ex communi periculo, exſtinctum) curæ atque inſtitutioni ejus commendavit: nec Embdanis ad Miniſterium Eccleſiæ eum iteratò vocantibus, quò & animus ejus pronus ferebatur, ſi Rex annueret, ut concederet induci potuit. Hoc quoque anno, CIƆ IƆCXXIII. grave adijt vitæ periculum prope Purmerendam, traha vectus per glaciem, eâ ſubſidente ſubmerſioni proximus: qua Dei propitij favore evitata, in morbum incidit gravem, ex quo deinceps perpetuum in brachio dextro languorem ſenſit. Evocata poſt Embda ad ſe familia ſua univerſa Leidam commigravit, à Rege filiorum ſuorum ſtudijs tantiſper præfectus: quibuſcum maximam partem anni CIƆ IƆCXXV. propter graſſantem Leidæ luem epidemiam Hontſlardijcki exegit. Ibi dum eſt, ab Ill. Dn. Ordinibus Friſiæ, ad Academiam Franequeranam, in locum Cl. Sibrandi Lubberti evocatus, & quidem iteratò, miſſo vice alterâ qui rem urgeret D. Sixtino Amama: ſed Rege ita volente, honeſtè ſeſe excuſavit. Anno verò CIƆ IƆCXXVI. ad hanc Academiam in locum Cl. Ravenſpergeri, primi in ea Profeſſoris Theologi honorificè vocatus, etſi primò Rex difficiliorem ſe præbuerit, viro Ampl. Dn. Bernardo Julſingio, tunc urbis hujus Senatori (poſt Conſuli) & Academię Curatori, qui S. Majeſtatem ſuper ea petitione, cum Nob. Dn. Gooſwino Schaffero, Civitatis hujus nomine ad Conſeſſum Ordd. Gen. Deputato Ordinario, compellabat: tandem tamen ſub conditione ac proviſionaliter, ut loquuntur, conceſſus eſt. Sic commeatu à Rege impetrato huc ipſe venit & operam ſuam circa Paſcha anni ſequentis CIƆ IƆCXXVII. Academiæ addixit, ac menſis Junij die XVI. munus ſuum feliciter eſt auſpicatus: indeque ad ſummum uſque halitum ſingulari ſtudio & fide illud ornavit. Nec minus ſub initium, dum Rex & filiorum ipſius educatio id poſceret, quotannis in Hollandiam ad Ipſum, cui ſemper gratio-

pergratioſus & charus atque intimæ admiſſionis erat, excurrebat, Regiæque ſobolis ſtudia inſpiciebat, ordinabat, cenſebat. Qua porrò fide, diligentia, induſtria, in hac Profeſſione, per annos ferè Octodecim verſatus ſit, præter vivos teſtes, quibus purioris doctrinæ facem prætulit, quoſque publicis ac privatis laboribus ad miniſterium formavit, teſtabuntur præclara opera, inde enata, quæ ab eximijs paternæque glorię æmulis filijs, partim luci publicę dari cœpta, partim porrò danda, ſpes facta eſt. Sceptrum Academicum, ter ipſi legitimè commiſſum, annis CIϽ IϽCXXIIX. XXXVI. & XLI. maximo ſemper cum Academię emolumento geſſit. In primo Rectoratu ab Ill. Ordd. Provinciæ, beneficij menſæ publicæ augmentum impetravit, ut cum ante XL. ſolùm Studioſi in Contubernio ſeu Burſa, quam vocant, victum caperent, LX. ab eo tempore locus fuerit: in altero Bibliothecæ Academicę luculentam procuravit acceſſionem: in tertio item id effecit ut Academiæ Bibliothecarius publicis ſumptibus Leidam amandaretur, qui ex Cl. Gomari Bibliotheca, publica auctione ibi diſtrahenda, non paucos melioris notæ libros noſtræ coëmeret. Eccleſiæ Groninganæ per ſeptennium Presbyter ſive Senior fuit. Comitatum Steinfurtenſem, Comitis Benthemij pia ſollicitudine & autoritate ad id accitus, perluſtravit, & à Socinianiſmi metu, rebus Eccleſiæ conſtitutis, liberavit. Recenſioni quoque Novæ Verſionis N.T. & librorum Apocryphorum, cum alijs aliquot viris doctis, autoritate publica pręfuit, maxima aſſiduitate & in medio peſtilitatis periculo, quæ tum Leidam depopulabatur. Eccleſiarum Germaniæ ac ſpeciatim Palatinatus, ſingularem ſemper curam geſſit, operamque dedit, ut impetratis liberalibus in orbe Reformato pro illis ſubſidiis, utcunque hoc beneficio ſuſtentarentur, nec planè perirent. Collectæ Anglicanæ diſpenſatio ipſi, cum duobus alijs adjunctis, ab Electore Carolo Ludovico commiſſa fuit. Præfuit item ſacris largitionibus, viri Nobilis & verè Munifici Dn. Ludovici de Geer, earum etiam parte, in ſpem futuram Eccleſiarum Palatinarum, hoc eſt, in Juvenes Germanos, S. Theologiæ Studioſos, pari prudentia & fide ſpeciatim derivata. Ab Ultrajectinis nequicquam tentatus fuit indirectè; fruſtra quoque à Leidenſibus palam, directè & ſolenniter vocatus. Etſi enim vocationem eam, ſibi per Ampl. Syndicum Leidenſem, Curatorum nomine delatam, an. CIϽ IϽCXXXIII. ſub ea conditione admiſiſſet, ſi Ill. hujus Provinciæ Ordinum conſenſus, ad ſe dimittendum queat impetrari: charior tamen fuit Proceribus illis, quàm ut eum Hollandiæ, licet iteratò ac tertiò petitionem urgenti, concedere vellent. Fuit etiam revocatus Heidelbergam bis à Sereniſſimo Palatinatus Adminiſtratore, Principe Ludovico Philippo: ſemel anno CIϽIϽCXXXIII. ad Profeſſionem Theologicam & Senatum Eccleſiaſticum; iterum anno ſequente ad Academiæ & Eccleſiarum reſti-

tutionem per Palatinatum. Verum poſtquam per varia pericula, quaſi per ſaxa, per ignes, Francofurtum uſque proceſſiſſet, infauſta iſta pugna & clades Nordlingana interveniens, totam illam ſpem præclaram in ipſa herba intercepit. Ipſe vero longè adhuc difficiliori itinere per extremas Galliȩ oras Principatum Sedanenſem, & Provincias Belgicas Hiſpano parentes, ad ſuos, quarto poſt abitum menſe decurrente, reverſus eſt. Uxorem Heidelbergæ, paulò poſt quam ad Profeſſionem Academicam inauguratus eſſet, duxerat an. CIↃ IↃCXIV. virginem pietate ac virtute ornatiſſimam, *Suſannam Belieriam*, filiam Ampliſſ. *Caroli Belierij*, Cos. Heidelbergenſis & Provinciȩ Commiſſarij; ac *Franciſcæ Saureau*, origine Tornacenſium, ſed qui religionis cauſa relictâ Flandriâ, ſedes ſuas Heidelbergam tranſtulerant. Cum ea per annos prope XXX. ſine rixa, ſine querela conjunctiſſimè vixit, VII. ex ea liberorum Pater, quorum ipſi ſuperſtites adhuc tres, filia una, filij duo: quorum major natu *Menſo* U. J. D. rationibus Americanæ Societatis per annos complures præfectus, nunc in illuſtri Scholâ Academicâ Daventriæ Juris Profeſſor laudatiſſimus: alter *Iacobus*, ſuſceptis in Anglia ſacris miniſterij ordinibus, per annum prȩconio Verbi linguâ ipſorum ibi cum laude functus, nunc in hac alma Academia linguarum Orientalium Profeſſor Ordinarius & Eccleſiaſtes. Si habitum quoque corporis requiras, erat ſtatura ſatis procera ſed quadrata, oculis omnibuſque ſenſibus vegetis & acerrimis: voce grata & ſonora; temperamento ſatis commodo, ſed ex varijs vitæ accidentibus ad melancholiam paululum inclinato, unde in eos frequenter incidit morbos, in quibus hic humor prȩdominatur. At mentem animique dotes ſi ſpectes, Pietatis ἀνυποκρίτου omnigenæque eruditionis ac virtutis erat penus. In docendo cum majeſtatȩ quadam facundus, perſpicuus, ſolidus: in converſatione quotidiana blandus ac comis: in conſortijs amicorum urbanus etiam & feſtivus: in aula ſemper gratioſus & innocens: in Cathedra diligens & aſſiduus, alienus ab omni πολυπραγμοσύνῃ: Judicij quoad vixit firmiſſimi & feliciſſimæ memoriæ: Hiſtoriæ utriuſque Eccleſiaſticæ & exoticæ βιβλιοθήκη ἔμψυχος: Theologus conſummatus, alienus à jurgijs & vitilitigijs cuminiſectorum, ab ijs diſtinctiunculis & ineptijs Sophiſtarum, quibus myſteria ſalutis potius implicantur quàm explicantur: à ſcrupuloſitatibus præciſiſtarum, qui nodum quærunt in ſcirpo, colant culicem camelum deglutientes: ab omni denique καινοφωνίᾳ & novatione in Theologicis, quaſi illud ſemper Tertulliani tenens, *Primum quodque veriſſimum*. Theologiam probabat ac tuebatur ſolidam ac maſculam, non ex lacunis Scholaſticorum, etſi illarum inexpertus non eſſet, ſed ex fontibus Siloë & Scripturarum derivatam; ut gloriæ ſibi duceret, ſe ab imperitis nonnullis ac naſutis Palæmonibus traduci tanquam *Theologum Scripturarium &*

rium & Biblicum. Pacis tum in omni vita tum Eccleſiaſticæ ſtudium in illo conſtans, ſed citra diſpendium veritatis, cui primas ſemper deferebat partes; Orthodoxiæ retinentiſſimus & zelotes. Animus ipſi verè cubicus & ſibi undique ſimilis, fortis in adverſis, in proſperis moderatus, & qui benè didicerat ἀνέχειν καὶ ἀπέχειν. In reprehendendo erat patheticus ſine acerbitate, ut in cenſurâ vitiorum gravitate, ſic in adhortationibus ad officium lenitate pariter venerandus: in conſolando dexteritatis ſingularis; in conſulendo prudentiæ ſine moroſitate exquiſitæ: judicij in amicitijs eligendis acerrimi, conſtantiſſimi in retinendis. Quoties vel in Senatu Academico, vel Eccleſiæ Synedrio diceret ſententiam; ſic alijs præibat ſapientiſſimis conſilijs, ut & ipſos audiret, nec ferret ægrè à ſe diſſentientes: nec facile ullus difficilis & Deo vindice dignus nodus incidebat, quem non ſagaciſſimo ingenio mox diſſolveret, omniaque expediret dexterrimè. Privatim etiam ſi quis ſive ſacris, ſive profanis, politicis, Academicis, ac œconomicis de rebus eum conſuleret, ea ſemper referebat reſponſa, quibus ſaniora nec ipſum Themidis, ut ſic dicam, oraculum edere poſſet. Hinc in familia ejus omnia ſemper pacata, omnia ordinata, de qua hoc ſolum ſciretur, quod à nemine ſciretur quid in illa fieret, niſi quod piè, compoſitè, decenter omnia fieri neminem lateret. Vir profecto ſummus, immortalitate digniſſimus, cujus poſſeſſionem occupaturus, cum in his terris nulli queat obtingere, in cœlum hinc tandem commigravit, corporis exuvijs morte temporali, ad quam ſupremis annis lento paſſu paulatim procedere viſus, piè depoſitis. Cum enim anno CIↃ IↃCXXXIX. die II. Octobr. filiam primogenitam *Mariam*, Virginem elegantiſſimam, & ad omnes virtutes natam, in florente ætate extuliſſet, ex illius deſiderio in mœrorem, ex mœrore in febrim quartanam incidit, quę ætate provectiori ferè letalis eſſe ſolet. Hæc ægrè expugnata peſſimas ſui reliquias in corpore debilitato reliquit, quæ anno CIↃ IↃCXLI. ſe exſeruêre morbo longè graviſſimo, lethargo nimirum qui apoplexiam minabatur, & quem Medici fatalem fore ominabantur. Sed & ex hoc eluctatus contra omnium expectationem, vires cœpit recolligere, etſi plenè ac integrè nunquam eas recuperavit. Tertius acceſſit impetus ex obitu lectiſſimæ uxoris, quam XV. Octobr. CIↃ IↃCXLIII. amiſit. Ab illo tempore ſenſim deficere viſus eſt, triſti hac ſolitudine melancholiam augente, cui poſtea expugnandæ par non fuit. Imò ipſe ſæpius ominabatur ſe Uxoris fata brevi ſequuturum. Occaſione feriarum Paſchalium, anni ſequentis CIↃ IↃC XLIV. mutandi aëris & recreandi animi cauſâ Embdam ad amicos exſpatiatus, non levamentum illud, ſed augmentum mali expertus eſt. Ex catarrho enim & febri ibi ultra viginti dies detentus valdè debilitatus redijt, obſtinatis contra pharmaca obſtructionibus multum

nibus multum vexatus: licet dilucida quędam intervenirent intervalla, quibus Profeſſioni ſuæ, Academiæ, amicis vacabat. Sed tandem res erupit in nervum, inde à Nonis Sextilibus obſtructionibus ijs non tantum invaleſcentibus, ſed appetitu planè proſtrato, & accedentibus ad illas ἀτροφία, ἀγρυπνία, μαρασμῷ, quibus ſuperadditi deinceps dorſi & laterum cruciatus magni, ex quibus multum debilitatus, frequentes ſenſit lipothymias. Viceſimo hujus menſis die, qui quintus ante ſupremum fuit, officij cauſa inviſenti ſe Cl. Dn. D. Mareſio Collegæ, firma adhuc voce & animo verè amico non ſolum ipſi decretos Recturæ honores fusè gratulatus eſt, ſed etiam ſibi, Academiæ, Eccleſiæ, quod eum, ad Dominum abiens, relinquat in Academia concordiæ ſtudioſum, Orthodoxiæ retinentem, & à novaturientium ingenijs alienum: ſimulque eum obteſtatus eſt, ut quam ſecum coluiſſet amicitiam, cum ſuis quoque poſt fata ſua retineret. Pridiè obitus ſui Pſalmum cxxx. ſacrumque aliud quoddam Canticum Germanicum velut Cygnæam cantionem, voce ſatis valida & zelo vehementi Domino decantavit; & quod diei ſupererat Deo & precibus impendit. Sub veſperam liberis ſuis benedixit, ac filio *Iacobo* præſenti (nam alter Amſtelodamo accitus in tempore adeſſe non potuit) præcepit, ut conceptis precibus Academiam & Eccleſiam Deo commendaret, velut animo præſagiens jacturam quam hęc ſuo, illa Keuchenij Eccleſiaſtæ, amici conjunctiſſimi, & nec morte ab ipſo, quâ triduo eum ſubſecutus, ſeparandi, abitu, jam jam eſſet factura. Die xxv. ejuſdem, qui Domino ſacer, eique ut olim natalis ſic nunc fatalis erat, videbatur ſibi manè paulo melius habere, etſi derepentè poſtea in animi deliquium inciderit. Peractis ſacris matutinis, Viri Illuſtres & Ampliſſimi veteres ac ſingulares amici ejus, D. Ludovicus Camerarius & Dn. Paulus Strasburgerus gener ejus, Coronæ Sueciæ uterque Exlegatus & Conſiliarius prudentiſſimus, eum inviſerunt, quo alloquio paululum excitatior morbum à natura devictum autumabat: at vix digreſſis eis ſenſit ceſſiſſe naturam morbo, ſuiſque prædixit, ante Solis occaſum ſe ad Dominum abiturum. Ita in ultimo mortis imminentis articulo fortis, fide morti ac merito Chriſti innixus, promiſſionibus Evangelicis ſuffultus, internâ Spiritus S. conſolatione & operatione exhilaratus, ſupremam horam non intrepidus tantùm, ſed etiam lætabundus exſpectabat. Paulo poſt primam, præſentibus omnibus ore conſtanti valedixit, quaſi mox in cœlum cum Chriſto Servatore, ad quem unicè anhelabat, migraturus. Ultima moribundi verba fuêre Servatoris ex Matth. xi. v. 23. *Venite ad me omnes, qui laboratis & fatigati eſtis, ego reſi-*

ego reficiam vos. Inde cum jam vox eum deſtituiſſet, & omnia ſpectare finem viderentur, evocatus è templo Rev. Paſtor Weſſelus Ub. F. Emmius, vetus & interioris admiſſionis amicus, qui preces iteratò concepit, & cum quamdiu audire ac intelligere viſus eſt, Evangelicarum promiſſionum tubâ, ad alacritatem & fortitudinem in ultimo hoc agone animavit; atque ſic circa tertiam pomeridianam lugentibus proximis & cognatis, Collegis pleriſque omnibus, alijſque amicis honoratis præſentibus, placidiſſimè, nullo angoris, nullo luctæ ſigno extrinſecùs apparente, curſu ſuo conſummato, in Domino obdormivit; cum vixiſſet in his terris annos LXI. menſes VI. dies VIII. Profeſſione Theologicâ functus annos XXXII. Sepultus fuit in templo Academico, quinto poſt obitum die, inciſumque lapidi *Epitaphium*, quod ipſemet ſub initium morbi lethalis filio dictaverat.

HENRICI ALTING

S. THEOL. PROFESS.

SEPULCHRUM FAMILIARE.

IN QUO

SUB SPE BEATÆ IN CHRISTO RESURRECTIONIS

DEPOSUIT

UXOREM CHARISSIMAM

SUSANNAM BELIER.

AN. CIƆIƆCXLIII. D. XIX. OCTOB.

FILIAMQ. PRIMOGENITAM

MARIAM ALTING.

AN. CIƆIƆCXXXIX. D. VII. OCTOB.

ET CORPORIS SUI EXUVIAS

DEPONI VOLUIT.

FACTUM AN. CIƆ IƆC XLIV.

D. XXX. AUGUSTI.

SCripta reliquit ſatis multa, partim perfecta, partim imperfecta. Iſtius generis ſunt potiſſimum Heidelbergenſia: hujus vero pleraque Groningana, quibus ſupremam manum imponere, limamve adhibere non ſivit tum interpellantium frequentia, tum occupationum moles. Queis dum vacat, conſilijſque viva voce aut per literas dandis diſtinetur, ut, quę libero ſermone in Lectionibus diſſeruerat, ſcripto conſignaret otium non invenit. Nec ſecundis curis, quod primum neglexerat, potuit penſare, cui religio erat, poſt aliquot annorum intervallum, labore reducto in orbem, actum agere, & eadem (præter Locorum Communium explicationes curſorias in uſum tyronum aut collegiorum) repetito Auditoribus proponerę. Fuerunt autem utraque tam Groningana, quam Heidelbergenſia ipſius Scripta ſæpius à multis magniſque Viris expetita, ipſomet adhuc vivente; quemadmodum & nunc avidè, inprimis per Germaniam & finitimas provincias, expetuntur; ſed ipſi ob rationes ſibi notas defuit voluntas, poſtmodum etiam facultas ingraveſcente cum ſenio virium imbecillitate. Ea vero poſt mortem ipſius, operâ Filiorum, ex parte fuerunt edita, nonnulla ſub prælo ſunt, alia eidem parantur. Omnium autem iſte eſt Catalogus.

SCRIPTA
HENRICI ALTING
EDITA.

NOtæ *in Decadem Problematum Iohannis Behm, de glorioſo Dei & Beatorum Cœlo. Heidelbergæ apud Iohannem Lancelot* 1618.

Scripta Theologica Heidelbergenſia tribus tomis: quorum continet,

I. Locos Communes cum Didacticos, tum Elencticos.

II. Problemata tam Theorica, quam Practica.

III. Explicationem Catecheſeos Palatinæ, cum vindicijs ab Arminianis & Socinianis. Amſtelodami apud Joannem Janſſonium 1646.

Exegeſis Auguſtanæ Confeſſionis, unà cum Syllabo controverſiarum Lutheranarum. Amſtelod. apud eundem 1647.

Methodus Theologiæ Didacticæ, & Methodus Theologiæ Catecheticæ. Amſtelod. apud eundem. 1650.

NON EDITA.

L*Oci Communes Theologici* Groningæ propoſiti, & in quatuor partes diſtributi: quæ ſunt.

Didactica

Didactica.
Problematica.
Elenctica.
Hiſtoricæ loca priora quatuor.

His ad abſolvendum Corpus Doctrinæ Theologicæ adjungenda *Practica*: ſed ea affecta tantum eſt.

Tractatus Theologici varij.

Neoteriſmus Vorſtij & Novatorum.
De Prædeſtinatione ſententia Lutheranorum, collata cum ſententiâ Novatorum, atque Orthodoxa analyticâ methodo propoſita.
De Providentiâ Dei ſpeciali circa hominem, cum appendice de Termino vitæ.
De Cærimonijs Typicis Legis Moſaicæ.
De Peſte.
De Vitâ Æternâ.
Commentarius in Inſtitutionum Iohannis Calvini librum primum, & ſecundi partem.
Explicatio & Refutatio Manualis Controverſiarum Martini Becani Jeſuitæ: inchoata tantùm.
Exegeſis Analytica Confeſſionis Belgicæ.
Explicatio & Vindicatio Canonum Synodi Dordracenæ, uſque ad ſecundum doctrinæ caput.
Notæ breves ad Catecheticas Explicationes Urſini.
Methodus Concionandi.
Iſagoge Biblica.
Syllabus Controverſiarum Pontificiarum.
Collegia Theologica varia.
Sylloge Diſputationum Theologicarum Heidelbergæ & Groningæ habitarum.

Exegetica.


Commentarius Analyticus in librum Pſalmorum.
Analyſes in aliquot Veteris & pleroſque N. T. libros.

Hiſtorica.

Compendium Hiſtoriæ Profanæ, à Daniele Pareo editum, titulo, Medullæ Hiſtoriæ Profanæ.
Compendium Hiſtoriæ Sacræ uſque ad Conſtantinum Magnum.
Hiſtoria Eccleſiæ Palatinæ à prima Reformatione uſque ad Johannem Caſimirum Adminiſtratorem.
Orationes in Academijs Heidelbergenſi & Groningo-Omlandica recitatæ.

JANUS GEBHARDUS.

NAtus eſt in Palatinatu ſuperiori Oppido Schwartzhoven, mille paſſus diſtante Neoburgo ad Sylvam Gabretam, Anno reparatę ſalutis humanæ cIↄ Iↄ xcII. a. d. VIII. Febr. intra tertiam quartamque antelucanam horam. Pater fuit *Ioannes Gebhardus* in eo loco verbi divini Antiſtes, vir doctus & eloquens, moris & candoris antiqui retinentiſſimus, quondam D. Caſparis Peuceri & D. Bugenhagij in Academia Wittebergenſi diſcipulus. Hic patrem habuit *Martinum* civem, avum *Andream* Syndicum Neoburgenſem. Mater fuit *Barbara Argiſedera* filia civis Ratisbonenſis è familiâ honeſtâ, & ibi haut obſcurâ. Parentes ut filium natum, Deoque per S. Baptiſmum conſecratum, quàm optimè educarent, teneroque cum lacte materno pietas inſtillaretur, omnem curam adhibuêre. Elucebant mox in puero ſigna raræ indolis, felicisque ingenij, & ſpem faciebant mox proventurę inde bonæ frugis, cùm velut connato quo amore ad libros ferretur, illiſque ſolis crepundijs ſe oblectaret. Quare ut pietatis literarumque fundamentis, Patris ipſius & adhibitorum pueritiæ ejus Doctorum proborumque Pædagogorum auſpicijs & operâ, domi feliciter jactis, ſolidum atque eximium quid inædificaretur, Pædagogéo illuſtri Ambergenſi anno cIↄ Iↄcv. à patre eſt inſertus, cui tum magnâ eruditionis ac in Juventute Scholaſtica regenda prudentiæ ac dexteritatis famâ præerat, Wigandus Spanhemius SS. Theol. Doctor. In hac minimè ocioſa bonę mentis ac ingeniorum palæſtra per annos VII. continuos exercitatus, cum præter ordinaria ac communia condiſcipulis penſa, horas ſubſecivas magno ardore bonorum autorum lectioni impenderet, unde plus ſe proficere, quàm ex ſchedis illis, quas ad faſtidium uſque teneræ ætati nec captui reſpondentes obtrudere ſolent Orbilij, ſentiebat, eos in artibus ſimul ac Græcis Latiniſque literis fecit progreſſus, ut inde ad Academiam Heidelbergenſem præ cęteris egregiam utriuſque linguæ ſeu proſâ, ſeu verſâ oratione, dicendi ſcribendique afferret facultatem, & aliquid haut vulgare de ſe polliceri videretur. Qua ſpe anno cIↄ Iↄcxii. Menſe Octobr. in numerum alumnorum Collegij Sapientię Heidelbergenſis Præſide loci primùm D. Quirino Reutero Theologo præſtantiſſimo, mox hunc ſubſequente Dn. Cellario Senatore Eccleſiaſtico, receptus eſt, ſub quibus & aliorum Clariſſimorum virorum inſtitutione per triennium ferè multijugâ eruditione ingenium excoluit. Quùm verò animus non ita inclinaret ad Theologiæ ſtudium, magiſque arrideret Oratorum, Hiſtoricorum & Poëtarum lectio, favente & promovente benigniſſimè hos naturę ductus SereniſſimoElectore Friderico V. totum ſe hu-



Corporis hæc forma est GEBHARDI, *candor amicis*
Notus et integritas, mensq; laboris amans.
Eloquio vere purum, doctumq; Poetam
Hiſtoricumq; gravem parva tabella refert.

M. PASOR.

tum ſe humanioribus ſtudijs dedidit, præeunteque Clariſſimo Jano Grutero laudabiles in Philologia fecit progreſſus. Hinc mox ante primam juventæ lanuginem CIƆIƆCXV. publico dedit Crepundiorum ſeu juvenilium Curarum libros III. opus Criticum, corrigendis illuſtrandiſque varijs Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum Latinorum locis comparatum, quod quanti æſtimatum viris doctis, teſtimonio ſunt εὐφημίαι, quibus illos primos conatus ejus proſecuti ſunt Janus Gruterus, Joh. Ulricus, Michael Piccartus, ſummi viri, aliique eruditi. Anno proximo CIƆIƆCXVI. in Catullum, Tibullum & Propertium amorum Triumviros Animadverſiones dedit, quibus è libris Palat. & M. S. Commel: multa poſt Beroaldum, Muretum, Achillem Statium, Guilhelmum Canterum, Joſephum Scaligerum, Douſas, Paſſeratium eruit. Paraverat alia multa, imprimis in univerſam Livij Hiſtoriam Notas, quæ omnia cum libris & reliqua ſuppellectile in violenta Heidelbergæ expugnatione & direptione ipſi periêre. De illis ingenij ſui vel conatibus vel monumentis audiamus ipſum epigrammate ad Dn. Rudolphum Goclenium, quod cum alijs publico dedit, libello quem Exilium inſcripſit, ſic memorantem:

Nec DEUS *ingenium negat aſper: forſitan illud*
Pimplei leviter contigit aura jugi:
Et mea Naſonis *Manes benefacta fatentur,*
Hancque manum Fabij *pugna magiſtra probat:*
Quæ dudum oceano nævorum abſterſit utrumque,
Flamma daret primum cum juvenilis opus.
Faſtidita legens ſermonis fragmina Caſci,
Per me jam melius Nonius *æger agit.*
Saucius interdum Lenæo tempora, ſed qui
Corda magis Veneris geſtat iniuſta face,
Mî ſua ſuppoſuit lacerata Propertius *ora,*
Nuncque iterum ſano Cynthia vate tumet.
Euganei *ſenſere* Titi *monumenta medellam*
Quamque tuli charta virgine clauſa latet.
Et ſua cui nomen dat mellea lingua, reportat
Mox analecta meis lucidiora notis.

Lamentabili Heidelbergæ excidio Biantis inſtar, ſolo ingenio opes ſuas ſecum efferens, elapſus, in Haſſiam, quæ furorem hoſtilem fugientibus hoſpitium amicum tunc pandebat & confugium, ſe contulit. Delatus Marpurgum anno CIƆIƆCXXI. menſe Septemb. confeſtim apud præcipua Literarum lumina facem favoris & amicitiæ ſibi accendit. Cum autem non ita facile ex animi ſententia exilio afflictum ſublevare poſſent amici, Caſſellas & ad Illuſtriſſimum Landgravium dimiſêre, ſpe promotionis quæ nec inanis fuit. Exuli namque, ut laudatiſſimo Principi ingenio & Doctorum favore erat commendatus, ſolenniter primaria in

Collegio

Collegio Nobilitatis Adelphico Latinę linguæ Profeſſio oblata eſt, quam tamen clementiam ut grato ſubmiſſoque animo agnoſcebat; ſic ob metum vicini & magis magiſque adventantis illis quoque locis belli incendij non ſuſtinuit. Quare tutiora petens Buckaburgum ſe contulit, ubi non ingratus per annum fuit Convictor præcipuo Conſiliario Holſato-Schaumburgico Melchiori Goldaſto Heimsfeldio. Buckeburgâ adulto Octob. anno CIↃ IↃCXXII. in Academiam Laciburgicam ſive Roſarum (Roſtochium vulgus vocat) ſeceſſit, operaturus ibi, ſi locus & tempus pateretur, ulterius Muſis ſuis. Verum tempeſtas illa, & iniquius in nos belli fatum, ita duriter cum aliorum rebus afflixerat fortunam ipſius, ut nihil ſubſidij ex Patriâ vel aliunde ſuppeteret. Quapropter, cum illi honeſta in Aula Guſtrovienſi apud nobiliſſimum Virum Ottonem Preen Conſiliarium & Aulicum primarium conditio vivendi offerretur, inſtituendæ tanti viri ſpei noluit deeſſe; ſed fideli & bienni in egregiam adoleſcentum indolem collatâ informatione tantum eſt conſecutus, ut dignâ gratitudine Præceptorem ſuum honoraverint. Diffuderat paſſim in Oras Balthicas eruditionis ſuæ famam, innotuerat bonis modeſtiâ, condolebant magni viri adverſâ ſorte colluctanti: omnes exilium, & quæ hoc mala onerant, averſum vel levatum cupiebant: nec ipſe aliud magis in votis habebat, quàm ut gratâ aliquando ſtatione donaretur, cui cymbam fractam ſubduceret. Et deſideranti talia optatò in Suecia apparebat Pharus, maleque affecto bonam ſpei facculam accendebat Magnificus D. Johannes Skytte, literis vocando Vpſaliam ad Profeſſionem publicam. Verum cum eo anno CIↃIↃCXXV. transfretâſſet, omnia, quę animo conceperat, fruſtra fuerunt, & repulſam in ambienda Profeſſione tulit, tanquam externus, & alienæ religionis. Profectione hac inaniter ſuſceptâ iter in Belgium direxit, ut ibi, ſi fieri poſſet, res exilio proſtratas in meliorem ſtatum reſtauraret. At magnas etiam ibi difficultates emergendi offendit, & à multitudine exulantium cuncta invenit præoccupata; adeoque exantlato longę vię tędio, Roſtochium, quo amicorum notitia & favor invitabat, redire coactus eſt. Poterat tam dura rerum facies exaſperare animum minus conſtantem, ſed ipſum adverſa obdurabant, & ex illis ſumebat robur & fortitudinem, nec, quod generoſæ & infractæ animæ eſt, in ipſis malis deſperabat. Roſtochij dum alibi cuncta tumultibus bellicis involverentur, tolerabili vitæ ſorte contentus ad triennium ſubſtitit, donec belli flamma inferiorem Saxoniam depopulata etiam vicinos Megapolitanos parietes contingeret, & paulatim Regia Roſarum Schola diſſiparetur. Dum verò in ea Academia verſaretur, quod perſpecta ſatis omnibus & probata publicè ejus eſſet eruditio, à Senatu Academico indultum fuit, ut privatâ induſtriâ & lectionibus ſtudioſam juventutem erudiret. Quod etiam

felicibus

felicibus ſucceſſibus præſtitit. Nam Romanam Hiſtoriam ſingulari dexteritate præſtantiſſimis ingeniis explicuit: Cæſarem, Salluſtium, & alios terſos autores prælegit. Plurimis exercitijs Oratorijs, Poëticis, Epiſtolaribus prefuit. In Cornelium Nepotem Notas Politicas, ad ultimum locos communes ex Juſtino & Floro contexuit: ita ut ſedulitate hac Primores Academiæ ducti mox unanimi conſenſu & voto menſe quinct. anno CIↃIↃCXXVII. Profeſſionem Eloquentiæ publicam illi detulerint. Quam Profeſſionem licet paulo poſt Illuſtriſſimus Princeps Joannes Albertus ratam habuerit: potentior tamen quorundam rigor contra diſſidentem in religione fuit, quó minus exul & Chriſtianus admittetur. Jam plurima Megapolitanę Regionis loca à Cæſarianis erant occupata; Illuſtriſſimi Duces ſuis terris erant exuti: avidas manus milites etiam Oſtio Varni injecerant. Igitur urgente periculo appropinquante, deſertâ illa ſtatione ad Belgas remigrare inſtituit, invitante ſimul ſpe nova obtinendæ melioris & certioris conditionis, quod in Confœderatis Academijs Cathedras quaſdam Doctoribus ſuis orbatas inaudiſſet. Convaſatis igitur reculis ſuis XII. Maij anno CIↃIↃCXXIIX. Groningam devenit, publico inſtructus teſtimonio Academiæ Roſtochienſis vitæ ibi cum laude peractæ. Nec ea ſpes ipſum fefellit, Deo exulem reſpectante & portum quietis monſtrante. Itaque accedente ad teſtimonia cætera & publica, commendatione Cl. Theologi D. Henrici Altingij, eo res deducta eſt, ut ab Illuſtr. & Potent. Groningæ & Omlandiæ Ordinibus Viro Cl. Dn. Ubboni Emmio Succeſſor in Profeſſione Hiſtoriarum & Linguæ Græcæ ſurrogaretur, quam functionem grato pectore ac cupidè amplexus, omni reliqua vita ſua, ſingulari cura cum laude ornavit. Geminæ ei Profeſſioni cum per annum vacaſſet, & curam rei familiaris multas bonas horas melioribus ſtudijs ſuis ſuffurari doleret, de vitæ ſocia, cum qua curas & gaudia partiretur, adſciſcenda cogitavit: Et Deo monſtrante viam res ex voto ceſſit, ambita & exambita egregia matrona, multiſque virtutibus decorata, *Margarethâ Schuringiâ*, Nicolai Barlinchofij honorati Civis Groningenſis relicta vidua, annis animiſque florente, nata Spectabili viro Dn. Bartholdo Schuringio ex Rodolpha Altingia, cum qua nuptias celebravit X. Maj. an. CIↃ IↃCXXIX. Fauſtum hactenus hoc ei & fœcundum fuit matrimonium, cujus pignus anno ſequenti menſe Novembri, ex ea filiolam ſuſtulit *Rodolpham*, utrique parentum ſuperſtitem: at uxorem ipſam ex eo puerperio eodem menſe, decendio à partu, amiſit. Hanc cum quaſi biennio eluxiſſet, jamque ad ſecunda vota tranſiturus eſſet, fide matrimonij data & accepta à lectiſſima virgine *Margarethâ Halbeſiâ*, Ampliſſimi Viri Egberti Halbes Senatoris Groningenſis filia, injecit tragulam morbus, eumque (licet primò nil gravius minari viſus) à tergo ſubſequens mors inopina & pręmaturæ

matura ad meliores in cœlum nuptias eum traducens. Quamvis autem vis morbi choleræ viſcidæ ſurſum deorſumque excretione & inteſtinorum paſſionibus infeſta, valde corpus ejus debilitaſſet, ſanus tamen & ſalvus mentem præſtantioreſque ſenſus conſtantiſſimè in fide & invocatione Dei & Servatoris Jeſu Chriſti perſeveravit, uſque dum iteratis aliquoties ex Apocalypſi verbis: *Veni Jeſu, veni* etc. coram amicis & verbi divini Antiſtitibus placidiſſimè ceu molli ſomno circa ipſam meridiem III. Octobris anno CIↃ IↃCXXXII. anima exſolveretur, non dum completo ætatis XL. anno. Exuviæ ejus ſolenni pompâ ab Academia elatę & in choro templi Academici in ſpem beatę reſurrectionis depoſitæ ſunt.

E L O G I A

Quædam, à Magnis Viris ſcripta.

Qui ſua audet ante primos vel genæ pilos palam
Dedicare gratioſa ſeculo CREPUNDIA:
Seculo huic, nimis naſuto, ſeculo tam Lynceo;
Ille item palam fatetur, provocare ſe omnium
Eruditorum, bonorumque omnium ludibria,
Mox niſi ipſe ætate factus grandiore adultior
Hæc adhuc & illa ſcribat, quæ fidem creent meram,
Ejus iſthæc eſſe vixdum puberis CREPUNDIA:
Vadem habe ergo jam obſidem, lector, hunc librum, brevi
Quem GEBHARDUS *ipſe tollet, ejus ac vicem dabit*
Alterum longo alterumque luculenter ordine,
Quem ſuâ manu Minerva, quem ſua Clio manu
Lavit antea Hippocrenes in vado, quem laureis
Ramulis ter obligarunt Gratiæ ac Novenſiles,
Cenſuêreque eſſe dignum collocari in atrio
Ipſius ſacro Monetæ; poſteris ut innuat,
Quem puerum Camœnæ amarunt, deperire & hunc ſenem.

JANUS GRUTERUS.

A L I U D.

CREPUNDIORUM, *quos* GEBHARDUS *exhibet,*
Libri cacumen ingeni exuperant ſenum
Faſtidientum. Nec ſenectutis, ſed eſt
Maturitatis hæc Palæſtra reddere

Defecta

Defecta lumina è tenebris. Mi ſenex,
Frontem remitte; Factus hic citò eſt ſenex.

JOANNES ULRICUS IC.
Conſiliarius Archipal.

ALIUD.

INgenij GEBHARDE *potens, animoque ſuperbe,*
Dædaleo, cujus ſtabulatur pectore Phœbus,
Sais & Aonidum Cætus, Chariteſque ſorores:
Eccur aureolos ceſſas vulgare libellos,
Doctos Iuppiter! & terſos limâque politos
Deſide nequaquam, quos carpat nemo, niſi ipſo
Durior eſſe velit Momo, rigidóve Catone.
Ede precor, nec te fors tempora iniqua morentur;
Aut hujus mores ſecli; quo nemo probare
Plus aliena ſolet proprijs, laudique favere
Quiſque putat Juvenum indignum gravitate ſenili.
Non ita GRUTERUS *noſter, virtutis imago,*
Una ſuper priſcæ, Doctrinæque unicus Atlas:
Non alij proceres pauci, quos annulo eidem
Quamvis anguſto, ſeclo hoc inſcribere poſſis.
Quêis tu, ſi ſapias, potius morem gere paucis;
Quam multis illis, quos, verum dicere ſi fas,
Diverſos veſana rotat Sapientia recto.

MICHAEL PICCARTUS
Fr. Profeſſor Noricus.

ALIUD.

UT Taciti noſtrum ſapientia temperet Orbem,
Caſtraque Juliades Cæſar & arma regat,
Cotidieque novos Scipiones Livius edat,
Fundat & Hannibales Aſdrubaleſque truces.
Inclyta grandiſtrepo reſonent Cicerone Lycea,
Ejus & ingenti fulmine roſtra tonent,
Muſæ Plautino paſſim ſermone loquantur,
Et Maro non unus arma viroſque canat,
Pelignus calidos juvenum moduletur amores;
Flaccus & argutæ temperet ora Chelys,

Auctor erat noſtris non infelice Minervâ,
Hiſtoria & numeris eloquioque, potens.
Gloria Athenæi Janus *non ultima noſtri,*
Cui fluxit largus ex Helicone latex,
Totius & ſacri nemoris patuêre receſſus,
Muſarum charitumque erudiêre manus:
Natus ab ingenio claros proferre labores,
Quodque olim celebret fama, volumen, anus;
Seraque poſteritas miretur & ultima Thule,
Et gelido in ſeptem vaſta Trione plaga:
Et Tagus & Ganges legat, & glacialis Ierne,
Ninguidaque ad Boream Balthis & Urſa colat.
Verum hos fata illi rupêre adamantina curſus,
Virtutumque jacet omnium acerba cinis.

Johannes Freitagius Med.
Doct. & Prof. Public. p. t. Acad. Rect.

ALIUD.

Janus *ut occubuit* Gebhardus *morte peremptus,*
Aonidum heic fontes exaruêre novi,
Hunneſus obſtupuit, quia mœſtus flevit Apollo,
Deflevit vatem turba novena ſuum;
Luxit gnata patrem, venturum ſponſa maritum,
Luxit & affinem turba propinqua ſuum.
Planxerunt fidi, miſero ſolamen, amici,
Ereptumque ſibi gens ſtudioſa ducem.
At Deus hunc vatem meliore in ſede locavit,
Iuſſit & in ſuperûm pangere metra Choro:
Vivit ubi lætus Domino ſua Carmina fundens,
Perpetuoque canit, Sancte Deus Tzebaoth!
Interea in terris, dum Muſæ, ac Cantor Apollo,
Æterna celebris laude feretur, erunt.

J. Borgesius Gymnaſiarcha.

SCRIPTA.

Crepundiorum Libr. 3.
Animadverſiones in Catullum, Tibullum, Propertium.
Antiquæ Lectiones.
Spicilegium in Cornelium Nepotem.
Exilium, ſive Carminum in Exilio ſcriptorum libri duo.

MATTHIAS



Tantum PASORIS *fas eſt ſpectâſſe: recondit*
Plus ipſum referens charta modeſta virum.
Teuto genus, genium Chaldæus, Hebræus et Hellen
Et Latius, Celtes, et Syrus, Anglus, Arabs,
Et Pietas et priſca Fides, Sapientia ſacra
Atqꝫ profana ſub hac abdita fronte ſimul.

T. ANDREÆ.



MATTHIAS PASOR.

HUnc quoque Academiæ noſtræ edidit primiſque literis innutritum ad ſublimiora præparavit *Naſſovia*, & quidem ipſa in ea illuſtris Scholæ ſedes *Herborna*, annô ſuperioris ſeculi undecenteſimô, Aprilis menſis die XII. Pater ei Vir Cl. *Georgius Paſor* Ellaranus, (patre *Johanne Paſore*, Prætore, & matre *Clara Steinbachia*, poſtrema gentis illius nobilis, genitus) S. S. *Theol.* & L. *Hebrææ* per annos XIX. *Herbornæ*, *Græcarum* verò literarum per annos XI. in incluta Friſiorum *Franeckerana*, Profeſſor meritiſſimus. Mater *Apollonia Hendſchia*, viri prudentiſſimi & integerrimi *Petri Hendſchij*, Senatoris olim Herbornenſis, & *Catharinæ Heuniæ* filia. Parens uterque, quâ erant religione & in commoda Eccleſiæ ſtudio, hunc ſuum filium primogenitum inde à nativitate ſtudijs ſacris deſtinârunt; votô peculiarî, quod in ipſius infantiâ, cùm ex lapſu moriturus videretur, Deo nuncupârunt, ſi evaſiſſet totum ei ſacrum fore. Itaque obvia occaſione uſi in *Gymnaſio Herbornæo* (& partim *Sigenenſi*, quò, ad tempus, contagium declinans juventus Scholaſtica cum præceptoribus commigrarat) induſtrijs pueritiæ formatoribus capax ingenium inde à teneris unguiculis ſubmiſêre; quorum inſtitutione artium trivium brevi emenſus, trium ſimul *linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ* non contemnendam notitiam ac uſum aſſecutus, ad audiendas *publicas lectiones* emiſſus eſt annum agens quartum decimum: Inde majoribus jam paſſibus ſublimiorum ſtudiorum ſtadium ingreſſus, in patria primùm Philoſophos audivit, *M. Henricum Dauberum*, *M. Henricum Gutberleth* & *D. Ioh. Henr. Alſtedium*. Theologicis verò, Doctore precipuè ac ductore *D. Ioh. Piſcatore*, doctrinâ vitâque verè Theologo & in exemplum nato, operatus eſt, ita tamen ut annô 1614. ad breve tempus in alma *Marpurgenſi*, imprimis in Hebræa lingua, cui ſtudio impensè addictus erat, *D. Ioh. Molthero* vacaverit. Poſtea, ex conſilio patris, in celeberrimam Univerſitatem Electoralem *Haidelbergam* ſe contulit, ipſo vere Anni 1616. ubi ſtudijs primò Philoſophicis x. menſium ſtudio & contentione colophonem impoſuit, ut octodecennis gradu *Magiſterij* 20. Febr. ann. 1617. (Decano *D. Nicolao Matthiade Bacchendorfio*, & promotore *D. Iohanne Caſimiro Iordano*) ſumma cum laude & applauſu eruditorum, ab illa Academia inſigniretur: tum ſtudijs ſacris continuandis totum ſe dedit, ſub Cll. Theologis *D. Davide Pareo*, *D. Bartholomæo Coppenio*, *D. Abrahamo Sculteto* & *D. Henrico Altingio*. At, cùm eruditionis ipſius in Philoſophicis famâ non vanâ incitati ſtudioſi complures operam ejus & inſtitutionem frequentes flagitarent, deeſſe ijs noluit, Collegiis variis in eorum

gratiam inſtitutis. Mox annô 1619. demandatam extra ordinem à facultate Philoſophica Profeſſionem *Philoſophiæ naturalis* in eadem Academia ſuſcepit, diſputationibuſque Philoſophicis publicè cepit præſidere. Sed ſtatim annô ſequenti 1620 cùm præludiis iſtis ſatis ſe omnibus probaſſet, in ordinem adſcitus fuit, *Mathematum profeſſione ordinariâ* ritè ſolenniterque ei demandatâ, mox poſt annum ætatis unum ſupra viceſimum, quam etiam ab 3. Maj. 1620. ſuſtinuit omnique induſtriâ ornavit ad fatalem uſque diem 6. Sept. an. 1622. quo urbs Haidelberga ab exercitu Cæſareano Bavarico per vim occupata & direpta fuit. Qua in calamitate publica licet omnium recularum ſuarum, librariæ ſuppellectilis & hypomnematum manu ſcriptorum fecerit jacturam, nec à præſentiſſimo mortis periculo aliquoties digitum latum abfuerit, tamen ſingulari Dei clementiâ ex barbari militis manibus elapſus, totique illi incendio belli Palatini mirabiliter ereptus, per mille pericula Herbornam in patriam ſuam 18. Octobr. ad parentem reverſus eſt. Hic, ne ocioſus deſideret, collegia diverſa privata, quà Philoſophica, quà Theologica, ſtudioſis petentibus aperuit & habuit per ſeſquiannum. Sed quòd Germania etiamnum bello civili arderet, cujus incendium gliſcens latius latiuſq; indies ſpargebatur, eâ relictâ anno 1624. ex nundinis vernalibus Francofurtenſibus Rhenô ſecundô in Belgium deſcendit. *Lugduni* Batavorum, cùm per menſem Theologos celeberrimos *D. Ioh. Polyandrum*, *D. Andream Rivetum*, *D. Antonium Walæum* & *D. Antonium Thyſium* audiviſſet, atque cum *D. Thoma Erpenio* de Arabicis & D. *Willebrordo Snellio* de Mathematicis contuliſſet, in *Angliam* trajecit & *Oxonij* privatim literas *Hebræas* & *Matheſin* docere cæpit. Commodâ autem *Gallias* luſtrandi occaſione oblatâ (per D. *Bartholdum Möller*, nunc Reip. patriæ Hamburgenſis Conſulem, & D. *Oſwaldum à Seeſted* nobilem Holſatum, nec non D. *Petrum* à *Sprekelſen* Hamburgenſem; utriuſque Ephorum, qui, quòd Matheſeôs Magiſtro illo porrò uti optarent, comitem adſciſcebant) ſub finem anni illius *ſe Lutetiam Pariſiorum* cum illis contulit. Ibi literarum Arabicarum & Syriacarum ſolidiora fundamenta jecit, Magiſtro D. *Gabriele Sionita*, *Maronita* è monte Libano, illarum Linguarum Profeſſore atque interprete Regio. Anno MDCXXV. vere adulto in Britanniam reverſus *Oxonij* in *Exonienſi* collegio ſtudia ſua & inſtitutionem aliorum continuavit. Remora autem ipſi injecta eſt graviſſima per luem ſæviſſimam tum temporis per regnum illud graſſantem. Temporis tamen ſucceſſu, cùm Reverendiſſimus *Hiberniæ* Primas, Archiepiſcopus Armacanus *Jacobus Uſſerius* illum ſecum in Hiberniam traducere decreviſſet; *Profeſſio* publica Linguarum Orientalium (*Arabicæ*, *Chaldaicæ & Syriacæ*) à Collegiorum Præfectis ipſi demandata fuit, quam adijt

25. *Octobris*

25. *Octobris* anni MDCXXVI. Eam igitur Profeſſionem (quæ ab ipſo ibi cœpta indeque continuata) cùm per biennium & ſemeſtre ſuſtinuiſſet, & in *Collegio* novo *B. Mariæ* prælectionem Linguæ *Hebrææ* conjunxiſſet, ab Illuſtribus *Groningæ* atque *Omlandiæ Ordinibus* ad profeſſionem ord. *Moralis Philoſophiæ*, in provinciali hac Academia obeundam evocatus fuit, anno MDCXXIX. Febr. die XVI. eamque cum novo anno Academico aggreſſus eſt. Oblata ipſi fuit honeſtiſſimis conditionibus autumno eodem ab Ampliſſimo Senatu *Daventrienſi* profeſſio in Gymnaſio recens excitato, verùm Groningam, quam paulò antę ingreſſus fuerat, tam ſubitò abſque offenſa deſerere non potuit. Ad *Moralem* itaque Profeſſionem, poſt obitum *D. Nicolai Mulerij*, Medicinæ & Matheſeôs Profeſſoris eximij, Profeſſio acceſſit *Mathematica*, XVII. Febr. annô MDCXXXV. quam unà cum Morali, conjunxit uſque ad annum MDCXLV. Tunc verò temporis, cùm *Harderovicum* ad capeſſendam *S.Theol.* & *Hebr. Ling.* Profeſſionem, ad quam ſolenniter vocatus erat, proficiſci conſtituiſſet, per Nobiliſſ. & Ampliſſ. DD. Curatores Academiæ, ejus retinendi ſtudiô, eò res deducta, ut ab Ill. DD. Ord. hujus Provinciæ *Profeſſio Theologica* locô Mathematicæ (cui alium dedêre & peculiarem Profeſſorem) 31. Julij ei deferretur, quam ut ritè adire & ſuſtinere poſſet, 24. Oct. ex Senatus Ampl: autoritate S. Theologiæ *Doctor* à Cl. Dn. *Samuele Mareſio* antè ritè creatus, triduô poſt adijt in hac Academia, eamque hactenus unà cum Morali ſuſtinet. Scripta non pauca privatim adornavit in *Moralibus*, *Mathematicis* & *Theologicis*, verùm hactenus, ſuo conſilio ductus, in lucem publicam nullum emiſit, eventus omnes ſecuturos commendans Deo, cujus conſilio pro viribus porrò ſincerè inſervire paratum ſe oſtendit, quamdiu ſummo illi rerum humanarum arbitro viſum fuerit.

PETRUS

PETRUS MULERIUS.

HIc in mortalem hanc lucem editus Harlingę Friſiorum, anno CIↃ IↃ XCIX. d. XI. Martij, Patre viro longè celeberrimo D. NICOLAO MULERIO, Medico & Mathematico excellentiſſimo, & utriuſque artis primo in noſtra Academia, ac laudatiſſimo Profeſſore, tum temporis Reip. Harlingenſis Archiatro digniſſimo: Matre CHRISTINA SIX, Senatoris Audomaropolitani filiâ. Quamprimum per ætatem inſtitutionis capax fuit, ut egregia indoles, quæ à primis annis inſigniter emicuit, bonarum artium cognitione excoleretur, à parente ad praxin Medicam in hanc urbem evocato, An. CIↃIↃCIII in ludum literarium deductus fuit, quem laudatiſſimus ingeniorum formator Dn. Ubbo Emmius moderabatur. Priuſquam tamen in propriam hujus Palęſtram veniret, ut ſupremam culturam ab ipſius manu acciperet, Leovardiam (quò parens ejus victus votis & precibus illius Civitatis, hunc unum Machaona ſibi deligentis, conceſſerat) noſter commigravit An. CIↃIↃCVIII, atque illo ſexennio quo iſtic hęſit trivialium ſtudiorum curſum ſtrenuè continuavit, & abſolvit, uſus manuductione Cl. Viri Dn. Edonis Neuhuſi Scholæ ibidem Rectoris, ut & Dn. parentis Philologiam Græcam ac Philoſophiam docentis. Cùm deinde anno MDCXIV. condita Illuſtrium & Præpot. DD. Ordinum Groningę & Omlandiæ auſpicijs Academia, Parens inter primos ad Profeſſionem Medicinæ & Matheſeôs revocatus eſſet, (quam ſtationem ad finem uſque vitæ conſtanter tuitus eſt, non minore celebritate conciliatâ Academię, quam ab hac ipſemet eſt conſequutus:) hic quoque inter primos fuit, qui ſe cives literariæ hujus Reip. profeſſi ſunt, non tempore modo, verum etiam ingenio, induſtriâ, atque in literis humanioribus profectu, quamvis annum ætatis tantum quintum decimum agens. Operam imprimis dabat Medicinæ ac Matheſi (quamvis enim Theologiæ primùm deſtinatus eſſet, propter δυσπνόιαν tamen, quâ juvenis valde vexatus, non videbatur aptus ſacro miniſterio futurus) ſtudens ſe parenti ſuo ſimilem effingere; à quo laudabili planè ſcopo in juvenili ſua ætate non multum abfuit, ingenio, doctrinâ, moribus verè τοῦ πατρὸς παιδίον, ſpes ac decus familiæ, & in quo videretur Parens ipſius ſicut Euphorbus in Pythagora revicturus: ſed quod adverſa ſæpe fortuna, quæ heroicos motus retardare ſolet, varia per vitam ipſi ſuam ſuſtinenda, ſatis ipſi aliquo prodire tenus, etſi non datum ultra. Hîc cum ſe ſuaque ſtudia aliquandiu probaſſet, & optimam bonorum omnium exſpectationem ſibi paraſſet adverſariam, ſecundis eorundem votis proſequentibus Leidam Anno CIↃ IↃCXXI. abiit, bene poſitis fundamentis convenientem

ſtructuram




Quiſquis MULERII *Comam, ora, frontem,*
Cælata artifici vides in ære,
Mirari cupis ac favere? plura
Celavit ſtylus iſte quam cælavit.
Nam cœlo ſuperiſq; quod ſacratum eſt
Cælari haud potuit, quod eſt caducum
Caduco ſatis eſt dediſſe mundo.

P.F.

ſtructuram impoſiturus. Audivit autem iſthic præ cœteris in Medicina ac Botanicis Cl. D. Everhardum Vorſtium, in cujus intimam familiaritatem penetravit; In Hiſtoriis Celeb. Dn. Danielem Heinſium; neque enim ita quæ facultatis Medicæ erant, tractanda ſibi putavit, ut non amœniora quoque literarum ſtudia perſequeretur, conjungeretque μακροκόσμȣ, & μικροκόσμȣ hiſtoriam, quo animum hujus ſuſpirijs exaudiendis triſtatum illius multifariâ varietate recrearet. Cœterum quod noſſet Medicinam magnam partem artem conjecturalem eſſe, quam longa & multiplici experientia excultam dare oporteret, qui ægrorum ſaluti ritè vellet inſervire, ejus acquirendę ergò primum in Angliam trajecit An. CIↃ IↃCXXII. ibique per trimeſtre fermè moratus, Leidam redijt. At Anno CIↃIↃCXXIII. adſcitis ejuſdem ætatis & ſtudij comitibus Dn. Joh. Ritzio Embdano, & Dn. Theodoro Agnæo Omlando, Juvenibus eruditis, in Galliam transfretavit, & ad extremos illius regni fines penetravit. Hæſit autem potiſſimum in Celeberrima Academia Montispeſſulana, Botanicenque ſtudioſè excoluit, ac magnam rariorum plantarum copiam ſibi collegit. Mox Valentiam Segalaunorum reverſus lauream Doctoralem ibidem obtinuit unà cum utroque ſuo Achate, anno hujus ſeculi XXIV. a. d. IV. Id. Junij, promotore Clar. Antonio de Galliot, Medico & Conſiliario Regio, celeberrimo verò Icto Julio Pacio Rectore. Redux in patriam omnium benigno favore exceptus, ob politam eruditionem doctis etiam in precio fuit, qui non minus parenti optimo talem filium, quam filio talem parentem ſunt gratulati. Anno CIↃIↃCXXVI. Ephemerides ſive Calendaria, lampada eam tradente patre, cœpit ſcribere in uſum patriæ, idque toto decennio ad annum uſque CIↃIↃCXXXVI. continuavit. Ejuſdem anni CIↃIↃCXXVI. menſe Junio nuptias conficiente patre, vitæ ſociam ſibi junxit lectiſſimam Virginem Machtildim Beth, viri graviſſimi D. Gellij Johannis Beth Senatoris Amſterodamenſis filiam, atque cum ea exegit annos fermè XIX. Liberorum quatuor pater factus, quorum ſuperſunt filius unus avo paterno cognominis, præclaræ indolis Juvenis, Sacroſancti miniſterij Candidatus, & filiæ duæ. Cùm primis conjugii annis ſede Amſtelodami fixâ Medicinam cum laude factitare cœpiſſet, non multo poſt vocatus fuit ad aulam Illuſt. Principis Arauſionenſis titulo Medici ordinarij, ſed quod à parente ingraveſcente ejus ſenectâ avelli nollet, ſe ab adeundo eo munere excuſavit: Quam ipſam quoque ob cauſam Recturam Scholæ *Dammonenſis*, *D*n. Jacobo Henningio inde ad Scholam Embdanam evocato, vacantem, ſibi delatam non admiſit. Adijt autem ab Illuſt. hujus Provinciæ *DD*. Ordinibus ipſi & quidem primo in hac Academiâ, menſe Octob. Anni CIↃIↃCXXVIII. decretam & delatam vocatione legitima Profeſſionem Phyſico-Botanicam, cui ſolenni ritu inauguratus IX.

 Kalend.

Kalend. Sept. MDCXXIX, eodem actu publico Cl. *Dn*. M. Mathia Paſore Profeſſionem Philoſophiæ practicæ ſolenniter capeſſente, habuitque teſtem ſuæ promotionis Cl. parentem, quem tamen anno ſequente extinctum luxit, condolente univerſa Academia. Hanc functionem Academicam ut bono publico obire poſſet, hortum ſpatioſum domi ſuę vicinum ſuis ſumptibus inſtruxit elegantiſſimè, atque omnis generis ſelectiſſimis plantis exornavit, in quo & aquilas duas aluit, quarum altera etiamnum vivacitatem celebratam iſtius avium reginæ non coarguit. Epiſtolicam quoque conſuetudinem cum Claris per Europam Botanicis coluit, familiariter præ cœteris uſus Viro Experientiſſimo *D*. Ottone Sperlingio, Seren. *Daniæ* Regis Medico & Botanico celeberrimo. Quemadmodum autem nemo mortalium vivit, qui non ſubinde mortalitatis domeſtica experiatur exempla, ita & hic an. XLV. geminum iſtiuſmodi caſum ſenſit, menſe Majo conjuge, Novembri autem matre orbatus. Hæc ſolitudo ex duplici funere, ægritudinem peperit vehementiorem, quæ paulatim ipſum cœpit depaſcere: donec tandem An. CIↃIↃCXLVI. in lentam eamque continuam febrim incidit; cui ſuperveniens hydrops per 4. menſes lecto affixum detinuit, penituſque confecit. Hujus autem morbi tempore non vitam ſed mortem meditatus eſt; atque ut hęc beatiſſima ſibi obtingeret, omnes ſuas cogitatiou es ad optima convertit. Deteſtatus eſt vanas mundi illecebras, neque quicquam quod non ſacrum eſſet legere deſideravit. Fiduciâ Chriſtum amplexus, extremum carmen ſuum hujus natalitiis conſecravit. Atque ita in manus Dei Opt. Max. terram faſtidientem, cœlumque anhelantem Spiritum reſignavit, placidâ morte extinctus XIV. Febr. inter X. & XI. nocturnam, anno CIↃ IↃCXLVII.



Hic gnati vultus: vultus fuit ille parentis:
Heſſa Groningano quos dedit aura ſolo.
Alter erat Medicus, Nomicus fuit alter: utriq;
Multus in ingenuo pectore candor erat.
Amiſſos Grunus luget, sed diſpare fato:
Concidit hic juvenis, concidit ille ſenex.
Nec tamen ommutuit facondæ gloria linguæ:
Laudat anus doctos nunc quoq; fama viros.

P. F. Q. C. A. N.

CONRADUS MATTHÆUS.

PAtriam hic quoque habuit Herbornam Naſſoviorum; urbem liberalibus ſtudijs affluentem; ac præterea non unâ laude nobilem: patrem autem incomparabilem virum *Dn. Antonium Mathæum* ICtum celeberrimum, ſeſquianni ſpacio ante ipſum mortuum; cujus ob Remp. literariam, imprimis Juriſprudentiam, memoria ſingularis ac ſempiterna meritò eſſe debet; matrem verò Eliſabetham Schôlerin. Annus autem nativitatis erat à Chriſto nato milleſimus ſexenteſimus tertius d. 26. Maij hora noctis prima. Nondum benè Patriam noverat, cùm, clariſſimo Parente ad Profeſſionem Academicam vocato, Anno CIↃ DCVII. Marpurgum iret: ubi decurſo cum laude ſtudio pædagogico, Albo illius Academiæ, ſub initium An. CIↃ DCXVIII. inſertus, integro triennio, in Linguarum & artium Organicarum ſtudijs calidè & attentè deſudando, tum alijs, tum verò præcipuè Excellentiſſimo Philoſopho DN. RUDOLPHO GOCLÉNIO, Magiſtro juventutis acutiſſimo, doctrina præeunte, ferè SS. Theologiam certâ animi deſtinatione adfectaſſet; niſi fanaticorum quorundam delirijs, novum doctrinæ cultuſque genus parturientium turbatus, Hygéæ operam ſuam addicere maluiſſet. Quo facto, ab An. CIↃ DCXXI. Sectæ ſuæ Magiſtris experientiſſimis D. Brunoni, D. Molthero, alijſque ſui temporis Doctoribus eximijs, ita ſeſe applicuit, ut diligentia ejus & induſtria omnibus maximè probaretur. Cum ita adoleviſſet, ut jam non annis, quàm doctrina major eſſet; Greiffenſteinij Illuſtrium Juniorum Comitum Solmenſium vitę ſtudiorumque director præfectus, an. CIↃ IↃCXXIV. cum ijs Herbornam ad Illuſtre Gymnaſium contendit: id quod ipſi non modò honorificum contigit, verùm etiam ſtudijs ſuis maximè proficuum: quippe peritiſſimo & feliciſſimò nauclero, Doctiſſimo D. Joh. Matthæo Medicinæ Profeſſore, Aulæque Naſſovicę Archiatro, patruo ſuo, plenioribus velis uſus; ex interiori amicitia & familiari quaſi contubernio, non leve ſtudij ſui Medici incrementum tulit: uſque dum Cl. Dn. Patre, honorificâ vocatione in Illuſtr. hanc Academiam aſcito, paternam familiam ſecutus, menſe Julio, anno 1626. hîc loci, quod reliquum erat ſtudij Medici ſub accuratiſſimo ingeniorum informatore, Dn. D. Mulerio abſolveret. Nec excidit tam laudabili conatu. Etenim ſequenti anno, nempe MDCXXVII. non ſolum poſt laudatiſſima experimenta, quà ſolennia, quà privata, toto applaudente Senatu Academico, Menſe Sept. Docturam Medicam facilè impetravit; promotore eodem Dn. D. Mulerio: verùm etiam ab hujus obitu, unà cum Cl. Medico, Dn. D. Joanne Freitagio, Comitiorum Provincialium de-

creto, magno ipſius merito, ordinaria Medicinæ Profeſſio An. CIↃ IↃCXXXI. ei demandata fuit : ante è ſupernis aſſignatâ fidiſſima utriuſque fortunæ ſocia, virgine lectiſſima, Eliſabetha, optimis ac honoratis Civibus Jacobo Michaelis & Aſſelia Folckers nata. Illâ autem Spartâ Academicâ ornatus, ſingulari docendi dexteritate, quaſi innoxio quodam amoris philtro, Studioſos profeſſionis ſuæ plurimùm ſibi addictos reddidit; adeò, ut incluta Academia ejus labores laudatiſſimos, totius vitæ ratione comprobando, dignum eum judicaret, cui quoque ſui Recturam committeret: in quo Magiſtratu taliter virum ſe oſtendit, ut, ipſum non ſine honorifico laudis magmento, eum accepiſſe, geſſiſſe, depoſuiſſe verè affirmari queat. Paulò enim poſt, malignâ febri, quę populariter per Urbem hanc totamque viciniam graſſabatur, correptus; & totos XVII. dies cum eâ luctatus, viribus deficiens, accedentibus inſuper alijs Symptomatis, tandem (utendum illætabili verbo) vixit: hoc beatiſſimus, quod mentę benè præparatâ, cuncta & ſe Deo reſignans, mundum amplius ad ſuas curas non pertinere, anima humili in agnitione ſui, in merito autem Chriſti exultante, ob interceptum loquelæ uſum, ſuſpirijs, lachrimis, elatiſque ad cælum manibus declararet. Deceſſit XII. Sept. circa auroram, hora IV. matutina, anno ætatis XXXVI. Profeſſionis verò publicæ VIII. ineunte; Superſtitibus ex uxore duobus orphanis.



Nemo ſalutiferam coluit felicius artem,
Promtius ingeny nec monumenta dedit.
Hæc quoq;, FREITAGI, tua laus, quod nemo furentem
Invidiam melius duraq; fata tulit.
Aſpice, compoſiti tam plena vigoris imago
Hoc tibi; ſpectator vel ſine teſte probat.

F. B. M.

JOHANNES FREITAGIUS.

DEdit hunc terris Pæanem anno poſt reparatam humano generi ſalutem 1581. pridie Kal. Novembr. Celeberrima Clivorum Veſalia, belli famâ notiſſima, ad quam velut aſylum, propter horrendum in modum in vicinia graſſantem Bellonam, relictis laribus proprijs vici Recklinghuſen, parentes ejus confugerant. Patrem habuit *Stephanum Freitagium* ex antiqua Freitagiorum familia ibidem oriundum. Matrem *Catharinam Donnerbergiam* Reienſis oppidi patriciam. Sed ſubrutis igni ac ferro, quos ruri colebant penatibus hæreditarijs, direptiſque per vim facultatibus, parentes hujus ut de honeſto ſibi proſpicerent præſidio & ſuſtentatione neceſſaria, in diverſa traxerunt oculoſque animumque. Venerunt tandem Oſnabrugam, Epiſcopali ſede illuſtrem Weſtphalię Civitatem, ubi ſtatione fixâ, cum omnis in Aſcanio unico hoc noſtro, eorum ſtaret cura, quamprimum per ætatem licuit, diſciplinis Scholaſticis tradiderunt informandum. Ad tempus Oſnabrugæ cum his vacaſſet puer, inde Coloniam Agrippinam miſſus fuit, immaturâ quidem ætate, attamen neceſſario quodam jure, quod ex hæreditate ipſi Canonicatus Reſæ ceſſiſſet, quales Coloniæ ſiſti inſtituique non tantum in liberalibus ſtudijs, ſed potiſſimum Catholicæ, ut vocant, Romanæ religionis innutriri principijs, moris legiſque erat. Sed mox caducis illis poſthabitis, potiorem animæ ejus agentes curam, Colonia ob periculum ſuperſtitionis Papalis tenero inſtillandæ revocatum, Veſaliam remiſere parentes, ac domeſticæ curæ Scholaſticiſque inſtitutionibus doctiſſimi Viri Dn. Joh. Brantij percelebris Veſaliæ Gymnaſiarchæ concrediderunt. Inter illius ille Commenſales ac Diſcipulos receptus mox tantos ibidem in fundamentalibus ſtudiorum initijs fecit progreſſus, artium dicendi linguarumq; peritia, ut altioribus jam ſufficeret capeſſendis tractandiſque. Inde igitur ad Academiam Juliam, quæ Helmſteti eſt Brunſwigiorum curſum inſtituit. Hic locupletata, quam è trivialibus attulerat literaturæ humanioris ſuppellectile, excuſſis Hiſtoriarum monumentis, evolutis puriſſimæ Latinitatis authoribus, in ſuccum & ſanguinem verſo Poëtarum omnis generis grege, tanta felicitate, ut & ſtylo eſſet doctiſſimus & carmine promptiſſimus, Philoſophię ingreſſus eſt Circulum, præeuntibus Joanne Caſelio & Cornelio Martini, penes quos tum temporis depoſita quaſi hærebat ſanior omnis Philoſophia, tantorumque ductu, illius plenariè decurrit ſtadium; donec tandem ad ipſam Medicinam propendenti ſingulariter animo aſcenderit. Exinde Roſtochium excurrit, ibidemque per ſeſquiannum commoratus preceptorem convictoremque habuit familiariſſimum Henr.

Warenium; viſitatis deinde nonnullis alijs Germaniæ Academiis Illuſtrioribus Helmſtetum redijt. Hic magnis ſub Magiſtris divinam medendi artem porrò perdiſcere, ipſiuſque arcanos omnes receſſus penetrare datum, quod promptitudine ingenij, diligentia indefeſſa, morumque ſuavitate ſingulari, tum alijs magnis viris inſinuatus, tum familiariter admiſſus ab Excellent. Medicis, ejus Univerſitatis Profeſſoribus, Duncano Liddelio Scoto, in Theoricis ſi quis unquam accuratiſſimo, & Franc. Parcovio, in Practicis experientiſſimo, feliciſſimo, per univerſam Germaniam celeberrimo. Inſuper Henrici Meibomij, magni illius Medici hoſpitio ac privata familiaritate fruebatur, quod filioli ipſius ſtudijs moribuſque præeſſet. Quorum cum alijs operâ, & improbo ipſius labore, quem in verſandis nocturnâ diurnâque manu ſummis artis Medicæ Antiſtitibus haud ſegniter impendebat, effectum eſt, ut diverſis editis ſpeciminibus, non tantum inter Commilitones emineret, quos tamen habuit doctiſſimos, nominatim D. Henningium Arniſęum, Duncanum Barnettum, Adamum Luchtenium, Matthiam Waltherum, omnes deinde Archiatros ſummos, verum etiam inſuper exercitia illi extra ordinem concederentur practica, imò ad Cathedram Academicam admitti dignus haberetur, primò quidem extra ordinem, non diu autem poſt ordinariorum Coronæ adſcriptus, anno ætatis 23. Spartam hanc nactus omni conatu ornavit, Collegijs inſtituendis, lectionibus habendis, diſputationibus proponendis, ſtudia adoleſcentium promovens, regiâque planè viâ ad nominis ſui immortalitatem graſſans, quorum etiam nunc monumenta ſuperſunt. Verum Academicum diu verſare pulverem ipſi conceſſum non fuit, ſed paucos intra annos à Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Principe Philippo Sigiſmundo poſtulato Oſnabrugenſium & Verdenſium Epiſcopo, Duce Brunſwicenſi & Lunæburgenſi, in Aulam eſt vocatus. Sumptis igitur Doctoralibus inſignibus, quæ ipſi inter competitores plures ſecundo loco, quod primum Duncano Barnetto ex Anglia illuc ad gradum conſequendum venienti ſponte ceſſiſſet, ab Acad. illa per Decanum ejus honorificè collata; munereque eo Aulico (licet ægrè ipſi eſſet à Cathedra Academica, cui natus & factus videbatur, avelli) ſuſcepto & in eo tum Principi ſuo, tum alijs omnibus dexteritate vigilantiaque ſua approbata, ſolitarię vitæ pertęſus ſociam vitę circumſpexit, ſibique elegit atque anno 1608. matrimonio junxit *Gertrudam Valckenburgiam*, Ampl. & Spect. Viri Rudolphi Valckenburgij, dicto Principi à conſilijs, ditioniſque & aulæ Epiſcopalis, quæ eſt Iburgi, quæſtoris filiam. Ex ea novem liberorum pater, quorum ipſi ſuperſtites filij duo, major natu Toparcha Berumanus in Friſia Orientali; alter Toparcha Fredeborgenſis ibidem, filiæ tres honeſtè elocatæ, illa Dn. Danieli Overberg, Ephoro Comitum juniorum Friſiæ

Friſiæ Orientalis, iſta Licentiato Stauden Sileſio, hæc Dn. Franciſco Beſenio aulæ Friſ. Orient. Archiatro. Dum igitur Freitagius noſter munere illo Medici aulici & cubicularii in aula Epiſcopali Oſnabr. per totos 17. annos ſingulari curâ & ſucceſſu fungitur, illuſtris ejus fama quaquaverſus per vicina remotaque loca diffuſa fuit. Unde factum ut à compluribus Principibus, Comitibus, Dynaſtis, Urbibus, Magnatibus, crebrò ejus opera expeteretur, indultuque Dn. ſui præſtita lautis premijs penſaretur. Inprimis Generoſo Comiti Adolpho Tecleburgico cara ejus plurimique æſtimata fuêre officia, ut non aliter, ſatis dignè ea rependere poſſe putaret, quam feudo lautiſſimo, quod in eum magnificentiſſimè ac gratiosè contulit. Nec minus propinquis Generoſitatis ipſius totique illuſtri Aulæ Benthemicę promptam fidamque quoties res poſceret, operam navabat. Quin & ad Profeſſionem in Acad. Rintelanâ, cui tum primum naſcentis famæ clariſſimi undiquaque viri conquirebantur, ab Ill. & Gener. Erneſto Holſatiæ duce, Comite ac Principe Schaumburgico, ad Profeſſionem primariam Medicinæ, ſimulque Archiatri aulici munus ampliſſimis propoſitis conditionibus invitatus, ſed Epiſcopo ſuo gratiosè retinente, vocationem eam admittere non potuit. Poſt ejus fata à Friderico-Ulrico Duce Brunſw: & Luneb. prioris Dni. ſui fratris filio, ad veterem in Acad. Julia ſtationem, aut Archiatri aulici, quæ ipſi optio data, munus, lauto ſtipendio vocabatur: quæ licet ſatis animo ejus arrideret conditio, tamen adire eam ob exardeſcens per eas regiones, Duce Chriſtiano Brunſw: novi belli incendio, non ſuſtinuit. Quare ſuffecto in defuncti Epiſcopi Oſnab. locum Julio Cardinale Romano Sancti Xiſti Preſbytero, Comite in Hohenſolder, Sigmarien & Veringen, ab eodem, non obſtante religionis diſcrepantiâ, idem quod apud deceſſorem geſſerat, Medici aulici & cubicularii munus ei fuit commiſſum, quo cum per biennium pari fide functus eſſet, amiſit hunc quoque Dominum peſtilentiali febri extinctum. Ei ſucceſſor poſtulatus dictuſque Franciſcus Wilhelmus è Bavaris Comes Wartenburgicus, à quo cum ad tempus ſibi ſuiſque privatus vixiſſet, ad idem munus revocatus eſt, quod per an. 4. ſtrenuè obijt. Quibus cum varias ob religionem ſuſtinuiſſet tentationes, nec ullo modo ab agnitâ veritate ſe abduci pateretur, tandem ęmuli inimicique prętexto zelo religionis Catholico-Romanæ id effecerunt, ut niſi hæreſin (ut vocabant) ejuraret & ſacris ipſorum participaret, munere & loco moveretur. Ille cum conſcientiæ major ipſi ratio, licet numeroſa & oneroſa familia, tamen cum ſocru, uxore, liberis, reculis quas poterat convaſatis, ad abitum ſe componit: nec fidentem ſibi deſeruit Deus, ſed profugo tutum portum & refugium aperuit, in hâc urbę & Academiâ: Cùm enim morte Cl. Nicolai Mulerij Cathedra Medica Doctorem deſi-

rem deſideraret, commendatione Ill. & Gen. Erneſti Caſimiri Com. Naſſ. Prov. Guber. glorioſiſſimi, nec non Ill. Comitum Benthemię ab Ill. hujus Provinciæ Ordinibus an. 1631. menſe Junio in locum Mulerij unà cum Cl. D. Conr. Matthæo vocatus, eam Spartam cupidè arripuit, eique quod reliquum fuit vitæ ad ſupremum uſque Spiritum impendit, magnâ cum ſua & Academiæ, cujus etiam faſces bis geſſit, gloriâ, & ex uſu publico, honore ac emolumento. Hoc autem unum ſemper ſedulò agebat, ut illos quorum ſtudijs erat prefectus moderator, collocatis primum ſolidis ac neceſſarijs tantæ doctrinæ fundamentis, via breviſſima & commoda ad ſinceriſſimos ex antiquitate venerandâ promanantes manuduceret & inſtigaret fontes. Veterum, ipſe veteribus non inferior, admirator ſummus, veterum cultor & ſectator genuinus, ſine quorum diligenti lectione, impoſturam eſſe omnem Medicinæ profeſſionem cum Gulielmo Copo arbitrabatur. Ad praxin exactam, ſimplicium primò, deinde compoſitorum medicamentorum, prerequirebat notitiam, accuratam mali tollendi cognitionem, tum verò maximè methodum, methodum ingeminabat. Empiricas toto animo ridebat ineptias, deteſtabatur impoſturas. Ad hæc omnia, non tam hortari, quàm ipſemet præire paratiſſimus, quid & quando facto opus eſſet, ſuo commonſtrans exemplo. In quo illud etiam præterea obſervandum fuit, quod non tantum accuratiſſimis & ſelectiſſimis morbum aggrederetur medicamentis, ſed jucundiſſima ſermonis ſuavitate, laborantium vires quantum numeroſa etiam præſtare non potuiſſet corroborantia, refocillare & vigorare noſſet, deſperantibus animum erigere, auſterioribus riſum extorquere, omnes pro occaſione verbis non minùs quam herbis ſublevare. Nec minus latè interim per ipſam Vrbem & Provinciam, imò & extra eam ad Ill. omnium Ord. Magnates, imprimis Ill. aulas Naſſovicam, Oldenburgicam, Friſicam, Stirumanam, honorificè ſæpius excitus, veniâ ſuperiorum ſuorum profectus, ſalutiferam artis ſuę operam & opem extendit. Erat autem in medicando ut promptiſſimus gratiſſimuſque ita & feliciſſimus, ut quorum vulgò deſperata eſſe ſolet ſalus, Epilepticos, Hydropicos, Phtiſicos, Cachecticos, Scorbuticos, ſimilibuſque graviſſimis affectibus laborantes complures vel penitus illis malis liberarit, vel ſaltem præſidijs præclaris ita contra ea muniverit, ut minori incommodo ſuo eis reſiſterent & ſi non prorogarent fatalem horam ſaltem integriore valetudine ad eam procederent. Tandem hic quoque Æſculapius velut conjurato in vindictam multiplicium morborum, de quibus toties triumphaſſet, agmine impetitus ac proſtratus, fruſtra omni Phæbæo præſidio obnixus, corpus morti ac terrę ſubmittere coactus, animam fide in Jeſu Chriſto munitam ac victricem ad Cœlos emiſit. Morborum illorum cauſam agnoſcebat

agnoſcebat ipſe & deplorabat, quod in Aulis non ex Medicorum ſed Magnatum præſcripto vivendum ac bibendum ſibi fuerit ſæpiùs, minimè ad normam ſobrietatis veterum Sabinorum. Itaque continuis majoriſque ſpiritus hauſtibus, pluſculum de corporis viribus detractum nimiumque ſibi (ſic ſeriò jocabatur) in juventute præſcriptum uſum abluentium coactumque humectare largius, quam ex naturę præſcripto eſſet neceſſum aut commodum. Hinc varia morborum genera, quos inter velut agmen ducebant hydrops, quartana febris, podagra ac demum πολυποικιλος ſcorbutus, hæreditarius ille quidem, ſed qui tali affuſo oleo ſummopere fovebatur ac creſcebat, ut licet priorum aliquot hoſtium inſultus ſatis feliciter frangeret ac repelleret, hujus nunquam tota vita ſua penitus liberari potuerit tyrannide; ſed eum ad extremum uſq; vitæ halitum habuerit & colluctatorem & contubernalem. Itaq; anno 1640. menſe Octobri, cùm poſt continua aliquot familię vulnera ac funera, quibus animus ejus dejectus, corpus deteriuſculè habere cœpiſſet, aperiente primum ſe pedum malo, cujus quotannis impetus aliquot ut experiri ſic operiri ſueverat, nihil gravius augurabatur, quod uſitato eoque expeditiſſimo lenimine ejus noſſet mitigare tormenta, de cœtero, moleſtias ſequioris illius valetudinis joco, ut erat homo facetus, allevare ſolitus. At cum ea medicatio nunc minimè more ſolito ad nutum & votum ipſi ſuccederet, inſuperque hæreditarius ac inveteratus evigilaret ſcorbutus, labaſcere animus & diuturnam gravemque præſagire afflictionem. Hiſce comitem mox ſe adjunxit intermittens febris, quę ſingulis hominem noctibus exercebat, manuum præcipué intenſo ardore ſicco & cephalalgiâ, hemicrania maximè, vehementi infeſta, quæ diffluente in malam dexteram acerrimo humore ſcorbutico, bilioſo ſeroſoque terminabatur, non ſine acutiſſimis ex corrodenti materia doloribus. Nec diu hæc febris manſit ſolitaria, ſed implicatam ſibi excepit aliam continuam, ut ex junctis illa exſiſteret ſpecies, quæ Hemitritæi aut ſemitertianæ Medicis venit nomine, de quo notiſſimum extat Quinti Sereni: Mortiferum magis eſt, quod Græcis Hemitritæum vulgatur verbis, conſentiente Hippocrate pariter ac Galeno & confirmante experientia. Præterea ſua ſponte ſuppullulabant ſupra ingentem formidabilium Symptomatum ſeriem, faucium, gutturis, oriſque affectus, gingivarum tumores, abſceſſus; denique exulceratio genarum putrida & fœda adeò, ut ipſemet prodeuntis ſatis largiter ſe non ferre ſaniei fœtorem alijs non ſemel ſit conqueſtus; plurima ex his & tantum non omnia de ſinu ſuo promente Scorbuto. Atque hęc quidem ſemper aderant, ſubinde verò immenſis Coli torminibus, diriſque nephriticis cruciatibus excarnificabatur, exeunte etiam numeroſo lapide, tanta violentiâ, ut, ex acerbiſſimo in membranoſis tenerrimi ſenſus

Q partibus

partibus tantopere diſtenſis dolore, jam diſſolvendæ viderentur vires omnes; quod Fernelio eveniſſe ex ejus vitâ cognoſcitur. Ille qui humani tabernaculi noviſſet fragilitatem, totieſque in Medica praxi (cui humanæ miſeriæ theoria eſt implicita) aliorum exemplis eſſet admonitus, & ex ipſa arte ſuâ corporis naturam, & fabricam haberet perſpectiſſimam, non poterat ignorare quæ futura hujus fabula καταστροφή. Itaque animam ad Cœlos erigere uſitato ſibi Symbolo:

Glorior in ſolo Crucifixi ſanguine Chriſti,
Illa meæ fidei ſumma ſit illa, ſpei.

At nihilominus & boni Medici & obſequentis ægri fungi officio: nihil quod ad ſanitatis collapſæ reſtaurationem videbatur conducturum intermittere; omnis generis medicamina ac levamina præſcribere, uſurpare; potiones varias continuè haurire, pilulas devorare; carminativa, lithontriptica aſſumere; clyſmata injici curare; gargariſmos, ſacculos, cucuphas, oris collutiones, inunctiones, emplaſtra non negligere; confortantibus non rarò, ſemper antiſcorbuticis uti, & neſcio quæ non pro rei occaſione, & exigentiâ adhibere; ſed omnia (proh dolor) eventu infelici, ſucceſſu nullo. Mala interim magis ac magis gliſcere, indies in pejus ruere, corpus tandem ad extremam tabitudinem vergere, ſummumque virium pati deliquium. Quin etiam cum putrida hectica conjungi, cujus illud ſolet eſſe prognoſticon, quod curationem valentibus viribus vix admittat; collapſis verò nunquam, idque ob contrarias in tali caſu indicationes, quibus ſimul ſatisfacere difficillimum, ſeorſim impoſſibile. Quam hectica humectationem deſiderat, eam reſpuit putrida, contraque quæ putrida exigit ſiccantia, tanquam putredinem inhibentia, illa hecticæ magmentum addunt. Quare tot malorum incumbentium numero & contra virium corporis afflictarum ratione inita, facile collatis illis veris univerſæ prognoſeôs Medicæ principijs, præſagiens eventum, totum ſeſe quieti dabat, divinæ voluntati ac providentiæ ſe commendans, diſſolvi & cum Chriſto eſſe intimis ſuſpirijs anhelans. Poſtremò cum anguſtato ex humoribus viſcidis pectore, diſtentoque ventriculo paucis ſupremis diebus ægriùs verba proferre, ultima verò vitæ luce prorſus vocis uſu deſtitui cæpit. Sic tandem 8. Febr. anno 1641. veſperi ad mediæ nonæ punctum, præſentibus Clariſſimo ac Reverendo Dn. D. Henrico Altingio Theol. & Cl. & Conſult.

Dn. D.

Dn. D. Joh. Steinbergio Iᶜto, Collegis dum viveret amiciſſimis, quaſi oſcitans doloribus corporis emaciati renunciavit, & placidiſſimè exſpirans animam Creatori Redemtorique ſuo reddidit, cùm vixiſſet in terris an. 59. menſ. 3. dies 9. in matrimonio 32. & jam in quartum viduus. Exuviȩ corporis ejus XIV. menſis ejuſd. funere indictivo ab Academia, magnoque tum Magnatum, tum omnis ordinis hominum confluxu ad frequentandas exequias ejus concurrentium, monumento ritu Chriſtiano illatæ & conditȩ in Choro templi Academici, biduoque poſt à viro Cl. Dn. Henr. Welmanno, Collega ejus in facultate, ipſi honorificè eſt parentatum. Sic corpus terræ, anima Cœlo reddita, at fama nomenque viri mortis eludunt ſævitiem, neſciunt rogum, Soliſque coextenſa tramiti, niſi qui totius eſt futurus machinæ, ignorant terminum. Quamdiu ſacrum Æſculapij erit numen & in pretio Phœbi inventum, inter primos Machaonum ordines inſignis micabit Freitagius. Monumenta mundo reliquit, in ſecula itura, de quibus nulla unquam ætas conticeſcet, diviniſſimis in arte Medicâ aſſocianda tabulis.

SCRIPTA.


Noctes Medicæ cum adi.
Aurora Medicorum in qua.
De Opio Laudaniſque Opiati tractatus, cum conſilijs aliquot longè accuratiſſimis.
Detectio & Refutatio novæ ſectæ Senerto-Paracelſicæ.

INEDITA.

Reſponſio ad cenſuras Theologorum.
Conſilia in periculoſiſſimis affectibus Medicis præſcripta.
Poëmatum farrago.

TOBIAS ANDREÆ.

IN hanc lucem editus eſt Braunfelſij Solmenſium, anno hujus ſeculi quarto, die decimonono menſis Auguſti. Parens ipſi cognominis M. TOBIAS ANDREÆ, eccleſiæ eidem & Ill. Comiti à ſacris concionibus aulicis, vicinarumque per totum comitatum Inſpector, vir priſcæ pietatis ſingulariſque in ſacro munere zeli & exempli. Mater *Margaretha*, *Iohannis Piſcatoris* Argentinenſis, Theologi Herbornenſis celeberrimi, filia primogenita. Primis bonarum artium tyrocinijs in ſcholâ Patria, ſub Magiſterio Dn. M. Johannis Everardi Zaunſchlifferi depoſitis, patre defuncto ad illuſtrem Herbornæam ablegatus eſt, anno CIↃIↃCXVII, ubi quinquennio curriculum claſſicum reliquum abſolvit: indeque in alterum annum ſtudijs Philoſophicis ſub inſtitutione Cl. Alſtedij & Piſcatoris avunculi operatus Bremam ſe contulit. Hic in ſeptimum annum eadem ſtudia, contentione ſingulari publicè privatimque excoluit, tum cæterorum Illuſtris ejus Scholæ Profeſſorum, tum imprimis Dn. Gerhardi de Neufville Medici ac Philoſophi eximij longèque Celeberrimi aſſiduus auditor. Etiam ſui magis confirmandi & ad cathedram Profeſſoriam præparandi gratiâ, Collegia Philoſophica, petentibus honeſtis Studioſis compluribus habere incepit. Anno CIↃIↃCXXVIII. reſalutatâ Patriâ obiterque viſitatis Academiâ Marpurgenſi & Colonienſi, Groningam venit, à Cl. Dn. D. Altingio amico avito & fautore hæreditario ſumma humanitate exceptus & fotus, Collegia omnis generis Philoſophica, ingenuis adoleſcentibus inſtitutionem ipſius efflagitantibus aperuit & habuit. Poſt Cl. Altingius filiorum ſtudijs eum præfecit. Quæ cum ad eam maturitatem promouiſſet ut Academiæ adſcripti, ſine cortice natare poſſent; ejuſdem commendatione ſtudijs Ill. Principis Palatini, Ducis Lansbergici præfectus, ea in annum tertium partim Lugduni Batavorum, partim Hagæ-Comitis in aulâ Celſ. Principis Auriaci moderatus eſt. Inde anno CIↃIↃCXXXIV. ad illuſtrem hanc Academiam in locum Cl. Dn. Jani Gebhardi ad Profeſſionem Hiſtor. & L. Gr. evocatus: quam ſtationem mox adijt & hucuſque ſuſtinet: ſemel tantum ex quo eam capeſsivit, veniâ ſuperiorum per ſemeſtre, abſens; cum nova nupta in Sueciam profectus ad ſalutandum Nob. & Ampl. Dn. Socerum Ludovicum de Geer; reliquo omni tempore Spartam quam nactus, pro viribus ornare, intentus.



Cûi Sophiæ, ſed jûre pari dant nomina Muſæ
Et nihil ex opibus Pallas avara negat;
Tempora, facta, viros, tibi qui, Groninga, priores
Imputat, atque aulam poſthabuiſſe tibi;
Hos præfert vultus ANDREÏVS. *Ore decoro*
Noſſe animum, reddi qui nequit ære, licet.

I. FR. GRONOVIVS.

EDITA.

HEnricus Naſſovius, ſive Oratio in exceſſum Ill. & Gen. Dn. Comitis Henrici Naſſovij Gubernatoris Friſiæ, Groningæ etc.

Aſſertio Methodi Carteſianæ, oppoſita Jacobi Revij Conſiderationi Theologicæ, quam vocat.

Brevis Replicatio, Brevi Explicationi Mentis humanæ Dn. Henrici Regij repoſita.

IOANNES STEINBERGIUS.

GOrlicij Luſatiorum natus Anno à ſalutari partu CIↃ, DXCII. die 13. Januarij; Patre *Melchiore Steinbergio*, Conſule dum vixit in eâdem inclytâ & florenti quondam *Gorlicio*: Matre *Anna Bergera*; ex patriciâ *Bergererum* familiâ. Decurſis pueritiæ annis, jactiſque primis literarum fundamentis, ex Gymnaſio patrio, ab Optimis Parentibus, qui cultu animi ejus nihil ſemper habuerunt antiquius, ad Germanica Lycèa mandatur. Primùm Witebergę per biennium cùm dimidio ſedem ſuam fixit; ubi parentis olim in ſtudijs commilitonem, tunc præceptorem ſuum habuit Bartolomæum Reuſnerum, cum alijs Celeberrimis Viris, Beeckmano, Hirſchbachio, imprimis Guilielmo Forſtero, Valentini filio. Deindè etiam aliquamdiu Jenæ ſubſtitit. Porrò, ad Celebratiſſimam Heidelbergenſem Univerſitatem migrans, per Annos 1611. & 1612. ibi hæſit; ubi commendatione *Cl. Taubmani*, intimè innotuit Grutero, amiceque eo uſus fuit. Dornavij item affinis ſui, Conſiliarij Illuſtriſſ. & Celſiſſimi Principis Bregenſis & Lignicenſis in Sileſiâ, commendaticijs inſinuatus fuit favori Ampliſſimi *Lingelshemij*, Conſiliarii ſecretioris Conſilij Palatini; quo eodem parario in notitiam primam Conſummatiſſimi illius Icti Dionyſij Gothofredi, cujus ſolius claritudine, (patre optionem filio relinquente, num Marpurgum, num Heidelbergam petere vellet) primùm eò loci pellectus fuerat, devenit. Paternis autem literis *Abrahamo Sculteto* interioris neceſſitudinis & admiſſionis fuit; qui cum patre contractam amicitiam in ſcholâ patriâ eandem in filium ſuè derivavit. Lapſu interim temporis, dum ſub Celebribus illis Jurium myſtis, *Gothofredo*, *Hoffmano*, *Nebelio*, *Calvino*, juri operatur, inſuper arctiſſimam præ cæteris, contraxit familiaritatem cum Celeberrimo *Bacchovio*, tunc Profeſſore Ethices publico; attamen eo tempore nihilominus extraordinariè Jura docente & defendente. Sub quo etiam notiſſimas illas notas ad Treutleri diſputationes (quas tùm temporis Clariſſimus Vir Cenſuras ad Treutlerum nuncupabat) manu propriâ exceptas, & quas ſcriptas adhûc penes ſe aſſervat, cum alijs octo Collegis ſuis Commilitonibus annuo ſpatio diſputando abſolvit. Ad Patrios lares tunc repedantem, & à Parentibus & illîc loci primarijs propinquis ac amicis plauſu exceptum, variæ eum circumſtabant lautiſſimę conditiones, quæ eum & in patriâ, & in vicinâ Sileſiâ morari invitabant. Parens tamen ejus, qui à longo jam tempore in intima notitia & flagranti favore apud inclutum Heroem in Moravia, Illuſtrem *Ladiſlaum Welenum* Baronem Zerotinium, Dynaſtam Treboviæ Moravorum, Luntenburgi, Hohenſtadij, Eiſenburgi

Eiſenbergi &c. à Moravis tum felicis temporis *Divitis Zerotinij* κατ᾽ ἐξοχὴν cognomine inſignitum oratur & exoratur, ab Illuſtri prefato Heroe, qui filium reducem cedere vellet in Præfectum Juventutis duobus Illuſtrib. & Generoſiſſimis filijs ſuis natu majoribus, *Ioanni*, *& Bartolomæo Zerotinis*. Conditionem accipere, etſi primùm detrectans, partim tamen patrijs juſſibus; partim opimâ ſpe & promiſſione facta, adducitur. Perluſtraturus regionatim exteras gentes, cum concreditis ſibi Heroibus; primùm Vratislaviæ annuo, poſt Heidelbergę aliquantiſper; Argentinæ triennali ſpacio moras fixit: inde Baſileam contendens, ibidemque Laureâ ex Themide donatus, Genevam appulit: quâ etiam poſteà deſertâ, Celticam omnem uſque ad confinia ipſarum Hiſpaniarum peragravit. Poſt decennale peregrinationis curriculum iter promoturus erat in Italicam, & Belgicam; niſi feralis ille nuncius cladis Pragenſis curſum ſufflaminaſſet. In eo enim res agebatur ſuorum Heroum, quorum Illuſtris Parens inter ſupremas Spheras infelicium illorum motuum extiterat. Ita Illuſtres ſuos concreditos quietis Penatibus reſtituere ei non licuit: ſed in ipſum Martis campum ſub auſpicijs Auguſtiſſimi illius Regis Suecię eos deduxit; Ubi brevi ad dignitates Præfectorum Legioni, quos Colonellos vocamus, evecti; Generoſiſſimi Heroes generoſè dimicantes, pro patriâ Spiritum effuderunt. Ipſe interim turbato etiam Patriæ ſuæ ſtatu receptum ſuum Genevam ſtatuit; quæ & tunc multorum Principum, & Illuſtrium Heroum aſylum erat, ubi velut è ſpeculâ cataſtrophen cruentę illius Tragædiæ ſpectans expectabat. Varia in Bello munia à varijs Principibus, quibus tempore pacis, & diuturnæ ſuæ peregrinationis innotuerat intimè, ei oblata fuerunt: ſpeciatim ab ipſo Sereniſſimo Duce Bernhardo Wimarienſi; ei nec prenſanti, nec volenti, officium, ut vocant, Generalis Auditoris, cum promiſſione ulterioris promotionis delatum fuit: ſed ſpe ſemper meliorum, noluit ſe Bellonæ negocijs implicare. Anno M. DC. XXXIV Palatinatu vindicato, & per victorias Suecicas recuperato, ad Conſilia Aulica à Sereniſſimo Principe *Philippo Ludowico* Tutore & Adminiſtratore Electorali vocatur. Prælio autem Nordlingenſi de novo intervertente ſtatum Palatinum, vidit iterùm, ut anteà ſæpè majori adhùc nomine expertus erat, fortunam ſuam vitream eſſe, quæ frangebatur dum pellucebat. Et cum ad vitę ſuæ curriculum reflectit, ſępè ſe Fortunæ privignum vocitat. Dum Genevæ diutiùs hæret, Profeſſionem ibi Juris publicam acceptavit: cui debitâ cum diligentiâ & dexteritate præfuit. Et quanquam ad eandem Juris profeſſionem publicam in Illuſtri ſcholâ Daventrienſi An. 1636. exornandam lauto & honorifico ſtipendio invitaretur; noluit tamen pedem Geneva, jam diu ibi fixum, movere. Donec tandem An. 1638. ab Illuſtrib. &

luſtrib. & Præpotentibus Dn. Dn. Ordinibus Groningæ & Omlandię; ut & Nobiliſſimis & Ampliſſimis Dnn. Curatoribus hujus Athenei Provincialis, oblata ei primaria in Jure profeſſione, Celeberrimo J&to Anton. Matthæo ſurrogatus fuit. In qua provincia ſuſtinenda, jam adhuc dum conſtans permanet: quamvis ante aliquot annos honos ei exhibitus fuerit, ut in nova Hardervicenſi Academia ab Illuſtrib. Dn. Dn. Ordinib. Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphanię erecta, Sparta primariæ Juris profeſſionis ei aſſignaretur: Exactis tribus luſtris deſideratiſſimam ſuam ad cęleſtia gaudia præmiſit CATHARINAM de Bary, ex nobili familia ortam, relictis duobus filijs, qui per Dei gratiam adhuc ſuperſunt, altero Johanne Melchiore, L. A. M. & Paſtore ac Profeſſore Genevenſi, altero Carolo J. U. D.

CONSULTISS.

DN. FRANCISCUS JUNIUS F. N. Jurium Doctor, hoc ipſum honoravit Epigrammate in effigiem.

Ecce Palatinæ quem cura vocaverat aulæ,
Quemque Geneva Tibi, culta Groninga, dedit.
Quem Themis, & ſummo doctrina æquavit Olympo;
Docte quid hunc ſolido ſculptor in ære refers?
Omnia dum docuit, STEINBERGIUS, *omnia vidit;*
Omnibus æternum conſpiciendus erat.

SCRIPTA
ejus hactenus edita.

Series ffórum & Codicis, ſimulque de interpretatione & fictione Juris.
Ad l. contractus 23. ff. de R. J.
De Quartis Juridicis: & de præſcriptis verbis.
Diſſertationes Iuſtinianeæ ad Inſtitut. Iuris.
Diſputationes triginta ad Quinquaginta novas Deciſiones Iuſtinianeas.
Uberior explicatio, exegeſis, & Examen ad paratitla Weſenbecij.
Nunc eſt in eo, ut abſolvat Diſſertationes aliquot imprimi ceptas, maxime de Quatuor Elementis Juridice tractatis.
Edidit quoque in juventute ſuâ varia Epigrammata & Anagrammata Bethaniæ in Sileſiâ excuſa.

HENRICUS




Suúm Lÿcæo nostra quem intulit ſolúm	At heu! iniqua invidit húnc ſua Parca
Groninga; morúm castitas, labor, vita	Groninga, ab úno hoc cardine haud duos ſoles
Deo ſacra úni, litterisq; neglectúm	Lúcere paſſa. Núnc recepta mens cœlo.
Supra locavit vulgús, ordini adſcripsit	Vultúm hic ſtúpemus. Sic habe, viri magni,
Augústiori, múnerisq; WELMANNUM:	Hanc qui tabellam, posthumum decus, ſpectas.
	JOH. BORGESIUS M. Doctor.

HENRICUS WELMANNUS.

NAtus An. CIↃIↃCXI. a. d. XVII. Kal. xbr. in hac ipſa urbe Groninga, bono & gloriæ Patriæ ſuæ, longè etiam majori futurus ni præmaturè denatus. Patrem habuit Virum eruditum Henricum Henrici, Scholæ patriæ Collegam. à quo cum inde à teneris ingenium, quod ad literas ferebatur, excoli cœpiſſet, brevi per claſſes Gymnaſij curriculum abſolvit, ut anno ætatis XVII. præclaris jactis fundamentis, cum eximiâ præ condiſcipulis laude, Academiæ tranſcriberetur. Phyſicis primum ſtudijs ſub Dn. M. Mayvartio (etiam Collegijs privatis ſub D. Tob. Andreæ, tum Philoſ. Candid. indultu facultatis inſtitutis) Matheſi item ſub Cl. Dn. Paſore, Linguæq; Arabicæ & Græcæ non perfunctoriè operatus, magno ardore ad ſtudium medicum animum applicuit. Ejus artis prima fundamenta hauſit è diſciplina Viri Doctiſſimi Dn. D. Conradi Matthæi; at pleniorem explicationem, applicationemque ad praxin percepit tradente Cl. atque Experientiſſimo Viro Dn. Johanne Freitagio, veterano multorum ſtipendiorum in eis caſtris, cujus hoſpitio quoque & converſatione familiari privatâ, in tertium annum, magno ſuo commodo uſus fuit, datus ab ipſo ſtudijs filij director. Præclara jam eruditione inſtructus, ut ſupremam ſtudijs Academicis manum, tanto majori cum gloriâ imponeret, alias quoque Academias & in eis viros Doctos famaque celebres priùs adeundos ſibi atque ſalutandos cenſuit. Lugdunum itaque Batavorum & poſt Ultrajectum ſe contulit, ibique in Anatomicis & Botanicis plura addidicit, aliaque ad diſciplinæ Medicæ perfectionem atque ornatum neceſſaria penitiùs imbibit. Conſtituerat etiam poſtea trajicere in Gallias, & ſummos regni illius florentiſſimi ſalutare artifices, ſed cum paulò diutius Roterodami ventum ſecundum fruſtra exſpectaſſet, matris juſſu, & Curatorum ſuaſu Patriam repetivit. Mox ſummos in arte Medicâ honores, poſt ſolennia omnia maximâ cum laude præſtita, ſuſcepit, conferente Præceptore veteri Cl. Dn. Freitagio An. CIↃ IↃC XXXIX. poſtridie Eid. Jan. animumque inde & operam ad faciendam medicinam convertit, ſucceſſu felici & rumore ſecundo. Anno ſequenti, in locum demortui Cl. Dn. Conradi Matthæi Medicinæ Profeſſor extra ordinem datus Academiæ, ſed brevi poſt, cum prima ſpecimina oſtendiſſent, quam plenè ad ornandam eam Spartam factus eſſet, in numerum ordinariorum fuit adſcitus. In qua ſtatione ſi moram diuturniorem ipſi fata conceſſiſſent, nemini alij vel meritis in ſtudioſam juventutem, vel culturâ artis ſuæ, vel gloriâ conceſſurus videbatur. Et loquuntur hodieque ſolidam ejus rei Medicæ atque Anatomicæ peritiam,

ritiam, eruditiſſimæ complures ab ipſo habitæ Diſputationes. Sed cum ſolos annos XXXI. Menſes VI. & dies circiter XVII. vixiſſet inculpatus & irreprehenſibilis, gratus omnibus, gravis nemini, magno bono publico, ſpei maximæ, repente febri maligna extinctus eſt: non ſolum viduæ, Matronæ moratiſſimæ, Mariæ à Bonnema, luctum, filiolæ orbitatem, ſed bonis omnibus deſiderium ſui relinquens. Parentationis ſupremum officium ex decreto Senatus, & voto ipſius illi præſtitum, à Cl. Dn. D. Matthiâ Paſore.



Patria quem stupuit, Daventria, nuncq; Groninga,
Schoockius investi corpore conſpicitur.
Hujus at ingenio veſtitum pingere vultum,
Solius eſt Sophiæ maximus ille labor.

IOAN. STEINBERGIVS. ICT. ET ANTECESS.

MARTINUS SCHOOCKIUS.

MARTINUS SCHOOCKIUS natus eſt Ultrajecti anno CIↃ IↃ XIV. Kal. Aprilis circa horam decimam nocturnam, patre Gilberto Schoock F. Arnoldi, Conſulis Bommeliani per annos complures, & matre Johanna à Voorſt. Schoockiorum gens ante annos trecentos in Faſtis nota, incunabula ſua debet Dordraco primæ Hollandiæ civitati, ac inter ſuos gentiles preter Petrum Schoock ante ſeculum Zuyt-Hollandiæ Prætorem & Dordracenum Scabinum, ejuſque filium Tilemannum parentis in Scabinatu ſucceſſorem, cenſet quoque Gisbertum Schoock Juris Utriuſque Doctorem, & in Lovanienſi Academia Profeſſorem atque Rectorem Magnificum, (notiſſimum ex diplomate, quod nomine Univerſitatis ſuæ anno 1571. d. 26. Martij, decantatis illis Biblijs Regiis prefixit) alioſque complures, qui potiſſimum Bommeliç in Geldria (vulgo *Salt-Bommel*) honores geſſerunt, honeſtiſque affinitatibus (nominatim *Neidonum*, *Cellecatorum*, *Baldewinorum*, *Moilardorum*, *Maſiorum*, *Brittenorum*, *Lottemorum*, *Vorſtermannorum*, & *utrorumque Raetiorum*) familiæ honoratæ majorem ſplendorem jam olim fænerari ſtuduerunt, atque adhuc hodie in Geldria primarias dignitates inculpatè gerunt. Prænomen accepit à proavo materno *Martino Schipperio* Medico eximio, qui ut ultra triennium magno illi Andreæ Veſalio domeſticus fuit, ita ad annos ferme quinquaginta magna cum nominis celebritate Medicam praxin exercuit Delphis & Ultrajecti, familiatiſſimus viris in Apollinea arte excellentibus, *Petro Foreſto*, *Remberto Dodonæo*, *Iodoco Lomnio*, *Verdoeſio*, *Haeſtenio*, *etc.* præ cæteris *Ioh. Heurnio* Profeſſori Leidenſi Celeberrimo, & Chirurgo experientiſſimo *Ægidio Gallio*. Dierum ſatur vivere deſiit Ultrajecti anno 1603. cum filium unicum *Ioh. Baptiſtam Schipperium* Med. D. Virumque ſummę exſpectationis, compoſuiſſet ibidem anno 1593. cujus vidua *Gertrudis van Voorſt* poſtea nupſit *Ælio Everardo Vorſtio* Medicinę Profeſſori celebratiſſimo in Academia Lugduno-Batava. Prima literarum fundamenta domi poſuit, ſub avo materno Antonio à Voorſt, viro docto & portentoſæ memoriæ; cujus ſubſidio totum Novum Teſtamentum, & Pſalterium, melioremque Virgilij partem, etiam cum luminibus captus eſſet, identidem repetere ſolet, tali quaſi exercitio, nepotumque inſtitutione, cæcitatis incommodum edulcando. Poſtea frequentavit Gymnaſium Hieronymianum, atque, moderante illud præ alijs Viro Cl. D. Antonio Æmylio, hoc tempore in Academia Ultrajectina Hiſtoriarum Profeſſore Celeberrimo, eo uſque profecit, ut anno XXIX. hujus ſeculi, ad capiendum

piendum uberiorem ingenij cultum, ad Academiam Friſiorum, quæ Franequeræ eſt, ablegatus fuerit. In ea audivit Johannem Hachtingium Philoſophum acutum, & Adrianum Metium Mathematicum longè celeberrimum: prima quoque Theologiæ fundamenta poſuit ſub Reverendis atque de Ecclesia Orthodoxa meritiſſimis viris, D. Gulielmo Ameſio, D. Johanne Maccovio, & D. Meinardo Schotano, Theologiæ Doctoribus & Profeſſoribus eximijs: cum vero aëra illum valetudini ſuæ minus commodum eſſe crederet, ex conſilio amicorum anno XXXII. Leidam abijt, adhæſitque Philoſopho ſummo D. Franconi Burgerſdicio, delecto adhoc in Theologia manuductore & Doctore D. Antonio Walæo Theologiæ Profeſſore accurato. Oblata deinceps commoda in Patria occaſione, varios nobiles ac egregios adoleſcentes in diſciplinam accepit, qui dum in Conſiſtorio quoque menſe declamant, viſus eſt præludere Illuſtri Gymnaſio, quod anno XXXIV. ibi erectum eſt, & cujus membrum, extraordinaria Profeſſione Latinæ & Græcæ linguæ admiſſa, cœpit eſſe ſub finem anni XXXV. Paucis menſibus poſt, Gymnaſio Academiæ titulo inſignito, ipſe primus in Philoſophia lauream accepit, quemadmodum antea in Gymnaſio primam Diſputationem propoſuerat. Ultrajecti hæſit uſque ad finem anni XXXVIII. quo (cum paulo ante, in patria Academia titulo Profeſſoris humaniorum literarum condecoratus eſſet) à Magiſtratu Daventrienſi per Rever. & Celeberrimum Dominum Nicolaum Vedelium ibidem tum temporis Theologiæ & Ebrææ linguæ Profeſſorem, accitus eſt ad docendas Hiſtorias & Eloquentiam, in Illuſtri ſuo Gymnaſio, quod ut illuſtrius redderet, ultro ſuperaddidit lectionem Græcam & Geographicam. Anno XL. legitimè vocatus ab Illuſtribus provinciæ Ordinibus, abijt ad Academiam Groningæ & Ommelandiæ, in qua adhuc hodie per Dei gratiam Logicam & Phyſicam docet. Anno præcedenti uxorem duxerat lectiſſimam virginem Angelicam à Merck, Ultrajectini Mercatoris filiam, quæ ipſum ſeptem filijs ſuperſtitibus, & unica filia beavit, exceptis tribus, quos communis mater Tellus ſibi vindicat.

EDITA

ab eo antehac:

Deſperatiſſima cauſſa Papatus cum Auctario adverſus Libertum Fromondum.

Diſſertatio de natura Soni & Echus.


Admiranda Methodus novæ Philoſophiæ Carteſianæ, ſed ab al[illegible]nu deturpata, propediem ex mente auctoris iterum edenda & vindicanda.
Diſſertatio de Ovo & Pullo; tertia editione locupletantanda non minus, quam vindicanda.
Diſſertatio de Turffis.
Diſſertatio de Harengis, ſeu Halecibus.
Volumen primum Orationum.
Tractatus de Inundationibus.
Liber de bonis vulgo Eccleſiaſticis dictis, in quo agitur de Canonicis in genere, itemque ſpeciatim de Canonicis Ultrajectinis, nec non de officio Miniſtrorum Eccleſiæ erga Magiſtratum.
Diſſertatio de bonis vulgo Eccleſiaſticis dictis.
Accurata reip. Belgicæ federatæ deſcriptio.

Partim ſub prælo jam ſunt, partim ad prælum parata:

DE Scepticiſmo libri ſex.
De Potentia Belgicæ reip. Commentarius liber.
Imperium Maritimum.
De Piſcatione Tractatus.
De Religione libri xv.
Hiſtoria Reformationis Eccleſiarum Belgicarum, in qua de antiqua Belgarum fide.
Hiſtoria Ultrajectina à Chriſto nato ad annum Dccc.
Etymologicum Belgicum.
Clapmarius Abſolutus: ſive altera pars arcanorum reip. Clapmario pro ſupplemento addenda.
De cerviſia Commentarius accuratus.
Hiſtoriæ naturalis veſtibulum reſeratum.
Hiſtoria novorum & antiquorum Enthuſiaſtarum, cum præmunitione adverſus eos.
De Poſſibili & impoſſibili tractatus.
De zelo libri quatuor.
Monſtrum Præciſitatis pro vindicijs Chriſtianæ libertatis, & veræ praxios pietatis debellatum. Aliaque.

SAMUEL MARESIUS.

SAMUEL MARESIUS, Gallicè *Des Marets*, Patriam habet Galliam ocellum Europæ, in Gallia Picardiam, Galliæ Belgicæ partem nobiliſſimam; In Picardia Avimontium, vulgò *Oyſemont*, Oppidulum haud ignobile, quod Metropolis & Caput ſit Comitatus ſive Præfecturæ Vimacenſis; Cœli cœterum & Soli tam fœlicis, ut in tota ferè Provincia nullus locus vel amœnior vel ſalubrior exiſtat. Vimacenſes fuerunt, ex eadem ditione Picardiæ, Vatablus, vernaculè *Vvatebled*, & Tagautius, quorum ille in Theologia & Linguæ Hebraicæ ſtudio, hic in Medica Facultate ſuperiori ſæculo claruerunt. Diſtat Avimontium ab Abbatiſuilla, ad 4. lapidem, ad decimum à Samarobriga Ambianorum, trans Somonam. Ibi *Mareſius* natus eſt anno 1599. nono Auguſti ſtylo Gregoriano, in pervigilio feſti quod *S. Laurentio* apud Pontificios ſacrum eſt: Pater ei fuit Ampliſſ. & Conſultiſſimus Vir DAVID des MARETS Dominus du Feret, Avimontij ejuſque Commendæ Prętor ſive Juridicus ordinarius; Baronatus item Chepienſis, Sancti Maxentij aliorumque pagorum Judex Civilis & Criminalis; in Regia Prefectura Vimacenſi Juriſconſultus & Cauſarum Actor eximius, & Notarius Regius, Regiſque Chriſtianiſſimi, Rerum Maritimarum in Occiduo Mari Commiſſarius; eoque nomine gaudens eadem immunitate à Tributis ordinarijs quâ Nobiles; Mater adhuc ſuperſtes, MAGDALENA VAUCQUET, quæ valdè grandeva virum ſuum, quo cum vixerat conjunctiſſimè ab anno 1588. anno demum hujus ſæculi 49. non tam amiſit quam præmiſit. Honoratę & antiquæ ambo parentes fuère familiæ; Nam *Mareſij* inter ſuos Majores, Depenſes Præfectos, Gamachienſeſque Caſtellanos, poſſunt numerare; nec ita pridem *Davidis* patruelis, Breſtę in Armorica, Sardinio Gubernatore, Proprętectum egit: *Vaucquetiorum* verò familia, totâ Picardiâ nota eſt; Verum in eo potiſſimum ſolet *Mareſius* gloriari, quod ex parentibus ſit ortus pijs & probis, ac Religioni puriori ἀπο βρέφυς addictiſſimis; Siquidem LAMBERTUS *Davidis* pater, Civis Blangiacenſis honoratus & opulentus, Senior fuit in Eccleſia Domeſtica Principis Porciani, ſub auſpicijs Reformationis; Et JOHANNES VAUCQUETIUS *Magdalenæ* pater, Prętor Sanmauvizij Fontiumq;, & Juris patrij Conſultiſſimus in Præfectura Vimacenſi, atq; Regius Notarius, itidem columen fuit inter ſuos Eccleſiæ Reformatæ; quem *Mareſius* recordatur ſe admodum puerum vidiſſe, venerandâ canitie Senem, natum 93. vel 94. annos, integris mentis & corporis viribus ſacra noſtra frequentantem, ſuoſque nepotes magno numero ad virtutis & pietatis cultum patheticè invitantem. Ipſo verò ad meliores abeunte, Eccle-



GALLIA quem nouit, nouit quem BELGICA tota,
Et quo nunc foelix Sole GRONINGA micat,
MARESIVS parua depingitur hacce tabella;
Ars etenim in paruis pandere magna ſolet.

J. le Long.

II.D. Stomme pinx. *Theod. Matham ſculp.*

te, Eccleſiæ Avimontanę, quę etiamnum durat, fovendę & conſervandæ curam omnem viſus eſt in ſuum generum, noſtri patrem, tranſcripſiſſe; qui etiam quoad vixit ſuâ authoritate in id ſedulò incubuit. *Davidis* & *Magdalenæ* conjugium ut concors & diuturnum fuit, ferè ad miraculum, ſic etiam fœcundum & fertile: Ex novem liberis quos tulerunt, ſeptem ſuperfuerunt diu, mares tres, *Carolus*, *Samuel* ordine naſcendi quartus, *Iſaacus*, & fœmellę quatuor, *Catharina*, *Gabrielis*, *Elizabetha*, *Magdalena*: Filias omnes honeſtiſſimè elocarunt; *Iſaacum* filiorum minimum in Senecta amiſerunt; is poſt egregios profectus in literis, animum adjecerat ad militiam, in quâ Signiferi, Optionis, Centurionis, Vicetribuni honores, ſatis celeri gradu adeptus, in Italia tandem obijt. *Carolum* primogenitum, decennio majorem *Samuele*, Juri addixerunt, eo ſucceſſu ut etiamnum inter Celeberrimos & Diſertiſſimos Pariſienſis Curiæ Advocatos, ſummo jure ſuo à multis annis recenſeatur: Et quamvis cœlebs remanſerit, tamen eo uſque creverunt cœterorum familiæ, ut *David* optimus ſenex paullò ante obitum ſuum poſſet ultra quadraginta homines videre qui ſe vel patrem, vel ſocerum, vel avum ſalutare deberent. *Samuelem* conſequuti, poſt diſſipatam Henrici IV. virtute Henoticam factionem, & factam Edicto Nannetenſi Libertatem Reformatis ubique conveniendi, cum antea ex odio veritatis, quam ſemper iniquiſſimis temporibus in corde retinuerant, & ob Regias partes quibus erant addicti, grandia vitæ & fortunarum diſcrimina ſæpiùs ſuſtinuiſſent, eum Sacro Miniſterio devoverunt, ejuſque olim exercendi deſiderium illi à teneris unguiculis inſtillarunt; adeo ut inſtar Athanaſij, inter ſuos collactaneos & colluſores, ſæpè Paſtoris partes ſuſtineret. Infantiam habuit imbecillem & ita tenerę conſtitutionis, ut ferè lacte & butyro fuerit educandus; Puer carne elixâ veſci non poterat, nec jure, nec ullis oleribus: & ſemper occulta quadam antipathiâ, poma, pyra, ceraſa, fraga & id genus delicias puerorum, ita eſt averſatus, ut in hunc diem nihil ex illis queat deguſtare. Quamvis autem pueritiam haberet languidam & valetudinariam, ex qua eum non fore vitalem augurabantur plurimi, ſępius ex oculis, alijſque fluxionibus laborans, aliquando ex genuum debilitate per 15. dies affixus lecto; unde metuebant parentes, eum ſi vir fieret, futurum podagricum, licet huc uſque nihil tale Dei beneficio ſit expertus; non ſemel ex lapſu alijſque caſibus puerilibus in præſens vitæ diſcrimen adductus; tamen animo erat erecto, tenacis memoriæ, & ad ſtudia tam proclivis, ut ante ſeptennium exactum, non modò legere poſſet & literas accuratè pingere, ac jam rudimentis Linguæ Latinæ operam daret, ſed etiam bis univerſa Biblia à capite ad calcem evolviſſet, ut difficilius ferè ab illis occupationibus abduceretur luſus ergo, quam

alij ſolent

alij ſolent à luſu ad illa magis ſeria revocari. Et prout tenellus erat conſtitutione & corpore, ita ſuâ indole pronus ferebatur in ſubſidium pauperum & miſerorum, ut nunquam pateretur mendicos inanes dimitti ab ædibus paternis, & aliorum miſeriâ vel dolore vehementer afficeretur. Homicida quidam à ſuo parente ex Judicis officio damnatus fuerat ad patibulum; Eò puer cum reliqua familia ſpectatum deductus, ut moris eſt, ubi vidit hominem de ſcala dejici, partim ex horrore partim ex miſericordia, incidit in animi deliquium: Nec potuit vir factus illam teneritudinem deponere. Nihil enim ipſi ægrius unquam in exercitio ſui Miniſterij accidit, quam ubi debuit ſontes ad pegma vel patibulum comitari; quod tamen ſæpiùs eum facere oportuit.

Formatorem pueritię habuit Reverendum & Doctiſſ. Virum D. Esajam Blanchardum, Eccleſiæ Reformatę Avimontij Paſtorem Vigilantiſſimum, & in literis Sacris & humanioribus benè verſatum. Sub cujus cura cum Nobilium aliquot è vicinia filijs, eo uſque brevi ſatis tempore profecit, in utriuſque Linguæ Latinę & Græcæ cognitione, ut & hanc ex parte aſſequi, & illâ ſuos conceptus commodè ſatis exprimere poſſet. Sed tamen nec Muſicam addiſcere unquam potuit, licet ejus Parens non modò in illa excelleret, ſed eâ quoque ſummopere delectaretur, nec in Poëſi quicquam proficere; & ſi quod ad hanc exercitium proponebatur, malebat illud amplificare & exornare oratione ſoluta, quam ſe ad pedum menſuram & numeros adſtringere. Cum jam natus annos 13. inciperet Philoſophica deguſtare, ejus Parens, qui ſuo hic judicio utebatur, nam & ipſe ineruditus non erat, eum Lutetiam abduxit cum fratre natu majore, qui poſt abſoluta Juridica ſua ſtudia Heydelbergæ, ſub ductu ſummi illius JCti Dionysij Gothofredi, & Licentiæ gradum in utroque Jure adeptum Aurelijs, tum erat Advocatorum albo in Curia Pariſienſi inſcribendus. Totum triennium exegit Lutetiæ in ſtudijs Philologicis. Aliquandiu *Dempſtero* in Pleſſiaco, & *Grangerio* in Harcuriano Collegio docentibus literas Humaniores adhæſit; ſed multo conſtantiùs *Guillonio* Linguæ Græcæ & *Theodoro Marcilio* Eloquentiæ Romanæ Profeſſoribus Regijs in aula Cameracenſi. *Craſſotium* quoque in Marchiana Schola, & *Ianum Cæcilium Frey* in Schola Craſſiniorum, eximios tum Philoſophos audivit. Inde cum per tractatum Juliodunenſem inter Regem & Principes tranſactum fuiſſet, ablegatur Salmurium, ut Theologiæ vacaret; ibique per biennium præceptorem nactus Rev. & Clariſſ. Virum, D. Franciscum Gomarum, cui poſtea in hac Academia ſucceſſit, ſtudijs Sacris ſedulò incubuit, & ſat maturè ſe ad praxin Propoſitionum, quas vocant, ad quam occulto impetu ferebatur, applicuit. Primum illi Collegium ſpeciale fuit cum *Moſe Amyraldo*, *Joſia Placæo*, *Paulo*

Teſtardo

Teſtardo, & *Daniele Pelloquinio*: quorum hic Juvenis ad meliores abijt, tres reliqui in Viros Celebres, etſi multis minùs gratos, ob gratiæ univerſalis, eique annexorum conſectariorum præpoſterum pręconium ex *Cameronis* diſciplina, evaſerunt; Nam duo priores, adhuc ſunt Profeſſores Theologiæ Salmurij Clariſſimi, & tertius haud ita pridem obijt Eccleſiæ Blęſenſis Paſtor eximius. In Hebræis ibidem Præceptorem habuit Rev. & Clariſſ. Virum LUDOVICUM CAPPELLUM tum L. S. Profeſſorem & Paſtorem Eccleſiæ, cujus & ultimo anno fuit commenſalis. Sed videns Celeberrimum GOMARUM, ad hoc Athenęum vocatum, Salmurio valedicere, & quendam LUD. COSTANUM ex Burgundiæ Ducatu Paſtorem, ei in ſucceſſorem deſignatum à Synodo Nationali, illi muneri parum aptum publicè haberi, prout & paullò poſt, ſub onere fatiſcens, illud ultrò abdicavit, etiam ipſe cum multis Studioſis alijs Salmurium reliquit, menſe Martio anni 1618. & honeſtiſſimo ornatus Salmurienſis tum Eccleſiæ tum Scholæ teſtimonio, redijt domum, cum Patre deliberaturus de alia Academia inviſenda, in qua ſtudijs ſuis colophonem imponeret. In ea deliberatione dum eſt, & interea ſtrenuè ſe domi exercet, tum in Theoreticis, tum in Practicis, aggreſſus etiam ſcripto collationem de Religione, cum Decano quodam Pontificio, adfertur nuntium de *Danielis Tileni* qui Sedani docebat, tranſitu ad Remonſtrantium partes, quo audito à Patre citra moram Genevam ablegatur: Reperit ibi, cum aliquot Salmurienſibus commilitonibus ſuaviſſimis, tres Eximios & Celeberrimos Theologię Profeſſores, D. JOH. DEODATUM, D. THEODORUM TRONCHINUM, & D. BENEDICTUM TURRETINUM: quorum lateri ſe incunctanter applicuit; Ille tunc Zachariam, alter epiſtolam ad Galatas, tertius Locos communes explicabat. Sed duobus prioribus paulo poſt amandatis in Belgium, ad Synodum Nationalem Dordracenam, cujus pars magna fuerunt, onus totius Academię relictum eſt tertio, qui etiam illi par erat: Sub hoc *Mareſius* diligenter ſe exercuit in Diſputationibus & Propoſitionibus publicis, Latino & Francico idiomate, ut ibi moris eſt: Sed & privatim quoque cum nonnullis alijs ſedulò & ſæpiùs propoſuit, præſide & directore Reverendo & Doctiſſimo Viro, D. DANIELE CHABRÆO, Paſtore Genevenſi Vigilantiſſimo, quem ſemper ſibi faventiſſimum expertus eſt: Ibidem uſus eſt amicitiâ & familiaritate Doctiſſimi, Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri D. D. JACOBI GOTHOFREDI, Dionyſij filij, cui jam ante Lutetiæ innotuerat per ſuum fratrem, illius olim commilitonem, in ſtudio Juridico Heydelbergę, & deinde in foro Pariſienſi, quod aliquamdiu frequentaverat. Eouſque autem *Mareſium*, qua ſemper fuit humanitate, complexus eſt, ut eum ſuis nuptijs, quas tum Genevæ celebrabat, ceu amicum veterem intereſſe voluerit. Inviſebat etiam quandoque venerandum tum ſenem, D. SIMONEM GOULARTIUM, tunc

TIUM, tunc quidem valdè decrepitum, ſed tamen pubis ſtudioſę amantiſſimum. Menſe Auguſto anni 1619. honeſtiſſimo mactatus teſtimonio Genevæ valedixit, patrios lares reviſurus: Domique ſubſtitit, integras fere noctes tranſigens in ſtudijs, uſque ad Februarium inſequentem, quò Lutetiam denuò ſe contulit, ſub Paſtorum Pariſienſium ductu praxi magis magiſque vacaturus. Florebat inter eos Reverendus & Doctiſſimus Vir SAMUEL DURANTIUS, tantæ Eloquentiæ, ut cum Pericle, non tam loqui quam fulgurare & fulminare videretur. *Mareſius* qui eum ſibi maximè imitandum delegerat, nonnullas in ipſius ædibus habuit Propoſitiones, quæ ipſi adeò placuêre, ut huic author fuerit operam ſuam Eccleſijs offerendi; à quo aliàs conſilio ut abhorreret duo efficiebant, nempe & quòd ętate valdè juvenis eſſet, & quod ſtaturâ & vultu, majorem adhuc præ ſe ferret juventutem: Etſi enim nunc ſatis ſit procerus, tamen ita parvus manſit uſque ad annum 21. ſuæ ætatis, quo demum uſq; ad 25. celerrimè crevit, ut vulgò parvi Proponentis nomine deſignaretur. Sed pervicit *Durantij* authoritas. Igitur cum menſe Martio illius anni 1620. Carentonij celebraretur Synodus Provincialis, (in qua Præſes fuit Rev. & Clariſſ. Vir D. PETRUS MOLINÆUS, tum adhuc Pariſienſis Eccleſiæ Paſtor, ſed paullò poſt tempeſtate delatus Sedanum, ubi etiamnum vivit & docet;) ei cœtui ſe ſtitit, unà cum quatuor alijs Miniſterij candidatis: Examen tum temporis in Gallia valdè rigidum erat. Nam primò textus ſacer aſſignabatur intra 24. horas, concionatorio more, coram frequenti Synodo, Gallicè explicandus: deinde alter ſubjiciebatur eodem ſpatio Latinè exponendus: Tum tentabantur Candidati per univerſam Philoſophiam, nec non in linguis originalibus Sacrę Scripturę, Hebræa & Græca; Exinde, aut ex ſua quam exhibuiſſent Confeſſione fidei, aut juxta Confeſſionis publicæ ordinem, (cui poſtea ut & Diſciplinæ Canonibus, ſubſcribendum erat) per ſingula Theologię capita accuratè explorabantur. Duo ex illis quinque ſuccubuêre in Examine; Tres admiſſi fuerunt, *Ezechiel Daunois*, Compendienſis, qui nunc vivit in Belgio, vir doctus & valdè pius; quidam *Babinetus* Pariſienſis, qui olim Monachus Fullienſis fuerat, & poſtea redijt ad vomitum; & *Mareſius*. Huic aſſignata fuit Eccleſia Laodunenſis in Veromanduis (nam Synodi Gallicæ ſibi plærumq; tribuunt jus proſpiciendi Eccleſijs, præſertim quæ uno tantum Paſtore gaudent, & Paſtores pro exigentia caſus mutandi) in qua deinceps Miniſterio defungeretur; quod ei in ſpeciem tanto commodiùs eveniebat quod Laoduni haberet duos Avunculos primariæ dignitatis; Alterum quidē Pontificia ſacra externè ſectantem, *Salomonem Vaucquetium*, Præſidem Judicij Electorum; alterum verò *Samuelem Vaucquetium*, Quæſtorem regium, parentem ſuum Luſtricum, Religionis Reformatæ Zelotem acerrimum, & Eccleſiæ iſthîc primarium columen, cujus neptis, ex priori conjuge, nupſit Rev. & Doctiſſ. D. DAVIDI BLONDELLO, qui etiamnum floret & vivit Amſterodami,

& quem

& quem profunda ſua & omnigena eruditio, maximè in Hiſtoria Sacra & Exotica, jamdiu orbi Literato celeberrimum fecit. Illa Eccleſia duobus locis ſolebat convocari, Laoduno diſtantibus per duo milliaria, nempè Crepiaci Veromanduorum ex Edicto Regio, & in arce Eppenſi, ex Nobilium privilegio; ſed biennio poſt tertium ei acceſſit membrum ſingulis menſibus luſtrandum, in arce Cherienſi, quæ diſtabat Laoduno, novem aut circiter milliaribus. Crepiaci in frequenti Auditorum corona, cui & Præſes *Vaucquetius*, utut Pontificius interfuit, & *Mareſij* Parentes, qui Avimontio, quod itinere ferè tridui diſtat, eo venerant, fuit ſolenniter ad Sacrum Miniſterium ordinatus per manuum impoſitionem, XXVI. Aprilis ejuſdem anni 1620. peractam à Reverendis & Doctiſſimis Viris, D. PETRO BRISBAR, Sanquintinenſi, & D. NICOLAO de VAUX, (cujus filio primum Avimontano, nunc Compendienſi Miniſtro, *Mareſij* neptis elocata eſt) Leſchellenſi Paſtoribus, ex Synodi delegatione ac decreto. Cùm autem ab eo tempore cœperint res Reformatorum in Gallia retrò ſublapſæ referri, per expeditionem Regis in Bearniam, & bella in Reformatos mota, tum in Oxitaniâ, tum in Aquitania, non potuit non eſſe difficillimum, iniquis admodum temporibus, hoc ejus in Miniſterio Sacro tyrocinium. Binæ illi erant habendæ, quandoque ternæ, hebdomadatim conciones; cum Miſſionarijs Pontificijs omnium ordinum, Capucinis, Dominicanis, Jeſuitis, ſæpiùs & vivâ voce & ſcripto confligendum; retinendi in profeſſione veritatis, qui nutabant tentationis tempore; obſiſtendum Remonſtrantiſmo, quem in noſtras Eccleſias ſtudebant nonnulli introducere, maximè in Picardia, Vir aliàs doctiſſimus STEPHANUS CURCELLÆUS, tunc Ambianenſis Paſtor, nunc Amſterodami Profeſſor Remonſtrantium; qui *Mareſij* Parentes & affines per ſcripta artificiosè conſuta, ſed fruſtra, conatus eſt expugnare; habenda cura vicinarum Eccleſiarum, quibus per mortem aut abſentiam ſuorum Paſtorum, Feræ, Guiſiæ, Sanquitini, erat ſuccurrendum; Synodi & Claſſes (Colloquia in Gallijs dicuntur) quibus omnes Paſtores intereſſe debent, frequentandæ; His & ſimilibus comprobatum in *Mareſio*, vexationem dare intellectum; nam ad hanc difficultatum cotem exacuebatur ejus diligentia, maximè in Polemica Theologia ſedulò pertractanda, in qua excolenda, & expoliendis Concionibus, totus erat. Omnia referre magni momenti negotia, quibus tunc temporis interfuit, foret prolixius: Ut formulam juramenti à Synodo Nationali Aleziana præſcriptam in Canones Dordracenos, quos ceu ſuos adoptaverat, noluerit Synodus Provincialis Franciæ admittere; Ut loco illius convenerit poſtea de articulo conſignando cui omnes in conſenſus ſui teſſeram ſubſcriberent; nonnullis qui clam Remonſtrantiſmo favebant,

 ægrè id

ægrè id ferentibus; Ut ſolus ex illis cunctatus fuerit *Curcellæus*, cauſatus primum, quod ſententia quæ ſupra lapſum aſcendit in objecto prædeſtinationis aſſignando, illis Canonibus damnaretur, & tandem apertè profeſſus, ſe Remonſtrantiſmi condemnationi ſubſcribere bonâ conſcientiâ non poſſe: quapropter Miniſterio ſuo motus fuit, ſed ei poſtea reſtitutus, quod per *Cameronem* edoctus Remonſtrantiſmo renunciaſſet; ad quem tamen multis poſt annis iterum rediit; Ut Rege per Edictum præcipiente omnibus Reformatis ut intra præſcriptum breve tempus, ſub graviſſima pœna, ſolenni ſubſcriptione renunciarent omni Rupellenſium Societati, & profiterentur nihil ſe velle habere commune cum Cœtu illo Politico, qui Rupellæ omnium Eccleſiarum nomine perſeverabat, cujus decreta & conſilia omnia improbarent & deteſtarentur, promiſſâ ſubſcribentibus protectione Regia & ſolitæ libertatis conſervatione, alij Paſtores maluerint Greges ſuos deſerere, alij ſatius duxerint obedientiam ſuam & pacis ſtudium Regi approbare; quos inter fuit *Mareſius*. Satis eſto dixiſſe, quod plurimis deficientibus per triſtia illa tempora ab orthodoxa veritate uxor etiam nobilis cujuſdam, cui *Hurtebizio* nomen erat, & qui ut ſibi conſervaret Feræ præfecturam, jam ante biennium defecerat, maritum ſuum tandem ſequuta fuerit, circa finem anni 1622. *Mareſius*, ultimo illius anni die, ad primum apoſtaſiæ hujus rumorem, arrepto calamo, eam ſtuduit ad officium revocare. Sed fruſtra fuit: Nam & ipſa ſatis prolixè ei reſcripſit, aut alius Pontificius ejus nomine, ſuam defectionem defenſura, & unà cum ejus literis accepit Converſionis, uti loquuntur, ſuæ hiſtoriam, typis deſcriptam arte Jeſuitarum, qui illius fuerant pararij, & mille mendacijs refertam; Officij putavit *Mareſius* eſſe ſui ad iſta non tacere; quare prolixâ admodum Epiſtolâ, & illam narrationem liberiùs coarguit, & rationes allatas mulieris illius nomine, ſedulò confutavit. Sed hoc, ſtylique libertatem, ipſum impune non laturum, ſtatim Adverſarij minati ſunt. Nec annus abijt quin minis eventus reſponderet; Nam anno 1623. 13. Decembris, cum exiret ex ædibus Avunculi ſui, apud quem cœnauerat, ad ſuas ſe recepturus in proxima vicinia, famulo ſibi laternam præferente, occurrit ei homo ignotus, qui ne verbulo quidem prolato, pugionem minorem ei adegit in pectus ſub mamma dextra, & illico fugam arripuit, abjecto pugione, qui poſtridiè repertus eſt, & adhuc ab Avunculo *Mareſij* Laoduni aſſervatur. Vulnus erat profundum, & quod in thoracis capactatem, illæſo tamen pulmone penetraret. Sicâ repertâ, Sicarius reperiri non potuit. Querela fuit ea de re delata ad ſacrum Regis Conſiſtorium; ſimulavit Regius Procurator Laoduni, ſe quæſtionem diligentem de ea habiturum: Sed ulteriùs proceſſum non eſt; nec dubitatum, redemptum fuiſſe Sicarium, ob literas ſuprà commemoratas, à Monachis, præſertim ab

Albinio

Albinio Jeſuita, illo eodem, qui duodecennio ante Ravaillaci parricidæ Henrici IV. Confeſſarius fuerat, & coram Ampliſſimo Senatu dixerat, ſe dono oblivionis pollere, poſt auditas Confeſſiones, excuſaturus quod Regij parricidæ Confeſſionis non amplius meminiſſet. Is enim & Hurtebizianæ defectioni fuerat obſtetricatus, & tum Laoduni ſolemnes Aduentus habebat conciones. Nec aliud totâ urbe, maximè inter Reformatos, perſuaſum fuiſſe, univerſa Laodunenſis Eccleſia comprobavit adhuc non ita pridem, ſolemni ſuo Teſtimonio, conſcripto à R. & Doct. Viro D. P. GEORGIO illius Paſtore anno 1647. 18. Auguſti, paullò priuſquam ad Deum evocaretur. Quamvis autem vulnus periculoſum valdè fuerit, & ex quo candelam ei objectam poterat *Mareſius* extinguere, brevi tamen tempore ex eo convaluit. Vires verò reſumpturus, & ſimul conſilium cum proximis circa futurum initurus, profectus eſt Lutetiam ad ſuum fratrem, & inde Avimontium ad parentes; qui illi fuerunt authores, nec diſſuadente *Durantio*, ut Laodunum non reverteretur, ſed expectaret Lutetiæ convocationem Synodi, quę ipſius ſecuritati proſpectura eſſet; Primam poſt acceptum vulnus, & ex illo adhuc valdè pallidus, Concionem habuit Carentonij, ſub tentorijs ſub quibus Eccleſia Pariſienſis tum conveniebat, quod anno præcedenti Templum everſum & combuſtum fuiſſet Pontificiorum furore, Jeſuitarum diſcipulis facem præferentibus. Synodus convenit menſe Majo 1624. Vitriaci in Campania; & eum cenſuit Laodunenſi Eccleſia liberandum, ac donec certus Grex illi aſſignaretur, (Pariſienſis Eccleſia putabatur de illo evocando cogitare) commodatò ad annum Eccleſiæ Faleſienſi, ijſque annexis, concedendum. Erant ſitæ iſta Eccleſiolæ rurales in Campaniæ finibus prope Sedanum, & in varijs Nobilium ædibus alternis conveniebant. In ea conditione, ſatis incommoda, & ab ingenio ſuo valdè aliena vix tres aut quatuor menſes continuaverat, cum ecce febri tertiana corripitur, per quam auctum eſt ei illius faſtidium. Innotuerat antea Eccleſię Sedanenſi, in qua ſemel per occaſionem auditus, eo uſque arriſerat ejus concio ipſi DUCI BULLIONÆO HENRICO TURRÆO primo Franciæ Mareſcallo, Principi Religioſiſſimo, tum adhuc viventi, ut exinde conſilium cœperit de ipſo, ſi pote eſſet, Sedanum traducendo, quod & aperuerat & commendaverat ſuæ conjugi ELIZABETHÆ NASSOVIÆ, fœlicis recordationis Heroinæ; quæ illius judicij memor anno poſt ejus obitum, illum ad ſe pellicere ſtuduit. Theologiæ Profeſſionem in Academia illa conjunctam cum Eccleſiæ Miniſterio, ſuſtinuerant hactenus tres eximij Viri, PETRUS MOLINÆUS, JACOBUS CAPELLUS, & ABRAHAMUS RAMBURTIUS. Sed prior, qui JACOBO M. B. Regi charus erat, abierat in Angliam, animo ut credebatur non

revertendi : & paullò antequam proficiſceretur, ſuopte antea ad *Mareſium* adhuc Lutetiæ hęrentem ſcripſerat, de vulnere illi inflicto condoliturus, & ei ſuam operam oblaturus, ad conficiendam vocationem Sedanenſem ſui loco, ſi ab ea non abhorreret. Secundus lethaliter decumbebat ab aliquot menſibus, & paullò poſt obijt: Solus ſupererat *Ramburtius*, qui toti oneri Scholę & Eccleſiæ ſufficere non poterat. Tunc de *Mareſio* ceu viciniore ſeriò cogitatur, & illius animus prætentatur à Strenuiſſimo & Illuſtri viro D. ANTONIO LE CONTE Barone de Le ſchelle, Sedanenſi Pręfecto. Admittit *Mareſius* oblatam conditionem, modò legitimè ab Eccleſia vocaretur: quod eo magis ſibi licitum putabat, quòd nonniſi commodatò inſerviret Eccleſiæ Faleſianæ, neque illius Paſtor proprius eſſet; nec cenſeret, poſſe Synodum tantum juris quoad hoc, ad circumſcribendam ſuam libertatem, in ſe exercere, quantum habere ſolet in ſuos alumnos, è quorum numero nunquam fuerat: Ita commeatu petito ab Eccleſia Faleſiana, quæ invitum, quod ſuus non eſſet, detinere nequibat, nec ſine honorifico illius Teſtimonio, ſub dato 10. Sept. 1624. Avimontium in ædeis paternas, illinc quinquaginta milliaribus diſtantes, ſe recepit. Undè, miſſo ab Eccleſia Sedanenſi uno ex ſuis Senioribus, cum literis publicis, *Ramburtij* manu exaratis 17. Sept. Sedanum invitatur, ex Principis ſupremæ voluntate, & totius Synedrij unanimi conſenſu, urgeturque ut quantocyùs veniat, ſi vocationem admiſerit, tum propter *Capelli* obitum, tum propter abſentiam *Molinæi*, tum quod ageretur de Juvene quodam ad Sacrum Miniſterium adſciſcendo & ordinando, in quo ejus conſilia deſiderarentur. Paulò poſt Sedanum, optimo Patre ſuo ductore & comite proficiſcitur, & ejuſdem anni primò Octobris, in *Capelli* locum, eodem ſtipendio quo *Ramburtius*, Eccleſiæ Paſtor, & Theologiæ Profeſſor renunciatur; petito tamen quoad Profeſſionem, ſpatio aliquo ad ſtudia ſua Scholaſtica recolligenda, quò paratior illam capeſſeret. Interea, ut omnibus placere nequidem ipſe Jupiter poteſt, ægrè Synodus Provincialis Inſulæ Franciæ, quod ſe inconſultâ Sedanenſem vocationem admiſiſſet, ferre viſa eſt: Nam jam ab ęvo, inter illam Synodum & Eccleſiam Sedanenſem, minus benè conveniebat, quod antea Princeps, ſuis motus rationibus, eam à Synodo, cujus membrum priùs erat, revulſiſſet. Nec deerant forte in illo cœtu, qui ſibi quam *Mareſio* in tanta juventute, hanc vocationem Academicam delatam maluiſſent; Alij eum Eccleſijs patrijs ſublatum indignabantur, & optaſſent ut potius Rothomagenſi Eccleſiæ, quæ eo ipſo tempore quo Sedanum venit, de illo in ſuum Paſtorem evocando, ſeriò deliberabat, operam ſuam addixiſſet. Quam tamen inde nihil deceſſerit honori ſui Miniſterij, alibi ex profeſſo, contra quoſdam malevolos & maledicos, ipſe demonſtravit; & adulto

Vere

Vere anni 1625. ab optima ſua Principe obtinuit interuſurium aliquot menſium, ad Academias peregrinas luſtrandas; & ſi ita videretur, Doctoræ gradum in aliqua ex illis obtinendum; quo ſit alacrior & majori cum celebritate ad profeſſionem Theologicam ſe accingeret. Ita inſtructus Principis ſuæ commeatu, cui lautum adjecerat viaticum, & perhoneſto Eccleſiæ teſtimonio munitus, Depam profectus eſt; unde prima occaſione ſoluit in Hollandiam, & poſt gravem in mari per novem dies tempeſtatem, quę coegit nautas ſe ad Vectim inſulam Angliæ recipere, incolumis tandem Rotterodamum appulit; Salutatoque Duce Bullionæo in caſtris prope Bredam, quæ recens Spinolę ceſſerat, Leydam venit, ac conſilio ſuo expoſito Venerandæ iſthic Facultati Theologicę, per Rev. & Celeb. virum D. Andream Rivetum, illius pro tempore Decanū, & quo cum Wallæus tum Rector Mag. Polyander & Thysius viri Clariſſimi & Celeberrimi eam conſtituebant, ab illa admiſſus eſt ad Examen Theologicum, quo privatim per biduum defunctus, juxta illius Academię leges, Diſputationem inauguralem de Justificatione, in frequentiſſima Auditorum corona ſine Præſide, ut moris eſt, ſuſtinuit, primus omnium poſt repurgatam ab Arminianiſmo Academiam, VIII. Julij 1625. & Diſputatione finitâ, Doctoræ Laureâ à Senatu Academico ipſi decretâ in continenti redimitus fuit, Promotore Riveto. Doctor creatus, aliquot adhuc ſeptimanas impendit viſendæ Hollandię, quam non credebat ſe deinceps viſurum. Amſtelodamum luſtravit, & in Northollandiam excurrit, ac κειμήλια pretioſa Doctoris *Paludani* Enchuſæ, à quo ob nominis affinitatem humaniter admodum fuit exceptus, non ſine admiratione ſpectavit; Dordraci Balthazarem Lydium, Eccleſiæ Paſtorem valdè eruditum, ſalutavit; Inde in Zelandiam profectus, nactuſque occaſionem navis Bellicæ, quæ ſolvebat Fliſſinghâ, in Angliam transfretavit. Doverâ Cantuariam profectus, illinc Londinum venit; ſed propter peſtem iſthic vehementer graſſantem, Londini non ſubſtitit, Oxonium rectà tendens, ubi poſt recens connubium Caroli optimi ſed infortunatiſſimi Regis, cum Maria Borbonia, Henrici magni filia, Comitia Regni celebrabantur. Paucis exinde tranſactis ſeptimanis, quæ properanti ſufficiebant ad mores Anglorum penitiùs explorandos, & ſuam explendam curioſitatem, comitatus duobus alijs in Galliam unà cogitantibus, & ſecundo Tameſi delatus Gravezandam uſq; ,inde tandem Boloniam appulit, poſt malaciam octo dierum in mari toleratam, nec ſine jugi metu Turcarum Piratarum, qui tum mare infeſtabant: maximè quod in navi deprehendiſſet, ſuum nautam eum eſſe, de quo ab affine Depæ monitus fuerat, ne uſpiam ſe illi committeret, quod ſoleret vectores ſuos piratis prodere, nec ea de cauſa in Patriam redire auderet: Ex quo metu

tres ve-

tres vectores, qui ſoli erant, juges excubias agere tenebantur. Boloniâ Abbatiſvillam venit, & ſalutatis Avimontij ſuis parentibus, Lutetiam fratris viſendi cauſâ profectus eſt. Ibi optimum DURANTIUM reperit agonizantem, & poſt preces, ſic petierat, ad ejus lectulum fuſas, ipſi ultimum vale dixit, Sedanum reverſurus ad ſuam ſtationem, ubi faventiſſimè ab Aula & Eccleſia exceptus, in hac ad ſolita Miniſterij munia redijt, & 24. Novembris, auſpicatus eſt Profeſſionem ſuam Theologicam, Oratione habita, de *iniqua Diſputandi nobiſcum Methodo à Jeſuitis uſurpata*, & propoſita Diſputatione publica *de Iudice Controverſiarum.* Non abierunt priores illius Profeſſionis anni, abſque aliqua tempeſtate, in qua eum ſuſtentabat ſua moderatio, Aulę totius & maximè Principis ipſius ſummus & conſtans favor, ac univerſę Eccleſiæ amor & benevolentia. Sed cùm hos fluctus decumanos ſibi videretur pati, quod cœlebs eſſet, & nonnullis, ut credebatur, maneret *altâ mente repoſtum judicium Paridis ſpretæque injuria formæ*; vitâ cœlibe relictâ, tandem vitæ ſociam ſibi adſcivit, ABIGAELEM LE GRAND, natam Aquiſgrani honeſtiſſimo loco, patre *Jaſpare Le Grand* Tornacenſi, Mercatore Magnario, qui poſtea Delphis obijt Eccleſię Gallo-Belgicę Senior, & Matre *Maria van Bund* Moſæ Trajectenſi: Nupſerat antea homini prædiviti *Johanni Boots* ſuo populari; Sed is Sedani, quò Religionis ergo iverat habitatum, anno 1622. nulla prole ſuperſtite relictâ obierat. *Mareſij* cum illa Sponſalia, ſuâ præſentiâ cohoneſtavit, ac Tabulis dotalibus ſubſcripſit, qui hodie floret & fœliciter ductat exercitus Galliæ, Celſiſſimus Princeps HENRICUS TURRÆUS Tureniæ Mareſchallus; Nuptijs vero celebratis 2. Maij 1628., benedixit D. RAMBURTIUS in pago dicto *St. Mange*, quò novi Sponſi, in ipſiuſmet Principis rheda, ſic Optimâ Principe ſuum affectum erga *Mareſium*, quem ſæpè ſuum Miniſtrum dicebat, declarante, deducti ſolemniter fuerant. Ab eo tempore *Mareſius* Alcyonia Sedani obtinuit, & cum Reverendis ſuis Collegis omnibus, in ſuo munere, tranquillè & pacificè verſatus eſt. Fuitque illi hoc ſuum conjugium in hunc uſque diem concors & fœlix, ex quo quinque liberi reſtant: duo Filij; quorum natu major HENRICUS, (quem ſua pientiſſimaPrinceps de ſacro lavacro ſuſcipere voluit, & Viri quondam ſui nomine appellari) J. U. L. & primùm in Curia Pariſienſi Advocatus, abdicato Juris ſtudio, & Theologico ei ſubſtituto, nunc Paſtor eſt Eccleſiæ Sylvęducenſis, & alter DANIEL non infœliciter quoque in hac Academia θεολογεῖν videtur; & tres filiæ, MARIA, ANNACATHARINA & JOHANNA. Eodem anno ſui Conjugij 1628. in lucem emiſit primitias ſuorum Laborum publicorum, nempe tractatum Gallico idiomate inſcriptum *Preſervatif contre la Revolte*; cui occaſionem dedit frequens Magnatum

Magnatum in Gallia defectio ad Papiſmum, ac etiam in ſuæ Principis familia, ipſius Ducis Tremolliani, ejus ſimul Nepotis & Generi: Opuſculum hoc gratanter fuit exceptum ab omnibus bonis, & tranſlatum quoque in linguam Germanicam, etſi quidam falſi fratres, ſuo authori ſtuduerint in Aula Regia invidiam ac periculum propterea conflare, ac ſi Reformatos ad perſeverantiam adhortando, & deplorando degenerem Nobilium plurium puſillanimitatem, qui tam facilè ad caſtra Pontificia tranſibant, eo ipſo rebellionis Spiritum ſubditis contra Regem, tunc urbes Reformatas bello prementem, inſtillaret. Anno 1629. *Regurdius* Jeſuita famoſus, tentavit in arenam deſcendere, cum Theologis Sedanenſibus; Sed hæc conſilia evanuêre, poſt varias literas ultro citroque datas, inter *Mareſium*, conſcijs ſuis Collegis, & quoſdam Nobiles è vicinia, per & propter quos id agitabatur, & ubi accuratè à *Mareſio* refutatę fuerant obſervationes *Veronis*, ex diſciplina Eccleſiaſtica deſumptæ, & firmamenta quibus *Regurdius* Miſſæ Sacrificio volebat patrocinari; adeò ut Dei beneficio nemo eorum, qui tum tentabantur ad defectionem, illis argutijs permoveri potuerit. Anno 1630. pacem Eccleſiæ & fratrum Concordiam turbare ſtuduit, quidam malè feriatus nec ſani Syncipitis Philoſophiæ Profeſſor, Scotus natione; Sed irrito conſilio, ex quo ſibi ſoli confuſionem, Profeſſionis jacturam, Eccleſiæ cenſurã & tandem Excommunicationem, driennio poſt reaggravatam, accerſivit. Anno 1631. Majo menſe *Mareſius* debuit Celſiſſimum Ducem BULLIONÆUM in Hollandiam comitari, futurus in caſtris ipſius Paſtor Aulicus & Domeſticus, & reparaturus Scandalum, quod quidam Juvenis, in ea ſtatione ſuperioribus annis, vitâ nimium militari & diſſolutâ excitaverat; Quinque menſes integros egit tum in Caſtris, & vidit hoſtilem illam claſſem ad Scaldim interceptam, quæ Antverpiâ ſolverat animo Zeelandiam ab Hollandia ſeparandi: Autumno jam adulto cœperunt Caſtra varijs morbis vexari, inter quos *Mareſius* ſingulari Dei beneficio permanſit incolumis, ægros quoſcunq; maximè ſuos condomeſticos, omni ope juvans & ſolamine. Corripuit idem morbus ipſum Celſiſſimum DUCEM Bergis ad Zomam, nec ſine vitæ diſcrimine, in quo ut ſui Paſtoris precibus & alloquio ſummopere delectabatur, ſic ſuos omnes mirum in modum ſolabatur, varijs fidei ſuę & perſeverantiæ in illa teſtimonijs ac declarationibus, quibus tamen proh! dolor, non reſpondit eventus. Tandem ubi convaleſcere cœpit, *Mareſium* cum ſuo Fratre, qui nunc eſt TURENIÆ Mareſchallus, & cujus tum primaria laus fuerat, in hoſtilis Claſſis expugnatione, domum remiſit. Bergis Antverpiam venerunt; Antverpiâ Bruxellas, TURENIO ſecum in ſcapha nonniſi *Mareſium* cum duobus Nobilibus aſſumente, reliquo Comitatu valdè numeroſo, terreſtri itinere per Mechliniam dimiſſo. Bruxellis, *Mareſium* cum Nob. D. *de Real* nunc Pretore Sedanenſi, præmiſit Sedanum, quod tum in ſummo

T verſabatur

verſabatur periculo, utpote cinctum undique Regijs copijs, quibus præerat Mareſchallus Forcæus (cujus neptis, primogeniti ſui unica hæres, nunc Turenio fœliciter eſt elocata) & obſidionem præſentem minitantibus, quod diceretur Bullionæus, cum Aurelianenſi Duce, Sueſſionenſi Comite, & alijs Magnatibus, Cardinali Richelio offenſis, jam tum conſilia ſua conjungere. Ipſa Bullionæi mater, heroici animi fœmina, ſe viciſſim parabat ad extrema, & *Mareſij* uxori recens puerperæ, curaverat ſignificari, ut ſe reciperet Carolopolim, ne videreturabſente ac inſcio marito obſidionis periculo & incommodis expoſita; Cui conſilio, quod mandati vice ęrat, debuit tertio à partu die obtemperare, & ſe accingere itineri, non ſine pręſenti vitę diſcrimine. Sed *Realio* & *Mareſio* paullò poſt adventantibus, res pacificè fuerunt tranſactę, juxta literas quas à Duce attulerant; introductuſque in urbem Forcæus, novum à Principe exegit Regio nomine juramentum protectionis, & omnia in priſtino ſtatu reliquit, quod fortè non feciſſet alius, qui Reformatus non fuiſſet. Ita *Mareſius* ſuis redditus, totam illam hiemem duplici ſuo muneri diligenter impendit. Sed Anno 1632. nova iterum profectio in Hollandiam illi indicitur, cum ipſamet Principe, id itineris ſuſcipiente, ut Principem Arausionensem fratrem ſuum inviſeret, & Principis uxoris inſtanti puerperio intereſſet; Nolebat enim eò venire abſque Aulico Paſtore, & ſperabat *Mareſium* à Duce Filio, cui noverat eum eſſe charum, in uſum Caſtrenſem, ut anno ſuperiori, ſumendum. At ille, valetudinis ſuæ curandæ gratiâ ad aquas Tungrenſes profectus, de exercitu non cogitabat, & *Mareſium* matri reliquerat: Qui dum in illa Aula verſatur ſatis inutilis, niſi quod ſingulis veſperis, preces concipiebat in cubiculo ſuæ Dominę, & aliquando concionabatur in Eccleſia Gallica, nihil minùs cogitans quam de laribus ſuis in Belgio figendis, pro eo quod linguæ Belgicæ addiſcendæ vacare potuiſſet, cujus imperitiam ſemper poſtea deploravit, quod ſupererat temporis vacui ab Aulicis officijs & amicorum ſalutationibus, ac viſitationibus affinium, (quos inter vivebat tunc Hagæ Ampliſſimus & Conſultiſſimus Vir, D. Fagel, Senator in Suprema Hollandiæ & Zeelandię Curia integerrimus, uxorem ſuam proximâ cognatione attingens) impendit linguæ Hiſpanicæ ſtudio, prout antea Sedani, Italo uſus fuerat Præceptore, ad linguam Italicam intelligendam. Hac inſuper occaſione, etſi ex anni pręcedentis caſtrenſi occupatione, non omninò ignotus eſſet in Aula Auriaca, (nam & voluerat Celſiſſima Princeps eum concionantem audire & audiverat in arce Heuſdana, quò ex Ducis ſui mandato eum in finem fuerat profectus, & aliquoties ipſum Principem Henricum, foel. mem. alloquutus fuerat, cum Ducem Bergis decumbentem inviſeret) propiùs Celſitudinibus ſuis innotuit, maximè juniori Principi Wilhelmo foel. record. qui ab illo tempore benevolum in illum affectum retinuit, quem

quem & non uno modo teſtatus eſt, anno 1648. cum Groningam veniſſet. Cùm verò eo anno 1632. armis victricibus Belgij Fœderati ceſſiſſent Venlona, Ruræmunda, Moſæ-trajectum, cum vicina Limburgenſi Provincia; Illuſtriſſ. ac Potentiſſimi ORDINES GENERALES, de Eccleſia Gallica Moſæ-trajectenſi conſtituenda ſolliciti, in *Mareſium* oculos conjiciunt, & per Nob. & Ampliſſ. D. HEMSTEDIUM ad BULLIONÆAM miſſum, rogant velit eum publico ſuo aliquantiſper indulgere, ad Eccleſiam Chriſto Moſæ-Trajecti colligendam: Illa putans hac ratione viam ſterni, ad id quod optabat, ut nempè DUX filius Præfecturam Moſæ-Trajectenſem obtineret; reſpondet, *Mareſium* non ſuum eſſe, ſed ſui filij, illum tamen ſe libenter, primâ datâ occaſione & ſecuritate, miſſuram ad filium, quem nulla dubitet conceſſurum quod velint, ſi eorum D. D. Deputati Caſtrenſes agant cum ipſo. Paucis poſt diebus, magna vis pecuniæ, cum valido commeatu, ad caſtra mittebatur: *Mareſio* hac occaſione indicitur ut ſe paret ad iter, & committitur pecuniæ illius Ductoribus, tutò unà deducendus, cum Ordinum Generalium literis ad ſuos Deputatos, ut agant cum BULLIONÆO Duce, de ipſo non ſolùm commodando ad tempus, ſed abſolutè concedendo Eccleſiæ Moſæ-trajectenſi. DUX adhuc incertus de Præfectura obtinenda, ambiguè, ſed honeſtè tamen, reſpondet Nob. D. ARNHEMIO ſecum agenti; *Mareſium* ſibi carum eſſe, ejuſque ſe egere operâ non tantum in Eccleſia, ſed etiam in Academia Sedanenſi; poſſe tamen ſuas Dominationes, per menſes aliquot eo uti, ad pium illud opus, donec de altero ſibi proſpexiſſent. Aſt cum poſtridie Prefecturam obtinuiſſet, evocato ad ſe *Mareſio*, multis blandiſſimiſque verbis, ut ſolent Principes, egit cum illo, ut ſecum Trajecti vellet manere, ſemper eodem loco à ſe habendus, quo antea; ſignificaret ergò Deputatis Ordinum, ſe in illorum arbitrio futurum, & migrationis conſilium admitteret: Acturum & primâ occaſione cum ipſis, de illius conditione & ſtipendio. Gratiſſimum fuit D. D. Deputatis hoc à *Mareſio* audire, qui præter ſtipendium jam conſtitutum Belgicis Paſtoribus mille & centum florenorum; augmentum illi procurarunt centum & quinquaginta, eâ conditione, ut præſtò ſemper eſſet, ad primam Profeſſionem Theologicam, quæ in Belgio offerretur, ſuſcipiendam. Ita factus *Mareſius* juris Belgici, Miniſterium Moſæ-Trajectenſe orſus eſt III. Octobris 1632. & per D. D. ARNHEMIUM, GOCHIUM Theſaurarium, & alios ex Proceribus, deductus ad Sacellum vulgo dictum *S. Hilari*, quod ex Capitulationis lege debebat cedere Reformatis, atque in illius poſſeſſionem, ad pietatis exercitia peragenda, immiſſus, primam ibi Concionem Gallicam habuit. Fuit & inſequenti hebdomodâ per eoſdem Limburgum ductus, & ſimiliter primam illic ex Authori-

tate publica habuit concionem, unàque Rev. & Doct. Vir Gothofredus Hottonus Eccleſię Limburgenſi fuit in Paſtorem aſſignatus. Quin ſub initium anni 1633. ipſi cum *Hottono*, & *Phil. Ludovico* Belgicæ Eccleſ. Paſtore, Diplomate Ordinum Generalium, poteſtas facta fuit Eccleſias per totum agrum conſtituendi, illiſque præficiendi, quos idoneos ad Miniſterium judicarent. Ut autem ægerrimè tulit Sedanenſis Eccleſia, ſibi ereptum ſuum *Mareſium*, quem impenſè diligebat, quod & literis affectu plenis ad ipſum teſtata eſt, cum honeſtiſſimo dimiſſionis teſtimonio, ita illi in nova hac Sparta infinitæ moleſtię fuerunt devorandæ, & tantum non Herculei labores ſuſtinendi; Bellum fuit ipſi multiplex & ferè continuum cum Monachis & Clero Leodienſi, qui omni conatu Reformationi & Veritati fœliciter procedenti obſtabant; & mille artibus milleque libellis famoſis Reformatorum Paſtorum perſonas proſcindere, eorumq; doctrinam plebis odio & contemptui exponere, conabantur. Hiſce, & voce & calamo, fortiter ſe opponebat *Mareſius*, ac cum pia liberalitate Illuſtris Viri, D. Ludovici de Geer nunc ἐν ἁγίοις, conſequutæ fuiſſent Eccleſiæ Trajectenſis & Ultramoſanæ, Typographiam in urbe, ad ſui Defenſionem, eam ferè ſemper aliquo ſcripto Apologetico, vel Polemico, occupatam habebat. Quanta ſollicitudine & fide incubuerit, tum propagationi Veritatis, tum Eccleſię Urbiſque ſecuritati, Reip. Acta & libri publicè editi teſtabuntur ad poſteros. Anno 1633. de Miſſæ Sacrificio, in collatione ſolemni cœpta inſtitui, per *D. Phil. Ludovicum*, cum Franciſcano Lovanienſi valdè docto, (ſed cujus onus in ipſum fuit ſtatim devolutum) publicè triumphavit; cum *D. Hottono* Sylveducis ſe ſtitit Synodo Gallo-Belgicæ, ad Eccleſiam Moſætrajectenſem ac Ultramoſanas ei conjungendas; & ob peſtem, horrendum in modum Moſæ-trajecti graſſantem, & quæ dum intereſſet Synodo, ſuum ei Collegam non ita pridem adſcitum, D. de la Tour abſtulerat, à qua tamen Dei beneficio ipſius familia permanſit immunis, varias curas debuit ſuſtinere. Anno 1634. quo Scholæ Curator ſive Scholarcha fuit cum duobus alijs conſtitutus, eum oportuit devorare moleſtias, ſumptus & pericula obſidionis ferè trimeſtris, qua Moſæ-trajectum cinxerat Marchio Aytonenſis; Sed quod longè ei gravius accidit, tunc etiam ex Conjugio Ducis Bullionæi cum Berghenſi Comitiſſa, eximiæ formæ & ſublimis ingenij fœmina, ſed ſupra modum Pontificia, nova fuerunt certamina illi ſuſtinenda: Nam exinde unà refrixêre in mente *Ducis*, & benevolentia ſolita erga ſe, & amor verę Religionis, quam deſerturum, harum nuptiarum gratiâ, jam ante clàm receperat; In qua dum omni conatu, privatim & publicè, eum *Mareſius* ſtudet retinere, dum quotidie de ſcrupulis, quibus ceu amentatis haſtis à Jeſuitis per ſuam conjugem inſtruebatur, ne

ebatur, ne ſine cauſa defeciſſe ad Papiſmum videretur, cum ipſo diſſerit; dum ſcripta opponit ſcriptis, quibus in veritatem armabatur, dum Optimæ Matri ex officio conſcientiæ per literas indicat, quid rerum ageretur, dum altiùs in conſilia & aſtutias Jeſuitarum penetrat, quam voluiſſent; ſibi accerſivit novæ Conjugis odium ſatis vehemens; & ſenſit DUCEM pedetentim ad publicam Pontificiorum communionem gradum ſibi ſtruere; in quo moliendo per mille fraudes Jeſuiticas, annus 1634. & 1635. tranſacti ſunt. Intereſſet Eccleſiæ, ſpecialem Hiſtoriam iſtius defectionis, à *Mareſio* diligenter collectam, publici juris fieri, ut conſtaret quibus artibus Egregius aliàs ille Princeps, Reformatam Communionem deſeruit, & ab illo tempore, non ſine occulto Dei judicio, in illas incidit calamitates continuas, quibuſcum quoad vixit, luctatus eſt. Non poterat non eſſe valdè gravis illa ſtatio *Mareſio*, in qua cum moroſis imò falſis quibuſdam fratribus, cum caterva Pontificiorum palam inimica, cum apertè Papiſtico medio Magiſtratu, cum vicino Leodienſi Clero, cum Gubernatore, Domino quod magis eſt quondam ſuo, Papaturiente, jugiter coniſcare debebat; in qua nihil poterat dicere vel facere, ex ſui Muneris conſcientia; quod in ſequiorem ſenſum & argumentum calumniæ non raperetur; in qua nec tacere per conſcientiam, nec loqui per adverſam poteſtatem licebat; in qua cogebatur Principis, cujus & Salutem & Gloriam ſemper ſitiverat, prædecretam Apoſtaſiam ab Orthodoxa Religione & majorum pietate, ſe in dies exerentem videre; & illi præveniendæ omnes ſuos conatus non modò inutiles reddi, ſed etiam quadantenus læſæ majeſtatis accuſari. Undè ſæpius optavit priùs mori, quam cerneret illum Principem Sacra Pontificia publicè frequentantem: Nam tamdiu ſperabat poſſe eum retineri, etſi jam palam à noſtris Cœtibus abſtinentem, quamdiu illum Rubiconem nondum ſuperaverat: Præſtò autem & quaſi ex machina fuit Dei ſervo, his in anguſtijs conſtituto, ipſius auxilium. Siquidem Eccleſia Gallo-Belgica Sylvæducenſis recens ſuo orbata Paſtore, Rev. & Doctiſſ. Viro DANIELE CASTEL, Lugduno-Batavo, cujus parens quondam cum Miniſterio Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Leydenſis, praxin Medicam conjunxerat, *Mareſium* in illius ſucceſſorem elegit & vocavit, ſub initium anni 1636. Is admiſſa vocatione, & Eccleſiâ Moſæ-trajectenſi, ut ut ægerrimè, eum dimittente, quò conſuleret ejus quieti & ſecuritati, quam vix ampliùs apud ſe ſperare poterat, accedente inſuper conſenſu Illuſtriſſ. ac Potentiſſ. D. D. ORDINUM GENERALIUM, Sylvamducis venit, & ipſo Paſchatis die, Miniſterium ſuum ibi eſt auſpicatus, ei ſuccedens qui non ita pridem Sedani, ſuus & hoſpes & Diſcipulus fuerat; atque ſe Præſide, publicè in Academia *de Dei natura & attributis* diſputaverat, & quem filij inſtar ſemper dilexerat. Ad

Miniſterij labores, acceſſêre anno ſequenti, ex ſolemni Ampliſſ. MAGISTRATUS *Sylvæducenſis* vocatione, & juxta ORDINUM GENERALIUM & CONSILIJ STATUS decreta, Labores Profeſſorij, quà Hiſtorici & Philologici; quà Philoſophici & Theologici, in Schola Illuſtri, quæ tum primum cœpit caput erigere, inaugurata ſolemniter xvi. Feb. anno 1637. Unà ei demandata fuerat Superintendentia ſive Inſpectio Scholæ Trivialis; Sed quâ paullò poſt ſe eò libentiùs abdicavit, quod ad illius Recturam promoviſſet ingratum ſcarabæum, qui nec regere poterat, nec regi volebat; & qui ei fuit iſthîc σκόλοψ τῇ σαρκὶ, & valdè incommodus vicinus. Oblitus fuerat *Mareſius* injuriarum atrociſſimarum, quas ab eo ejuſque conjuge pertulerat, admiſſâ in ſatiſfactionem ſolemni palinodiâ, utriuſque manu ſubſcriptâ; ad quam per Arbitros utrimque delectos, circa litem in foro priùs pendentem, fuerant condemnati; Sed cum ſuas atroces calumnias, poſtquam huc veniſſet variè renovaſſent, ut aliorum affectibus inſervirent, coactus fuit ſcriptis quibuſdam publicis ſe tueri, ex quibus totius rei geſtæ veritas ſatis innotuit. Ajunt vulgò eum eſſe alienæ vitæ dominum, qui ſuam contemnit; ita honeſtiorum famam facilè depeculantur, qui ſuam decoxerunt. Non tanti tamen fuerunt *Mareſio* malè ſanorum & malevolorum Syncipitum iſtorum conſilia, ut eum in duplici ſua functione Scholaſtica & Eccleſiaſtica, poſſent remorari: Et quantum in utraque proficeret publico, ternis Concionibus, ſeniſq; lectionibus publicis hebdomadatim; ad quas accedebant frequentes Diſputationes Philoſophicę & Theologicæ, præter plures repetitiones & inſtitutiones privatas, ſingulis diebus; quantum & Ædificationis univerſa Eccleſia, & Ornamenti ac incrementi Schola Illuſtris per ipſum conſequeretur, agnitum fuit jam anno 1640. ſub finem, cùm datis ad eum literis, à Rev. & Clariſſ. Viro D. NICOLAO VEDELIO, Theologo Franekerano p. m. ſuo & ſui Collegæ R. & Cl. MACCOVIJ nomine, quibus ad Theologicam Profeſſionem ſecum Franekerę ſuſtinendam tentabatur, nec Magiſtratus nec Eccleſia deſtiterunt, donec ab eo obtinuiſſent promiſſionem certam, ſe non ſolùm non admiſſurum vocationem Franekeranam, ſi procederet, ſed quoque reſcripturum Franekeram, ad impediendum ne procederet; quod etiam pręſtitit bona fide. Nihilominus tamen Providentia Dei eum Friſię deſtinaverat; Nam ſub finem ſeptennij, quod Sylvæducis tranſegit, menſe Novembr. anno 1642. Illuſtres ac Præpotentes DD. ORDINES hujuſce Provincię, eum decreverunt vocandum in ſucceſſorem τοῦ μακαρίτου R. & Clar. GOMARI, biennio ante mortui, ut qui Diſcipulo Sylvæducis ſucceſſerat, ſuo quondam Præceptori Groningę ſuccederet. Ex hoc decreto, Nobiliſſ. & Ampliſſ. DD. CURATORUM literis ad Magiſtratum, ad Eccleſiam, ad ipſum, quibus & ſuas

ſuas particulares, merum amorem ſpirantes, adjunxerat Rev. & Clariſſ. Vir D. Henricus Alting, piæ memoriæ, honorificè vocatur, miſſo Sylvamducis, qui unà offerret vivâ voce vocationem, remque ſuâ induſtriâ ubique expediret ac conficeret, Clariſſ. ac Celeb. D. Tobia Andreæ in hoc Athenæo Profeſſore Meritiſſimo, quo cum exinde *Mareſio* arctiſſima amicitia interceſſit. Is autem dextrè ſuperatis varijs quæ incidebant difficultatibus, tùm vocati aſſenſum, tùm Eccleſiæ ac Magiſtratus, ipſorumque DD. Ordinum Generalium conſenſum, tandem obtinuit, effecitque ut *Mareſius* ſe paullò poſt ſequuturum promitteret. Sic ergo honeſtè dimiſſus ab Ordinibus Generalibus, à Sylvæducenſi Magiſtratu, à ſua Eccleſia, cum luculentiſſimis fidei & morum teſtimonijs (conſentiente quoque Synodicâ Eccleſiâ, uti ſolet appellari, donec ipſa Synodus conveniret) ſe ſtitit Groningæ, ſub initium anni 1643. atque 20. Januarij, unà cum Rev. Clariſſimo & Doctiſſ. viro D. Jacobo Alting, eodem tempore vocato ad Linguæ Sanctæ profeſſionem, ſolemniter inauguratur, habitâ oratione de *Vſu & abuſu Rationis in rebus Theologicis & Fidei*, de qua in continenti hoc Epigramma conſcripſit Rev. & Doctiſſ. Vir D. Johannes Martinus, Eccleſię Groninganæ Paſtor Vigilantiſſimus;

Quid Ratio *valeat*, Fidei *ſi dogmata ſpectes*,
Verè, accuratè, perſpicuèque doces.
Vix toleranda Patrum placita, ut quæ plena pericli;
Horrida & hæreſium monſtra cavenda refers.
Seu cum Eſauita & Socino, quem pecus audit
Servum, dent nimiùm libera fræna λόγῳ:
Seu totum ejiciant, ne nævos indicet ullos,
Quos ſtolidi fingunt, quoſvè Ubiquiſta fovet.
Non [1] regit, [2] evertit-ve Fidem: Serva [1] arguit, [2] infert,
[3] Confert, [4] illuſtrat res Fidei Ratio.
Det λόγος *æternus,* λόγος *ut, te vindice, ſcriptus*
Sit Dominus, Domino huic ſerviat iſte λόγος.

Biduo vel triduo poſt revolat Sylvamducis res ſuas convaſaturus, & ſuam familiam Vere appetente, huc traducturus: atque habitâ Sylvæducis concione valedictoriâ, commeatuque impetrato à Synodo Gallo-Belgica quę Hagæ convenerat, quæque ipſum honeſtiſſimo mactavit teſtimonio, primo Maij Groningam appulit cum univerſa ſua familia; & octiduo poſt filiolum ſuum tertium, adhuc ex mamma pendentem, *Johannem Carolum* amiſit, ut quaſi hoc pignore huic glebæ addiceretur, prout hactenus alacriter, & ſumma cum valetudine, Dei beneficio, in Sparta quam nactus eſt exornanda, quà publicè, quà privatum, docendo & ſcribendo, totus fuit;

tus fuit; licet non defuerint qui ipſum tentarent ac ſollicitarent & ex Gallia ſua pro Montalbanenſi Academia, poſt obitum Clariſſ. Viri D. GARISSOLIJ, & ex Haſſia pro Marpurgenſi, ubi de illa reſtituenda deliberari cœptum eſt. Debitos & indebitos labores nunquam intermiſit, niſi anno 1647. quoad paucos menſes abfuit, profectus in Galliam, ad Parentes valdè ſenes cœteroſque amicos ſemel reviſendos, poſt abſentiam XVIII. annorum. Bis Academię Recturam ſuſtinuit, in quarum prima mœſtus parentavit Rev. & Clar. D. HENRICO ALTING S.S. Th. D. & in ea Facultate Collegæ ſuo Conjunctiſſimo; ac paullo poſt duos alios Collegas obtinuit, R. D. ABDIAM WIDMARIUM & R. D. MATTHIAM PASOREM, quorum etiam utrumque, ex Senatus Academici Ampliſſimi decreto, Doctorem Theologiæ renunciavit: & quibuscum hactenus ita concorditer vixit, ut nec ipſi ægrè ferant titulum *Primarij*, ei nec petenti ultrò delatum, à Nob. & Ampl. DD. CURATORIBUS; nec ipſe ſibi inde quicquam arroget prærogativæ ſingularis; nam cæteroquin & Facultatis Decanatus ad ſingulos redit per vices, & quæ ad pacem & concordiam in Facultate ſervandam, communi conſenſu prudenter conſtituerunt, ad eas vitandas συῤῥάξεις, quarum aliàs & alibi triſtia viſa ſunt exempla, religioſè & ex æquo à ſingulis obſervantur. Pacis cum omnibus Clariſſ. Collegis, maximè cum Rev. Theologis, fovendæ & colendæ, primaria ſemper illi cura: ut conſtantem eorum amorem in ſe huc uſque expertus eſt. Quoad Controverſias, quibus invitus & animo reluctante implicitus fuit cum *D. Voetio*, & alijs per ipſum, earumque originem, ex illa Fratria Sylvæducenſi, cujus Defenſionem ad Procerum Sylvæducenſium inſtantiam, & ex conſcientiæ ſuę dictamine, cùm adhuc eſſet Sylvæducis ſuſceperat, ex libris, qui ſunt in omnium manibus, conſtat, eum ſemper pacem & petijſſe & obtuliſſe; nec ante ad ſtylum acerbiorem deveniſſe, quam ubi ſenſit nihil lenientia, nihil moderationem ſuam proficere; nec aliter unquam egiſſe quam defenſivè. Anno 1649. triſte ex Gallia accepit nuncium de optimi Patris ſui obitu, eique ſtatim ſequenti carmine, pro ſumma ſua humanitate condolere dignatus eſt, admodum Reverendus & Clariſſimus Collega ſuus D. D. ABDIAS WIDMARIUS.

EX animo tecum, Celebris Collega, dolemus,
Nuncia quòd tantum Litera triſte refert.
Heu! obijt Genitor decurſo lumine vitæ,
Per quem, dante Deo, lumen & ipſe trahis.
Præfectum ipſa ſimul deflet Picardia fidum;
Orbaque flent Patrem Curia, Templa, Scholæ.
Sed decet eſſe modum, lachrymas ſuſpendere tandem

Convenit,

Convenit, ut noſti, ſpes quibus eſt melior.
Dudum alijs vixit, meritis pius, & ſatur annis;
Emeritus quî non vivat & ipſe ſibi?
Vidit & hic natos natorum prole beatus;
Patres ipſe ſuos non videat ſuperos?
Gallia vivum habuit florens, mala fortè futura
Evaſit, cæli pace beatus ovat.
Ergo animo fortis ſic nobis vive tuiſque!
Sic annos ultra vive valeque Patris!

Anno 1652. poſt obitum R. Viri D. DE LA HAYE, qui per complures annos Eccleſiæ Gallicæ Paſtor fuerat, ipſi in ſolidum hoc Miniſterium publicâ Authoritate commiſſum fuit, cùm antea ſemel quidem ſingulis diebus Dominicis concionaretur, ſed potius ex pacis ſtudio & animo ſublevandi Paſtoris qui valetudinarius erat, quam ex præciſâ obligatione; nam initio ejus arbitrio permiſerant Nobiliſſ. & Ampliſſ. DD. CURATORES, ut nonniſi pro animi lubitu, & horis quibus vellet, quandoque concionaretur: Per hoc autem Eccleſiaſticum munus Academicæ Profeſſioni additum, evaſit Membrum Presbyterij, & novas accepit compedes, quibus huic Provinciæ & Athenæo, fortiùs mancipetur. Anno inſequenti vidit ſuum *Henricum*, (qui primò deſtinatus ex authoritate Nobiliſſ. & Ampl: DD. CURATORUM propter iugem invaletudinem D. DE LA HAYE, ad operas Miniſterij Gallici in Templo Academico ſecum partiendas, paullo poſt fuerat evocatus in Aulam Haſſiacam ad Miniſterium Gallicum) ex Haſſia honorificè revocatum & clementer ac munificè dimiſſum à Sereniſſimo & Celſiſſimo Principe LANTGRAVIO, ad Eccleſiam Sylvæducenſem, ita conſtanter benè affectam nomini *Mareſiano*, ut quod in patre amiſerat, in filio recuperare ſtuduerit. Sui porrò ex ſorore nepotis, Reverendi ac Doctiſſimi Viri D. JOHANNIS LE LONG, in Eccleſia Gallo-Belgica Medioburgenſi, fideliſſimi diſpenſatoris Verbi Divini, eſt Tetraſtichon illud, quod ejus picturæ adſcriptum legitur in hæc verba;

GALLIA *quem novit, novit quem* BELGICA *tota;*
Et quo nunc fœlix Sole GRONINGA *micat,*
MARESIUS *parvâ depingitur haccee tabellâ;*
Ars etenim in parvis pandere magna ſolet.

ELENCHUS

Scriptorum Mareſij quæ hactenus publicè proſtant, præter varias Diſputationes, habitas Sedani, Sylvæducis & Groningæ.

1623. *Sermon de la Predeſtination*, *in* 2.*Tim.* 11, 19. Inſcio authore nec ipſo nominato, editus, & ſæpiùs recuſus in Gallia. 24.

1628. *Preſervatif contre la Revolte*: fuit ex Gallico poſtea tranſlatus in linguam Germanicam. 8o.

1633. *L'eſprit du Bourgmaiſtre Beeckman retournè de l'autre monde aux fideles Bourgeois de la citè de Liege.* Anonymôs. 8o.

Abbregè de la voye de ſalut, ou declaration familiere de la verité Chreſtiene, par forme de Catechiſme pour confirmer les Catholiques & inſtruire les douteux ou errants, avec les obſervations des R. R. Peres Ieſuites &c. 8o. Anonymôs.

Apologie & Requeſte pour ceux qui ſont profeſſion de la Religion reformée à Meſſieurs les Deputes des trois Eſtats, des Cité, bonnes villes & pays de Liege. 8o. Anonymôs.

Proſopopee, ou diſcours de l'ſpèe qui a deſcapitè Simonet, aux Eſpagnols. 8o. Anonymôs.

Acta Diſputationis habitæ Trajecti, inter Anonymum quendam Franciſcanum, qui Lovanio eum in finem venerat, & Miniſtros Trajectenſes. 4o. Recuſa ſunt poſtea in Monachomachia.

1634. *Traitté de la proceſſion anniverſaire des Battus ou Flagellants ſoubs la conduitte des Dominicains; avec un eſſay populaire de la Doctrine d'un des principaux du meſme ordre.* 8.

L'impoſture Monachale, ou la fable du monſtre deſcouverte. 8o.

La voix du peuple & de Dieu, ou Treshumble & Catholique remonſtrance á Meſſieurs du Clergé. Anonymôs. 8o.

Monachomachia, ſive Vindiciæ pro veritate Religionis reformatæ adverſus Matthiæ Hauzeur Franciſcani Leodienſis, ac nonnullorum aliorum Monachorum ſtrophas, argutias & calumnias. 8o.

1635. *La chandelle miſe ſoubs le boiſſeau par le Clergé Romain, ou Conſiderations Theologiques ſur le Mandement Epiſcopal publié par tout le dioceſe de Liege le 24. de May, reiteré le 3. Iuillet enſuivant, deffendu & ſouſtenu par le ſieur de Chokier Vicaire general en ſa Pareneſe aux Heretiques, auquel la lecture des liures des Reformés, & notamment celle des Saínctes Eſcritures en langue vulgaire eſt abſolument*

lument prohibeé. 8o.

Reſponce facile et peremptoire à l'argument pretendu invincible touchant la lecture des Saintes lettres en langue vulgaire. 8o.

Salus Reformatorum aſſerta; ſive Romanenſium de Reformatis eorumque damnatione æternâ Judicium temerarium, ad Charitatis & Veritatis limam exactum & caſtigatum. 8o.

Brevis ad Theodorum Tranquillum parænesis, addita Virgidemiæ Phil. Ludovici, adverſus eundem. 8o.

1637. *Scholæ Illuſtris Sylvæducenſis inauguratio.* 4o.

1638. *Specimen Juriſconſulti Orthodoxi, ſive Enucleatio quæſtionis Juridico-Politicæ, An Iuriſperiti Catholico Romani ex Juſtiniani Codice ſatis firma habeant argumenta remanendi in communione Eccleſiæ Romanæ, nec ne?* 120.

1640. *Diſſertatio de Antichriſto, quâ expenditur & refutatur nupera commentatio ad illuſtriora eâ de re Novi Teſtamenti loca, Il. V.* Hugonis Grotij *credita: ſimulque Eccleſiarum Reformatarum ſententia de Antichriſto Romano defenditur & confirmatur.* 8o.

1641. *Eſchantillon des maximes du Clergé Romain és Prouinces Vnies; repreſenté par le chapitre onzieme de la ſeconde partie du livre intitulé* Mars Francois; *eſcrit contre la Juſtice des Armes & des Alliances du Roy Treſchreſtien; auec un Diſcours ſur iceluy à Meſſieurs les Catholiques Romains de la Nation Françoiſe, qui ſont au ſeruice de ce pays, pour les juſtifier & esclaircir en ce ſuiet.* 8o.

Vindiciæ pro ſalute Reformatorum; ſive Decas argumentorum quibus Anonymus quidam Leodienſis pertendit, nullam ſpem ſalutis ſupereſſe pro Reformatis, cum eorum refutatione 8o. Anno 1646. Rev. & Doctiſſ. Everhardus Schuyllius, Paſtor Sylvæducenſis, hunc tractatum emiſit linguâ Belgicâ.

Abregé familier du Catechiſme ordinaire des Egliſes Reformées és Prouinces unies, diſtribué en douze ſections pour l'inſtruction particuliere de la jeuneſſe, en l'Egliſe & és Eſcholes de la langue Francoiſe à Boſleduc.

1642. *Curſus Philoſophici contracti, pars practica, continens Logicam & Ethicam, cum Oeconomicæ Synopſi & Iſagoge ad Politicam, in uſum Scholæ Sylvæducenſis.* 4o.

Concordia diſcors & Antichriſtus revelatus, id eſt Ill. Viri Hugonis Grotij *Apologia pro Papâ & Papiſmo, quam prætextu Concordiæ inter Chriſtianos ſarciendæ exhibet illius* Appendix *ad interpretationem locorum Novi*

Teſtamenti de Antichriſto, modeſtè refutata duobus libris. tomis 2. 8°.

Defenſio Pietatis & Synceritatis Optimatum Sylvæducenſium, in negotio Sodalitatis quæ à B. Virgine nomen habet, teſtibus Veritate & Charitate. 4°. Fuit iterum recuſa Ultrajecti in 12°. & in Ultima patientia in 8°.

1643. *Epiſtola Apologetica ad amicum, quâ rationem reddit cur non reſpondeat libro contra ſe edito, ſub hac inſcriptione* Specimen aſſertionum, partim ambiguarum aut lubricarum, partim periculoſarum &c. 12°.

1644. [*Sapientiæ domus & Epulum ex Prov. IX. ſive Oratio habita in Rectoratu adeundo, 23. Auguſti.* 4°.

Oratio funebris in luctuoſiſſimum obitum Theologi Celeberrimi, D. Henrici Alting in Academijs *Heidelbergenſi per IX. & Groningo-Omlandica per ipſos* XVII. *annos Doctoris ac Profeſſoris meritiſſimi.* 4°.

1645. *Collegium Theologicum, ſive Breve Syſtema univerſæ Theologiæ.* Recuſum fuit multo locupletius anno 1649. 4°.

Epigraphe Athenæi Groningæ & Omlandiæ, ſive Oratio habita in Rectoratu deponendo 23. Auguſti; Necnon Brevis Refutatio Libelli famoſi à quodam Jeſuito-Sycophanta ſe falsò W. Gutherthoma *vocante; ante biennium emiſſi ac nuper huc remiſſi, ſub titulo* Muneris adventitij. 4°.

Samuelis Mareſij *Theologi Ultima patientia tandem expugnata à* D. G. Voetio *Ultrajectino Profeſſore & quibuſdam illius aſſeclis; ſive Modeſta & Neceſſaria defenſio tripertita, tum ſui ipſius, tum eâ occaſione cauſæ Procerum Sylvæducenſium & Decretorum Synodicorum circa illam, ipſi extorta variâ ac longâ Contumeliarum ſerie, ac præſertim nupero libello famoſo, Belgicè edito, & inſcripto, Kort ende oprecht verhael &c.* 8°.

1646. *Bonæ fidei Sacrum: ſive Documenta omni exceptione majora Veracitatis & Innocentiæ* Samuelis Mareſij *Theologi in cauſa Schoockio-Voetiana; necnon ejuſdem ſeria & Chriſtiana ἐπανόρθωσις ad C. V.* D. Gisbertum Voetium *ſuper libello quem haud ita piè* Pietatis *nomine nuper inſcripſit.* 8°.

Theologiæ Elenchticæ nova Synopſis; ſive Index Controverſiarum fidei ex Sacris Scripturis, à Jacobo Tirino Jeſuita concinnatus, & cenſurâ perpetuâ, auctus emendatus & refutatus: tomis duobus in 4°. quorum prior prodijt anno 1646. ſub finem, alter ſub initium anni 1648.

Diſſertatio Theologica de uſu & honore ſacri Miniſterij in Eccle-

in Eccleſijs Reformatis, oppoſita nupero Anonymi cujuſdam eruditi periculoſo libello qui inſcribitur Ad Legem & teſtimonium &c. 4o.

Lingua abortiva à D. Gisberto Voetio *Theologo Ultrajectino refoſſa, & adhibita ad atroces calumnias ex ſuo* Tribunali iniquo, Judicio *Pſeudo-Riveriano, & ſimilibus libellorum famoſorum quiſquilijs, vel jam editis vel porrò edendis, pronunciandas in* Samuelem Mareſium *S. Theol. D. & Profeſſorem, ab illis ad æquiſſimum Dei tribunal provocantem.* 8o.

1647. *Biga Fanaticorum everſa; ſive Diſſertationes duæ Theologicæ, quarum prior continet Vindicias pro SS. Trinitatis Myſterio, adverſus epiſtolam* Andreæ Dudithij *quondam Quinqueenſis Eccleſi Epiſcopi; Poſterior exhibet Refutationem* XXVIII. *Objectionum, D. N. N. contra varia Religionis Chriſtianæ capita.* 12o.

Lettre eſcrite par un Gentilhomme François, faiſant profeſſion de la Religion reformée à un amy Hollandois, au ſujet des Libelles diffamatoires qui ſe publient en Hollande contre les François, & pour faire voir, que l' intereſt & ſeureté de la vraye Religion, tant dehors que dedans les Provinces unies, exige quelles demeurent jointes comme par le paſſé auec la France, & ne concluent aucun traitté de paix ſans elle. 4o.

Expoſtulatio ad D. G. Voetium *Theologum Ultrajectinum de violata fide publica editione Epiſtolæ virulentiſſimæ quam nuper emiſit Ultrajecti, ſub nomine Iſ. Chabanæi, cum brevi ejuſdem epiſtolæ confutatione &c.* 8o.

1648. *Alter tomus Antitirini*, cujus prior prodierat anno 1646. 4o.

Exorciſta ſive de Exorciſmis, liber ſingularis; cui adjiciuntur Diſſertationes tres de Deo Maozim, de Calice Euchariſtico, De precibus pro mortuis. 12o.

Quæſtionum aliquot Theologicarum, Regimen, Ordinem, Praxim & Eutaxiam Eccleſiæ ſpectantium, Deciſio Academica. 4o.

Munera Sacra Sapientum, ſive Diatribæ tres Theologicæ De auro, thure, & myrrha, quæ Magi ex Oriente apertis ſuis theſauris Chriſto obtulerunt. 4o.

1649. *Theologus Paradoxus retectus & refutatus: ſive Samuelis Mareſij Exercitationes aliquot Academicæ, oppoſitæ duodecim paradoxis & plus æquò virulentis Diſputationibus, ex profeſſo contra ipſum habitis, in Lycéo Ultrajectino, authore & præſide* D. D. Gisberto Voetio, *ibidem primario Theologò: Cujus centum aſſertiones lubricæ periculoſæ & planè paradoxæ, bonâ fide refe-*

referuntur & confutantur. 8°.

Popularis ad popularem : ſive Irenæi Simplicij Philadelphi Epiſtola partim Increpatoria partim Apologetica ad D. Petrum Bacca Szatthmari Ungarum , ſuper libello quem nuper emiſit Franekeræ ſub hoc titulo Defenſio Simplicitatis Eccleſiæ, *adverſus nonnullas Quæſtiones practicas anno ſuperiori publicè Groningæ ventilatas duobus Ungaris reſpondentibus & poſteà ab Authore & Præſide in unum collectas, & editas cum hac inſcriptione* Quæſtionum aliquot Theologicarum &c. 4°.

Ad Epiſtolam R. *D. N. N. ex Tranſſylvania nuper ſcriptam Brevis reſponſio, ſive Iudicium Liberum & Conſilium Theologicum ac Chriſtianum de Controverſijs in Eccleſijs Tranſſylvaniæ & Hungariæ ab aliquo tempore agitatis, præſertim circa Regimen Eccleſiaſticum, & illarum componendarum recta ratione.* 4°.

Pro Mareſio eodem anno editus eſt, *Stevartus* ἐλεγχόμενος, *ſive Jonathanis Heloſij Gallo-Belgæ Spongia deſtinata acerbiſſimo ac convicioſo libello, quem nuperrimè ſub hoc titulo* Addenda delenda &c. *emiſit* Adamus Stevartus *Philoſophus Leydenſis, ad hos ſuos quatuor errores capitales propugnandos;* 1. *Quod idem homo unus & vivus poſſit eſſe ſimul præſens multis in locis à ſe mutuo magnâ intercapedine ſeparatis.* 2. *Quod nulla detur notitia Dei naturaliter omnium mentibus inſita.* 3. *Quod iuſtitia Originalis non fuerit naturalis in primo homine.* 4. *Quod peccatum originale non ſit naturale, ceu ſubjecto debitum vi generationis ordinariæ ex Adamo poſt peccatum.*

1650. *Xenia Academica; ſive* 1. *Diſputatio Theologica de Perſonalitate adeoque Divinitate Spiritus Sancti contra Socinianos.* 2. *Apologia trimembris pro deciſione Synodi Nationalis Dordracenæ de Objecto Prædeſtinationis; oppoſita operoſæ cuidam Diſputationi Anti-Synodicæ alibi habitæ* 31. *Octobris* 1649. *Cum Præfatione* de Varijs, *ad Reverendos & Clariſſ. DD. Profeſſores Facultatis Theologicæ in inclyta Academia Groning-Omlandica.* 4°.

1651. *Epiſtola Antapologetica pro Synodi Nationalis Dordracenæ judicio de objecto Prædeſtinationis, Decretis publicis Ill. ac PP. DD. Ordinum Groningæ & Omlandiæ ideo factis* 10. 11. *&* 16. *Junij* 1640. *& aliquot alijs quæſtionibus Theologicis: oppoſita Libello nuper edito Amſterodami ſub hoc titulo;* Franciſci Gomari V. C. Diſputatio Theologica de Divinæ Prædeſtinationis Objecto

Objecto, cum neceſſaria & modeſta pro eodem Apologia. 4°.

Theologus pacificus, ſive Diſſertatio Theologica de Syncretiſmo & Reconciliatione partium in Religione diſſidentium, quouſque & quibuſcum optari & urgeri poſſit. 4°.

Hydra Socinianiſmi expugnata, ſive Anti-Volkelij tomus primus. 4°.

Synopſis veræ Catholicæque doctrinæ de Gratia & annexis quæſtionibus; propoſita partim libello, qui anno ſuperiori á Janſenitis in Communione Romana Gallice prodiit ſub hoc titulo, Catechiſmus Gratiæ, *& poſtea recuſus fuit ſub iſto;* Elucidationes quarundam difficultatum de gratia; *partim brevibus ad illam Scholijs Theologicis.* 4°.

Pro Mareſio iterum prodijt hoc anno *Jonathanis Heloſij Hyperaſpiſtes, ſive Epiſtola Nathanaelis Agamenij Friſij ad Illuſtrem Virum Claudium Salmaſium, de novis quibuſdam deliramentis & portentoſis hæreſibus,* Adami Steuarti *Philoſophi Leydenſis, Speciminis ergo breviter enotatis, ex illius convicioſiſſimo & famoſo libello, quem nuper proprijs ſumptibus ſuppreſſo nomine Urbis & Typographi, atque, ut ajunt, contra expreſſum Superiorum ſuorum interdictum, ſub titulo* Ignorantiæ Elenchi Mareſianæ, *emiſit adverſus* Samuelem Mareſium *Theologiæ Profeſſorem Groningæ; Quâ occaſione ejuſdem* Mareſij *orthodoxia, adverſus Stevartianas & recentiſſimas Ultrajectinas criminationes, obiter vindicatur.* 8°.

Diſſertatio Theologica de peccato in Spiritum Sanctum; necnon Appendix Ubbeniana ad trutinam rationis appenſa; ſive Liberum judicium de nupera Appendice D. Martini Ubbenij; *in qua, deſerto licet patrocinio litis principalis, quam ultrò in alterius gratiam, nec ullo modo laceſſitus à* Mareſio, *orationeque totâ in illius perſonam iniquè converſâ, nihilominus priorem ſuam contumaciam adverſus Synodi Nationalis Dordracenæ apertam definitionem & Reſcripta Ill. ac PP. DD. Ordinum Groningæ & Omlandiæ, imò totius Fœderati Belgij, in Illuſtri ſuo nupero Conventu, art. 2. & 3. obſtinate retinet.* 4°.

1652. *Auctarium primum Bibliothecæ Theologicæ* D. Giſberti Voetij *nuper recuſæ cum virulentâ præfatione; continens* 1. *Summariam deductionem litis decennalis quæ ipſi*

ipſi cum Samuele Mareſio, *licet pacem & amneſtiam ſemper deprecante, hactenus interceſſit*; 2. *Vindicias Conditionum Amneſtiæ & Reconciliationis partibus oblatarum, à RR. Deputatis Synodi Groning-Omlandicæ, ab hoc admiſſarum & ab illo rejectarum.* 3. *Conditiones iniquiſſimas & impracticabiles, ab ipſo* D. Voetio *pro imperio præſcriptas; Ad ejus pertinax odium & animum invincibiliter irreconciliabilem toti Belgio demonſtrandum.* 8°.


Fœderatum Belgium Orthodoxum, ſive Confeſſionis Eccleſiarum Belgicarum Exegeſis, quâ illius Veritas ex Dei Verbo & Antiquitate Catholica, aſſeritur & adverſus oppoſitos errores vindicatur. 4°.

Munimen Orthodoxiæ & Perſeverantiæ Euangelicæ contra Tentationes & Scandalum Defectionis illius ad Papiſmum, cujus lugubre exemplum, parario Valeriano Magno *Capucino, non ita pridem in Principe magni nominis Germania vidit.* 4°.

1653. *Senio Sacrarum Diſſertationum propoſitarum & habitarum in Academia Groning-Omlandica.* 4°.

Hydra Sociniani∫mi expugnata, ſive Anti-Volkelij tomus ſecundus. 4°.

JACOBUS



Stat placido graphicè depicta modeſtia vultu,
Sed quæ miramur, pingere dextra nequit.
Doctrina & Pietas dubiam tibi reddere palmam
Dum certant, laudem fers utriusq; parem.
Continuent annos juvenum tibi, maxime, Fata,
Et repetant donum Numina sera suum!
Sic revocabis Avum templis, Patremq; Lyceis,
In genio quoniam vivit uterq; tuo.

JACOB. CREVTZ.

JACOBUS ALTING.

NAtus hic eſt Anno Chriſti CIↃ IↃCXVIII. die XXVII. Septembris Heidelbergę Palatinatus inferioris metropoli in Collegio Sapientiæ; Patre HENRICO ALTING, Academiæ illius Profeſſore Theologo, & dicti Collegij Inſpectore, tunc abſente, ob iter ad Synodum Dordracenam: Matre vero SUSANNA BELIER. Turbata mox altero anno civilibus Germaniæ bellis Patria variè cum Parentibus jactatus, variaſque ſedes ſortitus eſt; unà in exilium deductus, priuſquam Patriam noſſe cœpiſſet. Quippe jam anno CIↃ IↃC XX. cum Spinola in Palatinatum irrupiſſet, Brettam ſorori fratrique comes ad tempus ablegatus: anno autem inſequente cum Matre Heilbronnam dimiſſus fuit, & hinc anno exacto cum eadem Schorndorfium commigravit. Inde exeunte Februario CIↃ IↃC XXIII cum Parentibus digreſſus, longo & ſinuoſo itinere per Franconiam, Saxoniam & Luneburgum Hamburgum uſque, hinc porrò Emdam pervenit. Hic primum una cum Fratre literis Latinis domi paternæ initiari cœpit, eadem deinceps diſciplina Leydæ ac Honſlardici inſtitutus, mutata pro vocatione Patris familiæ ſede. Quo tandem ad Profeſſionem Theologicam in hac Academia obeundam evocato, Groningam appulit anno CIↃ IↃC XXVII. Continuata iſtic ſub oculis & moderamine Parentis domeſtica inſtitutione à Præceptoribus longè doctiſſimis D. Daniele Berckringero Ultrajectinæ, & D. Tobia Andreæ hujus Academiæ nunc Profeſſoribus celeberrimis, in menſem uſque Auguſtum anni CIↃ IↃC XXXI. ex ſententia Clariſſimorum Profeſſorum Facultatis Philoſophicæ trivialibus ejus ſtudijs finis impoſitus, atque ipſe cum Fratre ad Academiam promotus fuit. Hic porrò Philologicis & Philoſophicis ſtudijs ſub Clariſſimorum Virorum Meyvardi, Gebhardi, Paſoris, & Andreæ manuductione defunctus, ad Theologiam animum ac operam applicuit, genium naturæ ſuæ Patriſque voluntatem ſecutus, Theologorum celeberrimorum Venerandi Gomari & Parentis ſui conſtans auditor & diſcipulus. Conjunxit tamen ſollicitè & citra interruptionem (quod jam aliquot ante annos auſpicatus fuerat,) Linguarum Orientalium ſtudium publicâ Celeberrimi Gomari, privatâ Præſtantiſſimi Victorini Bythneri Theologiæ ſtudioſi, nec non Judæi alicujus Emdani in Thalmude inſtitutione uſus.

Anno CIↃ IↃC XXXIX. menſe Junio peregrinationem ingreſſus, Lugduni Batavorum (ubi quoque exegerat plurimam partem

 anni

anni CIↃ IↃC XXXV. dum Parens ibidem reviſioni verſionis Belgicæ Novi Teſtamenti vacaret,) conſedit, familiaris præ cæteris Clariſſimis viris Polyandro Triglandioque Theologis, & l' Empereur Golioque linguarum Hebrææ Arabicæque Profeſſoribus. Inde anno CIↃ IↃCXL. in Angliam trajecit, atque in tertium annum inibi commoratus eſt, cum linguâ gentis Praxeôs Theologicę addiſcendę potiſſimùm ſtudioſus. Cujus utriuſque cum aliquam facultatem ſibi paraſſet, dum Neoburij in ædibus Celeberrimi Theologi Guilelmi Twiſſe, Oxonij item ac Londini hæret, inprimis autem apud Reverendum Virum Eduardum Reynolds Eccleſiæ Brandeſtonienſis in Northamptoniâ Miniſtrum, (cui annum integrum convixit, & tyrocinia Eccleſiaſtica depoſuit;) tandem ſacro Miniſterio initiatus eſt Vigorniæ, à Reverendiſſimo illius Diœceſeôs Epiſcopo, D. Johanne Prideauxio S. Theologiæ Doctore & Profeſſore Regio Oxonienſi, ibidemque Collegij Exonienſis Rectore, anno CIↃ IↃC XLII. Ab illo tempore magis etiam iſti Regno addictus, de perpetuâ commoratione non perfunctoriè cogitavit, animantibus quos iſtic paraverat amicis. Sed inclinatâ indies inteſtino bello iſtius Regni & Eccleſiæ fortunâ, & accedente voluntate Parentum, cum menſe Novembri anni ejuſdem XLII. in Comitijs ab Illuſtribus & Præpotentibus Groningæ & Omlandiæ Ordinibus Hebrææ & affinium Linguarum Profeſſio ipſi decreta, & per literas publicas oblata eſſet, eam capeſſivit, Angliaque digreſſus, ac Groningæ redditus, XX. Januarij anni ſequentis ſolenniter adijt: quo die itidem Celeberrimus D. Mareſius Theologicam Profeſſionem ſuſcepit. Acceſſit munus Eccleſiaſtis Belgici ab ijſdem DD. Ordinibus decreto Comitiorum ipſi demandatum vocatione eadem, quâ Miniſterium ſuum conſequuntur Paſtores hujus Provinciæ Gallici, quibuſcum in eodem Provinciali templo, quod Academiæ eſt, illo defungitur, inde à Kalendis Januarij anni CIↃ IↃC XLVII. Eam ſtationem in hodiernum uſque tuetur ac ornare ſatagit diem, nec ſollicitationibus ab Eccleſijs vel Anglicana Amſtelodamenſi anno XLVI. vel avita Emdana, ſeſquianno poſt inſtitutis, inde avelli potuit. Quin etiam ſuperiori anno CIↃ IↃC LII. cum Vetuſtiſſima Univerſitas Heidelbergenſis auſpicijs Sereniſſimi Electoris Palatini inſtauranda eſſet, aliquoties de Profeſſione Theologica Veteris Teſtamenti & Linguæ Hebrææ iſtic ſuſcipienda tentatus, aſſenſum tamen hactenus differre maluit. Privatim autem recenſioni Paternorum Scriptorum manum admovit, in quibus ad prelum accurandis, quantum per alias occupationes licet, ſedulus verſatur.

PRODIIT

PRODIJT

ab ipſo.

RESpublica Hebræorum Scholaſtica, ſive Hiſtoria Academiarum & Promotionum Academicarum in populo Hebræorum, geminâ oratione delineata. Amſtelod. apud Janſſonium 1652.

ABDIAS WIDMARIUS.

QUomodo jam ab initio militantis Eccleſiæ tot Sancti viri, & fidi Dei Servi, ſe profeſſi ſunt peregrinos & advenas eſſe in terra; ſimiliter multis modis ac vicibus expertus de ſe & ſuis profiteri poſſit ABDIAS WIDMARIUS. Ut verò in tota ſua peregrinatione, & hac miſeriarum valle, ſe quoque à divina caſtigante manu, varijs exercitum adverſis non poteſt non meminiſſe; ita Dei Opt. Max. in eadem perpetuam ſimul gratiam & paternam curam ſeſe haud ſatis prædicare deplorat. Utrumque ſcilicet meditatur, dum memoria ſecum repetit totum vitæ ſuæ curriculum inde à nativitate, Dei beneficio, ad ſenectutem hucuſque. Atque ita, quicquid de hac in ſequentibus referetur (ſiquidem Ordini ſic conſtituto obſequendum fuit) nulla inani oſtentatione vel jactantia, ſed ſolummodò in teſtimonium in ſe minimo & indigno ſingulariter quoque exploratæ divinæ gratię & providentiæ, adeoque in unius Dei laudem, dictum vult & acceptum.

Parentibus ortus eſt honeſtiſſimis. Pater ei fuit Admodùm Rever. & Clariſſimus M. ANDREAS WIDMARIUS, Hildeſiâ Saxo, poſtremis annis à Rectoratu Gymnaſij revocatus ad Paſtoratum Eccleſiæ Bremenſis. Mater pijſſima MARGARETA, è primaria Hildeſię familia *Bödekerana* & *Brandeſiana*. Avus paternus fuit in eadem inclyta civitate Præfectus Eccleſiaſticorum bonorum & Ædilis Spectatiſſimus CONRADUS WEDEMEJERUS: Avia, omni virtute cumulatiſſima, ANNA *Görlings*, ibidem ex patricia cognatione. De ſtemmate & familia *Wedemejerorum* ut altiora & ampliora producantur, nec animus nec opus eſt. Etſi namque retrolapſis annis ab Imperatore ob ſtrenuè navatam militiam Ordini Nobilium adſcripti ſunt, donato ſimul prędio cum ſuis agris, à quo nomen obtinuerunt, additis quoque inſignibus ſpecioſis, unde porrò aliqui ex ea familia ſub vicinis Principibus ac Ducibus dignitates ſuſtinuerunt magnificas: maluit tamen avus amore Evangelicæ veritatis & Papatu & bonis ac honoribus hujus mundi excedere ac renunciare. Et plurimùm religionis reformationem anno Chriſti 1542. Hildeſiæ introductam promovit, inſtitutam ſcilicet ad formulam Auguſtanæ Confeſſionis, accerſitis eum in finem Theologis Joh. Bugenhagio Pomerano, Antonio Corvino, & Henrico Winkelio, nequicquam omni vi obnitente Epiſcopo & Canonicis. Pater itidem potiùs amore literarum & religionis purioris ductus, omnia alia faciliùs ſprevit, & virtute propria magis magiſq; exurgere contendit.

A teneris itaque Pater (ut hujus varia itidem fortuna & circa eum Dei cura pateat) fundamentis pietatis & ſtudiorum in Patriæ ſcholis probè jactis, eadem Brunſvigæ pleniùs excoluit



Lemgoa natalem, ſtudiorum Brema palæſtram,
Terra Palatini munia ſacra dedit.
Exilium in patriam mutavit Belga, Lycéo
Heic gemino ABDIAS profuit, atq; gregi.
Cor pietas habitat, mentem ſapientia adornat;
Quidni igitur placeat vitaq; et umbra viri?

IACOBVS ALTING.

excoluit, ſub Rectore celebri M. *Matthia Bergio*, pòſt in Academia Altorfina Noribergenſium Profeſſore, (à quo ſimul cum Clariſſ. M. *Rodolpho Goclenio Seniore*, multiſque alijs claris viris commilitonibus, initia ſolidioris Orthodoxiæ hauſit) in Academia Regiomontana Boruſſiæ Philoſophica ſtudia ad eum apicem deduxit, ut Magiſterij honore ſit decoratus. Hinc ferè per vices Eccleſiaſtico & Scholaſtico munere functus eſt. Primùm in *Bartenſtein* urbe *Boruſſiæ* ad S. Miniſterium admotus eſt, ſed brevi poſt excitatâ illâ Eteoclæâ contentione inter duos *Boruſſiæ* Epiſcopos, *Heshuſium* & *Wigandum*, de abſtracto & concreto, à qua omnes Eccleſiæ iſtic turbatæ & in partes ſciſſæ, donec *Heſhuſius* excederet, ipſe etiam à Collegis porrò in ſuſpicionem *Zwinglianiſmi* & *Calviniſmi*, (ut odiosè loquebantur) pertractus tempeſtati ceſſit. In Patria ob eandem ſuſpicionem graviſſimè traductus ad ſcholam *Huxariæ* prope *Viſurgim* regendam ſeceſſit; & hinc *Lemgoviam*, in Comitatu *Lippiaco* metropolin, vocatus, ſimiliter initiò Scholę præfuit; ſed alijs Civitatibus, (ipſâque *Hildeſiâ*) ejus operam Scholaſticam flagitantibus, detentus iſtic fuit, quòd ad Miniſterium Eccleſiæ tum in Neapoli, tum in arce proxima, *Brake* dicta (in qua aula erat) obeundum ab Illuſtri & Generoſo Comite ac Nobili Domino de Lippia, *Domino Simone Seniore*, vocaretur. At Lutheranis Ubiquetarijs & hìc de religione quæſtiones & turbas moventibus, idem Ill. Comes, Muſarum & Orthodoxiæ Patronus, eum *Salis Uſleniam*, urbem omninò ſuam, non procul diſſitam, tranſtulit, ut & Eccleſiæ eſſet Paſtor, & ſimul Scholæ Inſpector & Curator primarius, quam ſcilicet novam erexit, Rectore & Ludimagiſtris egregijs liberaliſſimè evocatis. Hæc Schola cùm præ alijs floreret, indeque nomen ipſius latiùs inclareſceret, Ampliſſimus Senatus *Bremenſis* multum laboravit, tandemque ad Illuſt. Comitem miſſis legatis, viris Conſultiſſimis & Spectatiſſimis, *D. Eberhardo Bornhorſtio* J. U. D. Senatore & Scholarchâ, atque *D. Johanne Davemanno* urbis Secretario, obtinuit, ut eum Rectorem haberent ſui Gymnaſij. In hoc Collegas inter Profeſſores habuit Magnum illum *Chriſtophorum Pezelium*, S. Th. D. olim in Academia *Witebergenſi* Profeſſorem, tunc Eccleſiæ & Miniſterij *Bremenſis* Superintendentem, & *Joh. Eſychium*, S. Th. D. virum literatiſſimum, Theologos: D. *Caſparum Altenaich* JC. &c. Ut autem nihil ſub Luna eſt conſtans & perpetuum, his præclaris viris mortuis, præterea difficultatibus & diſſenſionibus obortis de Profeſſionibus inſtaurandis, cùm omnem molem per aliquot annos ſolus ſuſtineret, & juxta Sacra, Philologica, & Philoſophica, alia quoque, imo ipſum Jus civile ex Inſtitutionibus, tradere teneretur, præter curam & diſciplinam reliquam, quam eandem, qualis ſub *Joh. Molano* primo à Reformatione Rectore olim obtinuerat,

nuerat, alij ſervandam urgebant, alij traducebant: ſub onere deficere cœpit, & ſublevari vel liberari ipſemet anhelus ſæpè deſideravit. Alijs ergo Scholarchis Gymnaſij curam ad animum revocantibus effectum eſt, ut decreto Ampliſſimi Senatus ad Eccleſiæ Miniſterium in templo Mariano tunc primario, (in quo ſimul, dum adhuc Rectoratum gereret, antè per integrum annum dixerat, quó de Rectore & Profeſſoribus alijs interea diſpiceretur, & ordo Scholaſticus reſtitueretur) legitimè reduceretur, ſalvo omni honore, etſi non ſine unius atque alterius invidia, atq; ea ipſi diebus Dominicis dicendi hora ordinaria aſſignaretur, qua in reliquis parochijs conciones non haberentur, ut ex his etiam pro voto ad eum audiendum adeſſe poſſent. Atque ita poſtremò in Eccleſiaſtico munere, quod reliquum vitæ fuit, abſolvit ſatur, ut laborum & dolorum, ita dierum, cùm vixiſſet annos LXIX. menſ. II. d. IV. natus ſcilicet ann. Chr. CIↃ IↃLII. d. XI. Febr. denatus ann. CIↃ IↃCXXI. d. XVII. April.

Hic, inquam, Pater fuit, (de quo non ſine gravi cauſa obiter inſerere oportuit, etſi aliàs pleniùs agendum foret) Philoſophus eximius, Ramo quidem addictior, facilè tamen admittens, quæ rectior ratio ſuaderet; Mathematicus & Aſtronomus periтiſſimus, ut celebriores in Germania Aſtronomi, etiam Cæſarei, eo familiariùs uterentur; Orator valdè diſertus; Theologus gravis, cum veritate pietatem ac pacem ſolicitè colens & commendans; in alijs quoque Scientijs & Facultatibus haud leviter verſatus, ut de quibuſvis diſſerere noſſet, & omnis ordinis viris gratiſſimus eſſet; quæ ſingula, tum quotquot eum propiùs noverunt & adhuc ſuperſtites ſunt, tum ſcripta ejus partim edita, partim affecta plurima, apud hunc filium *Abdiam* hactenus aſſervata, abundè teſtari poſſent. Mater vidua, quod memoratu dignum, tamdiu ſupervixit, donec exactè eandem ætatem expleviſſet, quâ & ipſa in Domino obdormivit ann. Chr. 1631. Utriuſque exuvię, ex pio Magiſtratus & Ædilium indultu, eidem ſepulchro ſunt impoſitę in choro ejuſdem templi Mariani, proximè è regione altaris, ſeu menſæ, ad quam toties Cœnam Dominicam adminiſtrarat. Monumento ex Patris ante obitum mandato, præter alia, inciſa ſunt inſignia, quibus potiſſimum delectatus & uſus fuit, ut eſſent ſymbolum & compendium Confeſſionis fidei ſuę, referente imâ ejus areolâ atram noctem, ad miſeriam noſtram, & cæcitatem humanæ rationis in divinis myſterijs; mediâ, auroram cum libro explicato, cui inſcriptum *Ad Legem & ad Teſtimonium* [ex Eſa. VIII. 20.] & ſtellâ lucidâ appoſitâ, ad ſalutarem rerum divinarum cognitionem ex S. Codice, in hac quidem vita ex parte, ſufficienter tamen hauriendam (ex 2. Pet. I. 19.); ſupremâ Solem ipſo clariſſimo die ſplendentem, ad ſpem plenæ beatęque cognitionis & viſionis Dei (ex I. Cor. XIII. 12. &c.) ſignifican-

ſignificandam. Ipſe quoque hujus ſuæ mentis & confeſſionis exegeſin apponendam præſcripſit, quæ talis adhucdum ibidem legitur:

IN INSIGNIA WIDMARII EX ESA. 8. V. 20.

QUID LIBER EXPLICITUS, LÆTO CUM SIDERE EOIS?
SOLE VEHENTE DIEM, NOCTE PREMENTE SOLUM?
SIC LUX AURORÆ SURGIT, QUIBUS AUREA LEX EST,
QUA DATUR ALMA DIES: CÆTERA CÆCA MANENT.
SCILICET HÆC VATES OLIM SIC SIGNA NOTABAT,
AD LEGEM INVITANS, ET RATA VERBA DEI.

His parentibus ita ſuo tempore peregrinantibus, & plura jam adverſa, jam eventu, Dei Gratiâ, ſemper ſecunda ac proſpera expertis, in lucem eſt editus hic ipſe ABDIAS WIDMARIUS ann. Ch. CIↃ IↃ XCI. d. XIII. Septemb. Lemgoviæ dictæ in Weſtphalia, ingeniorum, ſi excolantur, & virorum Præſtantium feraciſſima; & quidem quintus ſeu medius inter novem fratres, præter unicam ſororem, è quibus, quo tempore hæc ſcribuntur, juxta ipſum, Dei beneficio, ſuperſtes eſt, ordine inter eos tertius Rev. *Theodorus Widmarius*, Paſtor Eccleſiæ in *Berum* prope *Dammonam* in hac *Groningæ & Omlandiæ* Provinciâ. Nominis impoſitionem divino Numini refert acceptam, de qua ut addat, non alienum judicatum iri ſperat. Cùm enim ad Baptiſmum ejus Patrini ſeu Sponſoris officium præſtitiſſet Ampliſſimus vir *Godeſcalcus Claveſingius*, ſeu *Nicolai*, Patri tunc amiciſſimus, ideoque ex more iſtic recepto hoc prænomen ei ſervandum fuiſſet, maluit tamen Pater, ut ABDIAS ex Hebręo, idem omninò ſignificante, appellaretur, & hoc nomine quaſi omine ſemper meminiſſet, *ſe ſervitio Dei* in Eccleſijs & Scholis è SS. literis obeundo conſecratum. *Godeſchalk* enim ex priſca Germanorum & Gotorum lingua idem eſt, quod ex moderna *Godes knecht*, ſeu *des Heeren Dienaer*. Iſtis ſcilicet olim *Schalck* dicebatur *Servus*, ſeu *miniſter*, quod adhuc quibuſdam eſt uſitatum, & in compoſitis aliquot dignitatum nominibus reliquum, non tantùm inter Germanos, ſed ab his etiam inter populos alios: quomodo Germ. *Maerſchalck*, Gall. *Mareſchal*, Ital. *Mareſcalco*, Ang. *Marshall*, vocatur, qui equis ſeu equitatui Principis ſeu Regis præeſt, *Magiſter equitum*; & Germ. *Seneſchalck*, Gall. *Seneſchal*, Ital. *Seneſcalco*, qui Regis ſeu Principis domui & familię, (*Sen* ſive *Sin* dicebatur *familia*, unde etiamnum, *geſin* ſeu *geſind* eſt familia in domo alicujus cohabitans) *Magiſter domus*, vel *Palatij*: & quæ ſunt ſimilia. Notum autem eſt, quod Hebræis עבדיהו, *Obadjahu*, ſive עבדיה *Obadjah* (ita ſcilicet promiſcuè ſcribitur,) & hinc ex Gręcæ & Veteris vulgatæ Latinæ tranſlationis aliquoties ſervata ſcriptura ABDIAS idem ſignificet, quod

quod *Servus Jehovæ*, ſeu *Domini*, qui *Miniſter Dei*. Et fatetur hic noſter, quod id ipſum nomen ſibi in Sacro curriculo haud raro calcar addiderit, pietatiſque & conſolationis haud vulgaria in muneris & crucis onere argumenta ſuggeſſerit. Multum certè refert honeſta & pia infantibus indi nomina, eiſque hos ſuo tempore attendere & rectè uti.

Primis annis ferè continuò adverſâ laboravit valetudine, à periculoſiſſimis caſibus & morbis lethalibus, è quibus tamen divinitùs ſervatus eſt. Et bono iſtud eidem fuit; ſiquidem ita didicit jugum Domini á pueritia ferre, à pravo conſortio abſtinere, domi cum parentibus manere, ad ſacra magis attendere, ſtudia unicè tractare; eoque nunquam ſatis celebrandę miſericordię Dei & ſpecialis Providentiæ, conſervatricis & directricis, in ſe edita eſſe exempla agnoſcit. Ita ſcilicet jam ἀπὸ βρέφους Sacras literas edoctus eſt, & ad ſervitium Dei magis magiſque, tum à pijs parentibus, tum à fidis præceptoribus, & domi & in Scholis, pręparatus; inſtinctu quo interiore eum ſimul agente & incitante, ut libros & inprimis Biblia avidè tractaret, de his audire & interrogare geſtiret, Doctiores & nominatim Patrem æmulari conaretur, huic ſemper ad latus adeſſet, eum etiam adultior, ad conciones & ſcholas procedentem, & ab his redeuntem, comitaretur, & parentibus ad omnia, quæcunque grata viderentur, etiam prę fratribus reliquis inſerviret.

Ad ludum literarium admiſſus, rudimenta quidem initiò *Salis Uflenię*, Rectore Rever. & Doctiſſimo *D. Engelberto Glanæo*, poſt *Hornæ*, oppido Comitatus Lippiaci ad *Rupes picarum* (monumentum perantiquum) ſito, deguſtavit; ſed in Gymnaſio *Bremano*, Rectore Patre, fundamenta ſtudiorum ulteriùs poſuit & excoluit. *Bremæ* etenim, urbe *Saxoniæ* inferioris ampliſſima, quæ itidem in Imperio libera ac florentiſſima, potiſſimum eſt educatus, ut eam alteram patriam habuerit, & ab eadem *Bremenſis* cenſitus ſit, accedente inſuper jure civitatis, quo Pater unà cum filijs ab Ampliſſ. Senatu donatus & adſcriptus fuit. In ſtudijs tanto feliciùs profecit, quod ingenio & memoriâ, Dei dono, præ multis alijs valeret, ut ſæpè, quæ in tempus aliud ediſcenda injungerentur, ubi ſemel atque iterum relegiſſet, etiam, antequam ſcholæ dimitterentur, Præceptoribus recitaret. Acceſſit ardor ſemper procedendi plus ultra; æmulatio ſuperioribus paria præſtandi, imò, ſi pote eſſet, eos ſuperandi; ingenua ſuavitas ex Patre & Præceptoribus in ea, quæ ignoraret, vel de quibus dubitaret, liberiùs inquirendi; & modeſtia patienter ferendi, ſi fortè importuniùs accedere, & quid durius audire videretur; nec non ſtudium ſeſe in omnibus, quæ decerent, & accepta fore ſperaret, probandi. Evénit hinc, ut viri plures in dignitate conſtituti ſpem de ipſo conciperent, & Pater eum amplecteretur

maximè.

maximè. Inter illos nominatim fuit idem ille Magnus & Celeberrimus *D. Chriſtophorus Pezelius.* Cùm enim occaſione aliquâ huic haud multò ante obitum *Abdias* quid retuliſſet, & de interrogatis dexteriùs reſpondiſſet, quæ arridebant, Venerandus Senex blandiſſimè eum affatus eſt, & manu dextrâ ejus capiti impoſitâ pluribus benedixit &c. Pater quoque ſæpiùs ſpem ſuam de hoc ſuo filio teſtatus eſt publicè, tum in ſolennioribus actibus; tum in editis compendiis, & Scholaſticis dialogis. Jucunda ex iſtis eſt memoria Scholaſticæ *Actionis Anglico-Danicæ*; quâ IV. Non. Octob. ann. Ch. CIↃ IↃCI I. Illuſtres Legatos Regiarum Majeſtatum, *Eliſabethæ Angliæ*, & *Chriſtiani* IV. *Daniæ*, prçter hoſpites alios omnis ordinis Spectatiſſimos (cùm *Bremæ* ad litem quam interventu *Anſeaticarum* civitatum conveniſſent) in Gymnaſium deductos diſcipulus nomine Scholæ excepit, eoſdemque, poſt orationem à Patre Rectore *de Pace & Concordia inter Reges & Reſpublicas Chriſtianas* habitam, diſceſſuros ſimiliter Scholæ nomine gratiis actis dimiſit, formulâ ipſi prçſcriptâ, ſolutâ & ligatâ, rituque prçformato. Quàm hæc ſibi habuerint accepta etiam Regij Legati, & quæ de hoc *Abdia*, nominatim *Angli*, judicarint, & quanta ei polliciti ſint, non eſt, quod hîc repetatur. Talia interim fatetur ſibi calcar addidiſſe. Et quantum vota piorum ſenum, ac parentum filiis ac junioribus proſint, & ſacræ & profanæ hiſtoriæ evincunt.

Ad Scholas publicas promotus, primùm Patre adhuc Rectore, deinde, (hoc ad S. Miniſterium, ut dictum, revocato) Rectore ſucceſſore Rev. & Clariſſ. *D. Matthia Martinio*, Philologo Celeberrimo, ab Eccleſia *Emdana* advocato (inter primos ſcilicet hujus & reliquorum Profeſſorum, recens ſurrogatorum, auditor fuit) ad majora & ipſe magis contendit. In Philologicis & Philoſophicis ſedulò perrexit; In Oratorijs & Poëticis ſpecimina publica dedit, aliquoties dicendo latinè & græcè; in Collegijs & diſputationibus omnis generis ſeſe exercuit, privatim, publicè. Medicinæ quoque & Juriſprudentiæ aliquandiu haud ſegnis fuit ſectator; imò huic incumbens Inſtitutiones Juris memoriæ mandavit, ut huic ſtudio videretur inhæſurus. At hinc gravioribus rationibus & tentationibus retractus ſeſe tandem totum Sacris ac Theologicis devovit, quibus jam ab utero conſecratus erat, & quibus aliàs ſemper deditus fuerat. Biblia itaque magis magiſq; ſibi familiaria reddidit, ea perlegendo, tum linguâ Germaniæ Miſnicâ, tum linguis originalibus, fontibus ſacris. Catechetica & Theologica omnis generis aſſiduè pervolvit. Theologorum in Gymnaſio, Paſtorum in templo, attentus fuit auditor, illorum lectiones, horum conciones inſigniores, nominatim pleraſque Patris, calamo, ceu velox Scriba, excipiens. Inter diſputationes adhuc gratum eſt meminiſſe habitæ *ad Auguſtanam Confeſſionem*

ſub Vener. & Celeberrimo *D. Urbano Pierio*, S. Th. D. & ipſo olim *Witebergæ* Profeſſore, ſed ab Ubiquetarijs in exilium ejecto, tum *Bremæ* Superintendente & Profeſſore honorario. In Practicis, ad conciones progymnaſticas, ſeſe etiam maturiùs & frequentiùs exercere cœpit, cauſâ ſic poſtulante. Frater enim *Andreas*, Vir Doctiſſimus, cùm ex Academijs, in quibus Clariſſimis Profeſſoribus & ipſe familiariſſimus, & *Heidelbergæ D. Pareo* convictor fuerat, domum reverſus eſſet, & Eccleſiæ Miniſterium in *Buren*, territorij *Bremenſis ad Viſurgim*, ſuſcepiſſet, ferè per integrum ſemeſtre febri correptus, toto illo tempore concionandi vices, quòd aliter non poſſet, ipſi in exercitium ceſſit; unde eodem fratre ad Eccleſiam *in Suderhuſen* prope *Embdam* vocato, Præfecti Eccleſiæ ipſum ſibi in ſucceſſorem jam tum petere non ſunt veriti. Diutiùs autem parentes eum ſecum detinuerunt, pro tenerrimo ſuo affectu, quód valetudine eſſet ſæpiùs afflictâ, minúſque firmâ, ut maturiús ad Academias non dimitterent; quo tamen ſimul nomine gratias Deo debet; ſiquidem interea in ſtudiis, conſilijs, & praxi rerum Eccleſiaſticarum, etiam quoad ordinem & regimen Eccleſiæ, ex domeſtica partim informatione partim obſervatione factus eſt maturior & exercitatior.

Ad alias Illuſtres Scholas & Academias tandem dimiſſus rectâ *Heidelbergam* tendit inter alios cum Venerando *D. Weſſelo Emmio*, pòſt Eccleſiæ *Groningæ* Paſtore Seniore, & ibidem in ædes Clariſſ. *D. Henrici Altingij* Profeſſoris p. m. exceptus, & in Studioſorum Academicorum numerum cooptatus fuit. Perluſtratis hîc cunctis, ſuis ductus rationibus, ſimiliter alia *Germaniæ* loca, Scholas & Academias, luſtrare perrexit. Nominatim paſſim inquiſivit in ea, quæ viſu & notatu digna audiverat. In his fuit, quod *Paderbornæ*, pręter Collegium Jeſuitarum & Academiam ſplendidè extructam, ſpectator fuit annuæ & ſolennioris proceſſionis, quâ reliquiæ *S. Liborij* (uti dictabant) μετὰ πολλῆς φαντασίας circumferebantur in theca argentea, deaurata, & gemmis precioſiſſimis coruſcante, è qua poſtea capta Illuſtr. Dux Brunſvicenſis, Epiſcopus Halberſtadienſis, fertur nummos cum emblemate ſuo cudiſſe. In Comitatu Lippiaco *Hornæ*, ſalutato Rev. *D. Glanæo*, ſuo olim Præceptore & primo Rectore, iſtic Paſtore, admiratus eſt *Rupes picarum*, quæ ſunt quaſi tres turres è lapide ſolido ac monte exciſę, & in ſacella excavatæ, cum monumento *S. Urſulæ*, uti vocabant. Quæ ſimiliter alia *Weſtphaliæ* & vicinæ Inferioris *Saxoniæ* loca tranſiens obſervavit, hoc loco, ut aliena, præterit. *Marpurgum* tandem reverſus humanitate Profeſſorum ſingulari commotus, & occaſionem in ſtudijs ſeſe exercendi nactus magis urgentem, iſtic ulteriùs ſubſtitit. Menſa toto illo tempore uſus eſt viri Doctiſſimi & integerrimi, D. M. *Wolfgangi Heinzenbergeri* inter aliquot Juvenes No-

venes-Nobiles eorumque Ephoros, S. Theologiæ & Miniſterij, Jurium, ac Medicinæ Candidatos, quibuſcum ei ſemper ſuavis fuit convictus & literata confabulatio. Ab Acutiſſimo & Clariſſimo *D. Johanne Combachio* Profeſſore Philoſopho, ultrò in ędes invitatus & hoſpitio exceptus, non tantùm contubernalem habuit doctiſſimum *D. Albertum Niclaſſium Polonum*, pôſt *Dantiſci* Eccleſiæ Orthodoxæ Paſtorem, ſibi & amore & ſtudio junctiſſimum; ſed etiam cum eodem hoſpite Profeſſore, quod & ipſe ſeſe totum S. Theologiæ dederet, de difficilioribus ferè quotidie contulit. A reliquis Venerandis & Celeberrimis Profeſſoribus, *D. Schonfeldio*, *D. Sturmio*, *D. Molthero*, *D. Eglino*, Theologis, *D. Rodolpho Goclenio Seniore*, Anteceſſore Philoſopho, & alijs, ad colloquia & de dubijs magiſq; arduis συζητήσεις humaniſſimè ſemper admiſſus fuit. Cum doctioribus quibuſcunque viris-juvenibus in ſtudijs communibus familiariter converſatus eſt, & in his cum *Illuſtriſſ. Landgravij Principis* alumnis primis, *Magiſtris Majoribus*, uti vocabantur, inter quos non poteſt ſine honore meminiſſe ſibi amiciſſimi Reverendi & Clariſſimi *D. Wolfgangi Crellii*, & ipſius *Bremenſis*, Magni *Pezelii* ex filia nepotis, pòſt in Academia & aula *Electorali Brandeburgica* Doctoris Theologi. Nec defuerunt è Studioſis, (aliquibus etiam Philoſophiæ Magiſtris, ad S. Theologiam primùm accedentibus) qui operam ipſius privatam efflagitarent in exercitijs ſacris, ceù collegijs, quibùſcum Inſtitutiones Theologicas *D. Trelcatij* tractavit: & Juris aliqui Candidati, quò in Politia victuri de controverſijs religionis rectiùs judicare poſſent, ſimiliter inſtiterunt, ut de his jam ad poſitiones præſcriptas, jam ad Faſciculum *Eckhardi Lutherani* &c. cum ipſo diſſererent. Tantum ſcilicet ſibi profuiſſe ſenſit, quòd in Gymnaſio patrio & cum Patre diutiùs verſatus, ſtudia magis matura ad Academias ſecum advexit; ſiquidem hinc curriculum Academicum eo ſucceſſit facilius & felicius. In ferijs ut plurimùm excurrit ad vicinos Doctores; nominatim, vel *Herbornam*, unde ſermonum, quos eruditos & pios hauſit à Venerandis illis & Celeberr. viris Orthodoxis, Magno *Piſcatore*, *Paſore* Seniore, inſigni *Alſtedio*, alijs, jucundum ipſi eſt recordari; vel *Gieſſam*; unde poſt colloquia cum Theologis Lutheranis *Winckelmanno*, *Finckio*, *Helvico*, & inprimis cum *Menzero* habita, ſemper in Orthodoxia magis confirmatus receſſit. In concionibus progymnaſticis ſub *D. Schönfeldio* Superintendente & Oratore diſertiſſimo ſeſe porrò exercens, hoc obtinuit, ut hic eum *Marpurgi* in Eccleſia ad conciones publicè habendas invitaret ac produceret. In Hebraicis, quò magis proficeret, Rabbinum aliquem, ex Judæo Chriſtianum, & recens iſtic baptizatum adhibuit; pręterquam, quod Vener. *D. Moltheri* Profeſſoris Theologi & Hebręi domũ

 inſtar

inſtar filij quotidie frequentaret, ut hic eum *filium ſuum* vocitaret.

Plurimùm autem tum in excolendis Hebraicis tum in attenta lectione SS. Literarum, maximè Prophetarum Veteris Teſtamenti, ipſum incitavit, quòd ad Controverſias Judaicas accuratiùs tractandas pertractus fuit. Acciderat enim aliquantum ante ipſius ad *Academiam Marpurgenſem* adventum, caſus triſtis & deteſtandus. Ludimagiſter, in linguis orientalibus verſatiſſimus & doctiſſimus, nomine CONRADUS VIETOR, cùm ad tempus contra *Judæos* Chriſtianiſmum, & nominatim doctrinam de S. S. Trinitate tam fervidè propugnaſſet, ut ſibi gratularetur, quod per nominis anagramma CARUS DEO TRIUNO audiret, poſtea, vel in tam abditis myſterijs non ſatis inſtructus, eiſque nimis temerè & intempeſtivè immerſus, vel (ut nonnulli ſuſpicabantur) invidiâ & odio adverſus aliquos in tranſverſum abreptus, veritatem impugnarat, & ad ipſos Judæos turpiter defecerat, atque uxore & prole numeroſâ deſertâ aufugerat, apertus veri Trinunius Dei hoſtis factus. Quod verò tandem *Theſſalonicam in Græciam* delatus ſit, teſtantur literę, quas ipſemet inde dedit 23. Dec. ann. Chr. 1614. hâc additâ ſubſcriptione, *Moſes Parto, quondam in Gentiliſmo vocatus M. Conradus Vietor Marpurgenſis*, quarum literarum apographum eſt penes *Abdiam* noſtrum; de quibus & quę eo pertinent, alibi pleniùs. Commoti, inquam, & graviter offenſi iſtac apoſtaſiâ erant multi, imò ſcrupuli in aliquorum animis altiús hærebant, quibus familiariús uti conſueverat, & heterodoxas ſuas exceptiones ſæpiùs inſtillarat. In hos cúm *Abdias* incidiſſet, & ferè quotidiè cum eis converſaretur, contra tales dubitationes & objectiones Judaicas ſubinde oppoſitas luctari, eoque ad oracula Prophetarum & quidem ex fonte Hebræo ſtudioſiùs & attentiús recurrere debuit. Atque ex iſtis in ſacra militia exercitiis, accedente inſuper conſilio & approbatione Ven. Patris & Profeſſorum, enatæ ipſi ſunt *Diſputationes Theologicæ adverſus Judæos de Meſſiæ Perſona, Officio, & Adventu*, quas ſingulas ordine in Academia publicè defendit, in Præſidem, pro more, aſſumto, in talibus exercitatiſſimo, *D. Moltbero.* Etſi verò pleraſque controverſias contra Judæos in eis attigit, magis tamen ei conſultum eſt viſum, primúm de Meſſia eos convincere, vel ſaltem nos confirmare; ſiquidem inde doctrina de S. S. Trinitate partim ultrò conſequitur, partim ex admiſſo Novo Teſtamento eſt manifeſtior. Divinę autem gratiæ & glorię unicè tribuit, quicquid in iſtis Chriſtianiſmi fundamentis ſolidiùs cognoſcendis, ejuſdemque vindicijs penitiùs inſtituendis, tum ipſe profecit, tum circa aliquos fecit, ut ſcandalum hactenus tolleretur, & nutantes confirmarentur. Tacet quoque, quàm avidè diſputationes exceptæ, in nundinis Francofurtenſibus mox diſtractæ,

diſtractæ, indeque aliquoties deſideratæ ſint. Nec repetit, quàm Rev. &Clariſſ. D.D. Profeſſores tum in diſputationum actu, tum aliàs, amorem & favorem, honores etiam alios offerendo, ſingularem comprobarint. Silentio interim non poteſt omninò prterire piam memoriam Magni *Hermanni Vulteji*, Anteceſſoris in Jure primario, Academiæ Cancellarij. Cùm enim *Marpurgo* abiturus inter alios ipſi quoque valediceret, præter ſermones alios ſanctum aperuit propoſitum, quod, uti ſub Incomparabili *Theologo, Zacharia Urſino Heidelbergæ*, in Collegio Sapientiæ ſtudiorum initium feciſſet à Sacris, etiam Hebraicis, ita eiſdem ab his ipſis cum vita finem imponere deſideraret. Et hoc dicto aſſidenti in muſæo Pſalterium Hebræum, proximè menſæ impoſitum, monſtravit, è quo Pſalmos repeteret, imò mox Pſalmum aliquem Hebraicè memoriâ recitavit promtiſſimè; eo ipſo ſimul teſtatus, quàm ſtudia illa ſacra, & Chriſtianiſmi è fontibus Iſraelis aſſertionem & vindicationem probaret, eoque hunc *Abdiam* amplecteretur, eidem quaſi mandans, ut ubicunque ejus fieret mentio, liberè profiteretur, *Vultejum* ipſi magnum eſſe amicum. Quàm porrò honeſtis & amplis ornatus teſtimonijs tum Academiæ & Facultatis Theologicæ, tum Fac. Philoſophicæ & Hoſpitis dimiſſus ſit, ipſa teſtari poſſint.

Animus hinc fuit ſimiliter *Heidelbergam* repetendi, & exteras inde terras, Eccleſias, & Academicas ſalutandi; quod à Patre & Fautoribus approbatum. *Heidelbergam* itaque reverſus à Profeſſoribus Theologis humanius excipitur. Ad Collegium, quod ſub *D. Pareo* ſolis erat Ungaris & Polonis, quum aliquibus jam *Marpurgi* innotuiſſet, mox facilè admittitur, atque iſto abſoluto obtinet, ut ab eodem Biblicum ad Themata textualia peteretur, & hoc cum alijs itidem nationibus commune eſſet. Interfuit quoque ſingulis Collegijs aliorum Theologorum *D. Coppenij & D. Altingij*, nec non Practico *D. Sculteti*, Aulici Concionatoris diſertiſſimi, qui dicentem mox amplexus & profeſſus eſt veteranum & exercitatum eſſe. In Publicis diſputationibus talem ſe probavit, ut, cùm anno Chriſti 1617. in *Palatinatu* quoque, unà cum alijs *Proteſtantibus in Germania*, annus Jubilæus celebrandus eſſet, non tantùm in Eccleſijs, ſed etiam in Academia, ob Evangelij lucem è Papatus tenebris reductam; atque inter alios *D. Pareus* publicè ventilandum inſtituiſſet *Thema ſeculare de cauſis centum abhinc annis, immenſo Dei beneficio, ex Evangelicis Germaniæ Eccleſijs eliminati ſemperque fugiendi Papatus Romani*; & ad ſolemniorem iſtum diſputationis actum, cui præter Sereniſſ. Electorem & Conſiliarios etiam Jeſuitæ, & omnis generis viri, interfuturi expectabantur, ex ſingulis nationibus ſinguli viderentur aſſumendi, qui ſtrenuè opponerent, ipſe à Vener. Facultate Theologica electus eſt, qui nomine Pontificiorum è Ger-

manis cauſam ageret. Cum pluribus ibidem viris, doctis juvenibus, Germanis, Gallis, Ungaris, Polonis, amicitiam contraxit, in quibus nominatim cenſet Rever. & Clariſſimum *D. Matthiam Paſorem*, poſt ſibi in Academia Groningana Collegam Theologum. Inter Profeſſores ſibi ſingulariter amicum & familiarem expertus eſt Rever. & Clariſſimum *D. Altingium* p. m. Hujus commendatione factum, ut, cùm ex ſtudiorum & aliarum ſolicitudinum multitudine corpore infirmior eſſet, atque hinc à tentationibus & melancholia quaſi μισάνθρωπος videretur, ab Ampliſſimo & Optimo viro, *D. Ezechia Fettichio*, inter Secretarios Sereniſſ. Principis Spectatiſſimo, in ædes invitaretur & hoſpitio ejus exceptus honeſtiſſimè & humaniſſimè haberetur, ubi, dum ipſum & uxorem ſimiliter quaſi melancholicos & triſtiores pijs & jucundis colloquijs omnis generis quotidie excitabat, & ipſe ſibi reſtitutus fuit; & virum ſibi tantopere devinxit, ut per totam vitam ipſum amplexus ſit.

At hac felicitate Heidelbergenſi non licuit frui diu. Nam Generoſus *Dn. Johannes Fredericus Riedeſſel à Bellersheim*, ex Liberis Imperij Nobilibus *Altorffij Nemetum*, à Vener. Facultate Theologica per literas petit ſibi & Eccleſiæ ſuæ proſpici de Paſtore. *Abdiam*, hæc commendat, & per D. *Altingium* obtinet, ut ſolum exercitij cauſſâ excurrat, & iſtic dicat. Concione habitâ, Eccleſia mox vocationem offert, ſed renuit hanc admittere, memor dicti propoſiti, & deſiderio actus, ut alias porrò regiones & Academias videat, & *Marpurgum* redeat. Perſuadetur tamen, ut ſaltem ad tempus munus ſuſcipiat, atque, ſi omninò ipſi, Mœcenatibus, ac Patri ſtet animus, propoſitum perſequatur. Quò verò omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fiant, ipſe à Vener. & Ampliſſimo Electorali Senatu Eccleſiaſtico examen petit; eodemque illo die concionem habere jubetur, examinatur, in Miniſtrum Eccleſię conſecratur. *Altorffij* autem tantam experitur Dei benedictionem, tantum Eccleſiæ & Generoſi Domini zelum ac pietatem (cui in viro tantæ dignitatis parem nuſquam obſervavit) & tantum erga ſe omnium affectum, ut manum aratro ſemel admotam retrahere aut retroſpicere religio eſſet. Cœlibem hîc vivit vitam in tertium annum, præter Eccleſiam ſtudia ſacra unicè curans; maximè nactus vicinum Doctiſſimum & Humaniſſimum, *D. Chriſtianum Kyfertum Sileſium*, *D. Sculteto* intimum, è cujus ſcriptis multa latinè tranſtulit & ad prelum paravit. Cum hoc enim ſingulis ſeptimanis agit, jam per literas, jam coràm mutuis viſitationibus & colloquiis, quæſtiones, dubia, caſus conſcientiæ difficiliores tractans. Accedit ſingularis humanitas & exacta doctrina atque experientia Vener. *D. Chriſtophori Gundermanni* S. Theol. Doctoris, ejuſque olim *in Saxonia Lipſiæ* Profeſſoris, tunc *Neoſtadij*, urbe proxima, & Eccleſiarum Palatinarum in illo tractu

Inſpectoris,

Inſpectoris, qui ipſum ad colloquia interiora de Theologicis & Eccleſiaſticis rebus facilis admittit, atq; in Claſſes ac cætus Paſtorum, ut vicinum, (cùm aliàs Eccleſia ipſius nulli Claſſi ſubeſſet) ad conſilia ſæpiùs invitat. Excurrit quoque aliquoties ad Pontificios, nominatim in clauſtro Capucinorum propè Spiram; atque ad Lutheranos, quos in Orthodoxiam acerbiùs debacchari intellexerat, ut cum eis conferat; eóſque retundat. Interea, ut Heidelbergam veniat, rogatur, atq; ad Eccleſiam Dantiſcanam vocatur, cauſam Eccleſiæ agentibus & valdè commendantibus *D. Pareo & D. Sculteto*: ſed *D. Altingius* adhibitis aliquibus ex Senatu Eccleſiaſtico ipſum in Palatinatu detinet, eumque ſibi in Collegio Sapientiæ adjungi poſſe ſtudet; in locum ſcilicet *D. Conradi Deckeri* S. Th. Doctoris & Collegæ defuncti. Manſione itaque in Palatinatu concluſâ ex ejuſdem *D. Altingij*, *D. Fettichij* hoſpitis, aliorumqueFautorum conſilio; conſenſu accedente parentum, ad conjugium ineundum animum applicat; atque in uxorem ducit Venerandi & Optimi ſenis, *D. Johannis Bourgeſij* Eccleſiæ Gallicæ *Heidelbergæ* Paſtoris, filiam *Saram*, nuptijs ibidem celebratis x. Aug. ann. 1619. magno cum honore & applauſu omnis Ordinis, etiam inter alios præſentibus Sereniſſ. Regis Galliarum, & Illuſt. ac Præp. DD. Ordinum Confœderati Belgij Legatis. Generoſus Dominus *à Bellersheim* agnoſcens, quám benè *Heidelbergæ* & in tota vicinia audiret; eoque veritus, ne *Altorfio* avocaretur, omni cum ratione ſibi devincire conatur, tum in zelo religioſo ſubditis inſigniter prælucens, omnemque operam conferens, quò Eccleſiæ ædificatio ex voto ſuccederet, nemo conciones negligeret, vel à catechiſationibus abeſſet, aut diſciplinam fugeret; tum ædes Paſtoris ſplendidiús adornans, eique ſtipendium ultrò ſuperaddens perſonale, ut vocant, & honorarium, quale olim obtinuerat vir Clariſſimus *D. Theobaldus Meuſchius*, antea Inſpector *Crucenacenſis*, cujus extat *Harmonia Evangelica*, edita *Hanoviæ* ann. 1604. & *Syſtema Chronologicum Veteris Teſtamenti*, editum *Spiræ Nemetum*. ann. 1612. Nuſquam ſe profitetur tanta cum voluptate ac libertate omnes partes S. Miniſterij exequutum unquam eſſe, adeoq; ædificatio Eccleſiæ feliciſſimè iſtic ſucceſſit, atque haud facilè vel leviter inde ſeceſſit.

Quid verò? Anno 1621. à Venerando Senatu Eccleſiaſtico Electorali *Heidelbergam* evocatus rogatur, ut mox poſtero die in templo Urbis dicat de capite, quod ex ordine pro more explicandum ſequatur, (erat 2. Epiſt. ad Corinth. cap. 1.) ac poſtero die vocatur *Neuhuſium* proximè *Wormatiam*, urbem Imperij ampliſſimam, ad Eccleſię Miniſterium, eamque vocationem tandem admittit; quòd Illuſtre iſtic eſſet Gymnaſium, à viris Magnis & melioribus ſtudiis florentiſſimum, in quo pro voto cum Doctoribus converſari, & Sacra pertractare poſſet; quòd Eccleſia ſimul ex urbe, cui adjacet

jacet, eſſet valdè ampla à Nobilibus, & Mercatoribus, civibus primarijs è pluribus nationibus, inprimis Belgis; quòd denique triſti illo bello Palatinatui tunc illato in urbe Imperiali habitandi locus concederetur tutior. Generoſus Dominus ægerrimè ipſum dimittit, etſi ſuo loco ſucceſſorem impetraſſet Doctiſſimum *D. Iohannem Kleinium*, *Spiræ* Orthodoxum Paſtorem alterum, quem etiam ipſe, antequam diſcederet, in Eccleſiam *Altorffienſem* introduxit. Et quàm tamen honeſtè de ipſo ſenſerit ac teſtatus ſit, literis ad Quæſtorem, ſeu Curatorem, *Neuhuſianum*, ipſo inſcio, datis, præ verecundia tacere mavult, nihil ſibi boni, ſed omne gratiæDei tribuens in ſolidum. *Wormatiæ & Neuhuſij* ab Eccleſia & Gymnaſio amiciſſimè exceptus introducitur à Vener. Dn. M. *Johanne Cnefelio*, Inſpectore vicino Oſthoviano, viro integerrimo, ſub cujus præſidio olim *D. Scultetus* in *Heidelbergenſi* Academia publicè diſputando in Philoſophicis ediderat ſpecimen. Jucundum erat *Wormatiæ*, (in urbem ſcilicet ſeſe *Neuhuſiani* omnes receperant, quòd à militibus, tam amicis quàm inimicis, eorumque excurſionibus metuendum eſſet) tot viris Claris familiariùs uti, atq; inter tot Nobiles, & Cives orthodoxos, omni rerum uſu prçſtantes, tam blandè haberi. Et ſpes ſubinde fiebat de milite hoſtili omni abducendo, pace verò reſtituenda, quæ & ipſum & bonos omnes alebat, ut difficultates omnes patienter ferrent, ſerena magis tempora exſpectantes. Triſtius interea nuncium ipſum valdè affecit, de Patris obitu, qua de cauſa à matre vidua ac fratribus inſtanter rogatus, impetratâ Senatus Electoralis & Conſiſtorii Eccleſiaſtici veniâ, *Bremam* excurrit, ut diſponeretur de ſcriptis Patris, quæ nonniſi hoc filio *Abdia* præſente moveri juſſerat, ſiquidem ipſi præ reliquis penitiùs cognita eſſent. In hoc itinere Belgicas Provincias tranſiens videt *Amſterodamum*; *Groningæ* nominatim prandio excipitur à Ven. & Clariſſ. *D. Ubbone Emmio*, celebri Hiſtorico Chronologo, primo Academiæ Rectore Magnifico, idque cauſâ filij, Rev. *D. Weſſeli Emmii*, cui *Heidelbergæ* familiariùs innotuerat; *Emdæ*, ex Ampliſſ. Senatus voluntate, urgentibus RR. DD. Paſtoribus Senioribus, concionatur, utque reverſurus in *Palatinatum* iſthàc rurſum tranſire ne gravetur, rogatur; *Bremæ* etiam ad conciones habendas invitatur; atque de ipſius vocatione agitur; ſed cùm ſpes *Palatinatus* eſſet melior, ipſique tam ſuaviter & familiariùs *Neuhuſij* futurum videretur, maximè quòd tam recens iſtuc veniſſet, ad nulla conſilia vocationis ad alia loca attendit. Rebus itaque paternis *Bremæ* diſpoſitis, in *Palatinatum* quamprimum redit, rectâque *Heidelbergam*, ubi uxorem in ſoceri ædibus eſſe acceperat, tendit. At hic omnis ſpes cœpit evaneſcere, cùm exercitum *Palatinum* cedere, omnia metu trepidare, quoſcunque, etiam ex Magnatibus &

Prçfectis

Præfectis, fugam meditari obſervaret, quaſi *Annibal* jam proximè ad portas eſſet. Ad Eccleſiam tamen, & quidem per *Spiram* circumiens, *Wormatiam* cum uxore pergit. Et hic omnia commota & dubia, imò ubique conclamatum deprehendit, ut & ipſe ſubinde animi penderet, & tot procellis ac fluctibus continuis ferè dejiceretur. Horret meminiſſe omnium; quàm iſtud Bellum magis magiſque exarſerit; nec ullâ UNIO (validiſſima licet videretur nonnullis per anagrammatiſmum VINO) opem contulerit, niſi ut opes aveherentur omnes: quàm leviter tot urbes & arces munitæ mox hoſti deditæ: quàm florentiſſimus ille *Palatinatus*, tot terræ fertiliſſimæ, imò tota *Germania*, hactenus viſa tam bellicoſa & invicta, à Bellona illa dira, verè Bellua, exhauſta: quàm triſti ſpectaculo *Oſthovium* & *Weſthovium*, loca ab ædibus, frugibus, vino refertiſſima, ab ipſis amicis flammis data: quàm *Neuhuſium* devaſtatum, Schola celebris diſſipata: quanta barbarie ſpoliati, trucidati, miſerrimè habiti *Palatini*, ut nulli ordini, ſexui, ætati parceretur: quanta cum truculentia tandem *Heidelberga* ipſa expugnata & direpta: quanta annonæ caritas, fames, morbi varii inſecuti: quàm omnes ferè miſeris *Palatinis* orthodoxis inſultarint, & in his Edomæi fratres, Lutherani duriores: quantis in periculis vitæ ſæpiùs verſatus hic ipſe *Abdias*, aliquando in ipſum globis ſclopetorum inſtar grandinis ejectis, ſtrictis gladiis intentatis; bonis obviis exutus; inſidiis pluribus expoſitus, donec tandem tempeſtati cedere eſt coactus. Interea admirandam Dei manum in ſe & ſuis clementiſſimè tuendis, atque inſtar titionis è mediis flammis eruendis, non poteſt non celebrare. In medio ſcilicet inimicorum Dominum dominari multis inſignibus expertus eſt documentis. Hinc unicè factum profitetur, quod *Wormatiæ* viri Orthodoxi & Magnifici ipſum adeò amplecterentur, ut omnia officia exhiberent, ædes concederent, eaſque tutas & immunes præ omnibus civium ædibus præſtarent, ne unquam ullum militem ex toto illo tempore, è præſidio vel Unionis, vel poſtea ipſius Urbis, vel denique Imperatoris domi haberet ac aleret: quod Eccleſia ex urbe, (Lutherani enim nullatenus aliquod Religionis orthodoxæ exercitium intra mænia ſua concedebant) Nobilibus & ditioribus rhedis pluribus vel equitatu, alijs pedibus procedentibus, ex omni ordine & ſexu, ipſum ad conciones *Neuhuſium* comitaretur ac deduceret, indeque reduceret catervatim inſtar exercitus (ex tota ſcilicet vicinia *Palatini* in urbem ſeceſſerant) poſthabitis cachinnis, illuſionibus, convitijs, & latratu in Zwinglianos & Calvinianos, neſcio quos, vexationibus militis Lutherani initiò ab Unionis Principibus, poſt ab Urbe ad vigilias & cuſtodias portæ verſus *Neuhuſium* diſpoſiti; ut certè zelum Eccleſiæ iſtis duris & adverſis temporibus obſervaret majorem, quàm antea tran-

Z teà tran-

tea tranquillis & ſecundis, quo ipſi quoque animus acceſſit major, ut eſſet ſemper lætus ac fortis in Domino: quod ijs ipſis primis diebus, quibus *Heidelberga* occupata diripiebatur, ex commendatione Orthodoxi Mercatoris *Wormatienſis*, per Chiliarcham (Colonellum) ſub Duce *de Tilli* Bavaro & Cæſari militantem, iſti civi per officia pręſtita obſtrictum, (qui tamen & ipſe prædas agebat, & Paſtores quos in vinculis detinebat) tutus ac ſalvus & *Heidelbergam* duceretur, & *VVormatiam* reduceretur, ad Socerum & Socrum, cum filia natu minima, & quæ eis ſpoliatis adhuc erant reliqua, educendum & ad ſe transferendum: quod aliàs quoque jam ipſum, jam quę bona ſervarat, ipſi hoſtes, etiam inſcij & inviti, quaſi miraculò, tuiti ſint, promorint, defenderint: quod, quamdiu iſtic fuit, *Neuhuſianorum*, & civium, aliorumq; aliunde, liberalitate inſigni pauperibus, ex decem circiter pagis viciniis iſtic exulantibus & duriore tunc fame preſſis, rationibus initis ſuccurrere datum fuit: quod ipſi quoque ad neceſſarium victum non defuit: quod nulla unquam vis, (etſi ſępe intentata & inſidiæ ſtructæ ſint,) vel ipſi vel ſuis, quoad corpora, illata eſt: & quæ reliqua Dei mirabilia in ipſo exhibita enarrare non licet, imò nec recordari poſſit omnium, eoque hactenus etiam illud Davidis mediterur ſæpius, *Deus fortis eſt nobis, Deus-fortis ad ſalutem omnimodam, & Jehovæ Domino ſunt exitus contra ipſam mortem.* Pſal. 68. 21.

Quomodo tandem & quò ex *Palatinatu* delatus ſit, ut addat, negligere non poteſt. Res videbantur deſperatæ. Miſſo exercitu, Duce *Leopoldo*, *VVormatiæ* præſidium Cæſareum imponitur; tributum à *Palatinis* grave exigitur; *Neuhuſium* à Commiſſario *Moguntino* occupatur; Quæſtor citatur, rationes ei reddere, & bona Eccleſiaſtica tradere cogitur: iſtuc ad conciones egredi prohibetur, tum violentiâ militum, tum duritie Lutheranorum, nec exitum nec reditum concedentium: inſidiæ nominatim *Abdiæ* Paſtori ſtruuntur, & prætextus varii quęruntur, ut eum vel Urbe ejiciant, vel omninò exuant, imò ei majora minentur: Socer Senex cùm ſuis in Belgium ad filium Paſtorem meditatur, inſtat ut à Genero deducatur: multis aliis rationibus undiquaque urgetur. Re itaque ſeriò deliberatâ ab ipſis ſimul Eccleſiæ viris primarijs conſultum eſſe judicatur, ut tempori & tempeſtati cedat; Socerum Senem in *Belgium* ducat; curam interea Eccleſiæ commendet Paſtoribus Orthodoxis aliis, quòd plures iſtic exularent, & paſſim civibus noti & familiares eſſent, eoque privatim hos in orthodoxia confirmare & ſolari poſſent, (ſiquidem publicè nihil liceret) donec, Deo *Palatinatum* & *Neuhuſium* clementer reſtituente, atque rebus utrinque integris, revocari poſſit. Atque ita ſuaſu & conſenſu eorum, quorum proximè intererat, (Eccleſiaſticus

ſiaſticus Electoralis Senatus *Heidelbergâ* occupatâ nuſquam erat), magno tamen & ſuo & omnium Orthodoxorum dolore, Socerum cum ſuis primùm ducit *Francofurtum*, ubi uxoris ſoror altera, antehàc Mercatori Spectatiſſimo, *Danieli du Hamel*, deſponſata, matrimonio jungitur; & hinc tandem varijs difficultatibus ſuperatis rectâ defertur in *Belgium*; atque in *Zelandiam Arnemudam* ad affinem, Reverendum *Dn. Johannem Bourgeois*, tunc per *Flandriam* orthodoxorum latitantium ſub cruce, jam propè *Dordracum in Niewbeyerland* Paſtorem. Oblivione hîc non poteſt nec debet præterire memoriam Magnifici *D. Theobaldi Teelingij*, *Quæſtoris in Zelandia Generalis.* Pro ſingulari ſua pietate miſſâ rhedâ & Socerum & ipſum cum omnibus ſuis *Medioburgum* invitat; condolet & ipſis & Eccleſiis *Palatinis*; prandio eos excipit blandiſſimè; hoſpites ex Paſtoribus & alijs Spectatiſſimis viris; nominatim Vener. *Hermannus Faukelius*; & piiſſimus *Wilhelmus Teelingius* frater, ſimiliter συμπάθειαν teſtantur; humaniſſimè cum ipſo de variis diſſerunt; poſt prandium conſilia ineunt, de ipſo ad Scholam aliquam vel Gymnaſium adhibendo, donec idioma Belgicum ſibi comparet, Eccleſiæque inſervire poſſit. Ipſe Ampliſſ. D. Quæſtor poſt alia colloquia, etiam de lingua Belgica, elegans Bibliorum Belgicorum exemplar portatile (formâ 12ª.) à Bibliopola per amanuenſem curat afferri, & mox, *En Abdia*, inquit, *hoc te libello dono, adventum in Belgium noſtrum gratulor; ut Belgico idiomati aſſueſcas, hortor. quod enim Eccleſijs Belgicis in Biblijs enucleandis & tractandis aliquando ſis inſerviturus videre mihi videor; & hoc precor; confide modò in Domino, qui providebit.* Cùm veró Rectoratum Scholæ *Sluſis in Flandria* adeundum, (de quo alii egerant) dictus D. Quæſtor diſſuaderet, & S. Miniſterij functionem expectandam conſuleret, alibi interea commorari viſum eſt. Hinc ergo *Lugduni Batavorum*, ſalutatis Profeſſoribus Theologis, amore Academiæ celeberrimæ, ſubſiſtere conſtituit, quò ſtudioſos quos hoſpitio excipiat, & cum ſuis ſeſe in ſtudijs exerceat, donec videat, quid de *Palatinatu* & ſe futurum; eoque rogat quem, ædes ſibi conducat. Interea *Amſtelodamum* pergit cum Socero, qui deſiderio flagrabat videndi veteres amicos & notos, quos olim in juventute, & poſt in Miniſterio quadraginta quinque annorum, inprimis *Veſaliæ & Coloniæ*, habuerat, vel ex ipſorum familia baptizarat, quorum haud pauci *Amſtelodamum* migrarant. Socer & ab his humaniſſimè excipitur, & ab Eccleſia Gallo-Belgica rogatur, ut iſtic Rev. D. Paſtoris *Doucher*, quód in *Gallias* iviſſet, & tam citò rediturus non eſſet, vices uſque ad ejus reditum ſuppleat. Generum itaque rogat ne ſe Senem fidus Achates ac comes in exilio deſerat; ſuadent idem Venerandi

D. Jacobus Rolandus, & *D. Caſparus Heidanus*, Eccleſiæ Belgicæ Paſtores Seniores, & ipſi olim *Francothaliæ in Palatinatu* Evangeliſtæ, indeque Socero iſtic familiariter noti, ut tandem ædibus conductis *Amſterodami* commoretur, perſuadent. Hic ergo omni modo Belgicæ linguę ſibi comparandæ attentiùs incumbens, haud diu pòſt à Venerandi *D. Rolandi* filio, *Timotheo* tunc Sponſo, ſemel atque iterum rogatur, ut ejus loco in *Ouderkercke* prope *Amſterodamum* concionem habeat; cumque ipſe ſenior *Rolandus* aliquando concioni interfuiſſet, & de felici ſucceſſu ad Venerandum Presbyterium retuliſſet, hujus rogatu in urbe dicere incipit. Miſſi etenim Venerandi *D. Caſparus Heidanus*, & *D. Goſwinus Geldorpius*, Paſtores Seniores, nomine Ven. Conſiſtorij ipſi ſunt gratulati, quòd tam brevi tempore expectatione citiùs, tantum in Belgico idiomate ſibi acquirendo profeciſſet (uni verò Deo omnem laudem & gloriam debet) atq; ſuadent, ne gravetur ſubinde vices Paſtorum, quorum plures tunc ſenes erant, ſubire, quò tum in lingua Belgica fieret expeditior, tum in Hollandiæ Eccleſijs magis innoteſceret, ſiquidem brevi vocationem aliquam oblatum iri non dubitarent. Adhæc cùm viri tanti hortarentur & animum adderent, nec hactenus Palatinatus reſtituendi ſpes ulla affulgeret, neque ita ulteriùs in exilio vivere poſſet, ſuis penè abſumtis, literas dat *Wormatiam*, & conſilium petit, an veniâ & pace Eccleſiæ iſtic ſuæ vocationem quam in Belgio admittere liceret, utque in hunc finem teſtimonia mittant, rogat. Reſponſum eſt amiciſſimè, omnes ac ſingulos ex animo dolere, quòd ipſo carere oporteat, non tamen poſſe improbare aut ullatenus ei vertere vitio, ut vocationem quam oblatam aliam in Belgio admittat, quandoquidem *Wormatiæ* tutus non foret, ſpes ſuſtentationis & reſtitutionis nulla appareret, interea autem unus atque alter, ex Paſtoribus vicinis iſtic latitantibus, privatim Eccleſiæ membris confirmandis operam commodare poſſit, donec tandem, quid futurum, eventus det, vel *Palatinatu* reſtituto, &, rebus ipſius integris ſic ferentibus, revocandus ſit. Ita, inquam, reſpondent, teſtimonijs ſimul miſſis honeſtiſſimis, nominatim Venerandus D. M. *Johannes Cnefelius Inſpector Oſthovienſis*, tunc *Paſtor Lampſumanus*, cujus Inſpectioni ex ordine *Neuhuſium* ſubeſſe conſueverat; nec non *Prætor Judicii*, & *Seniores Neuhuſiani*, quotquot tunc in urbe ſupererant. Teſtimonia hęc ſingula de ipſius doctrina orthodoxa, vita ac converſatione probata ac grata, abitus neceſſitate & ratione, teſtantia ac ſigillis ſuis munita, adhuc dum penes ipſum ſunt, atq; ubicumque deſiderabitur, produci poſſunt, præter aliorum civium *Wormatienſium* literas amoris pleniſſimas; ſiquidem *Heidelbergâ* occupatâ, & Electorali Senatu Eccleſiaſtico diſſipato, cum hoc agere non licebat. Hinc itaque animo magis libero ac tran-

quillo

quillo *Abdias* noſter *Amſterodami* dicere pergit, jam linguâ Germanicâ loco Rever. *D. Ottonis Badij*, tunc ibidem Paſtoris Germanici, aliquandiu decumbentis, jam linguâ Belgicâ in ſingulis templis, quaſi per ordinarias vices; unde non tantùm Paſtoribus, ſed etiam civibus, & Mercatoribus emporii ampliſſimi primarijs, aliiſque magnatibus, (ad quorum aliquos etiam in morbis ipſiſque extremis vocatus fuit) familiaris factus, & variis officijs ac beneficijs affectus eſt, ut eorum non poſſit non honeſtè & gratâ mente meminiſſe. In *Hollandia* quoque vicina ea ratione innotuit, ut de ipſo vocando Eccleſiæ plures deliberarent. *Amſterodami* ipſum aliqui, haud è poſtremis, detineri deſiderant, aliqui idem præ ſe ferunt, niſi vox exilior eſſet, & pronunciatio adhuc aliquantum Germaniſmum ſaperet. *Hornam* quoque in *Hollandiam Borealem* interea rogatus excurrit, uti etiam *Emdam* in *Friſiam* Orientalem, ubi ipſum ſibi Collegam dari optabant Admodùm Rev. & Celeberrimi, DD. *Abrahamus Scultetus* & *Fredericus Salmuthus*, Verbi divini Præcones diſertiſſimi, præter Paſtores reliquos, uti Vener. Presbyterij literæ, ſingulorum Paſtorum nomine ſubſcriptæ, teſtari poſſint; atque hìc vocatio ſucceſſiſſet, niſi quæ diſſenſio, mota ab aliquo ſuum preferri urgente, cauſæ remoram injeciſſet, & Deus ipſum aliorſum divertiſſet.

Mox *Amſterodamum* reverſus à pluribus Eccleſijs ſollicitatur. *Loenenſis* Eccleſia, ſub Vener. Claſſe *Amſterodamenſi* è primis, loco ſita amæniſſimo, vocationem offert; eandem offert loci iſtius Dominus, Nobiliſſ. Dn. à *Cronenburg*; dum verò lite diſceptant de inſtituendæ vocationis jure, (legitimam enim & ipſe expectabat) *Ooſtzanenſis* & *Uytgeeſtana*, (ambę Eccleſiæ amplæ in *Hollandia Boreali* ſub Vener. Claſſe *Harlemenſi*) de ipſo vocando contendunt. *Uytgeeſtana* autem ipſo audito, mox unanimi omnium conſenſu, unà cum Paſtore Seniore Rev. *D. Nicolao Nicolai*, viro optimo, ſed ex hydrope laborante, ideoq; rude donato, ipſum prior eligit & vocat. Perſpecto prçterea pio hujus Eccleſiæ zelo, ejus commendato pacis ſtudio, ac commodiore ſitu, (cùm alter ille magis eſſet paludoſo, aquis ſingulas ferè ædes & agros interluentibus, unde quoque obtinet ut loca illa dicantur het Waterlandt) qui valetudini magis convenire videbatur, vocationis admittendæ ſpem facit, & re deliberatâ ſe propediem reſponſurum pollicetur. Deo gratias agit, & gaudet, quòd tot fluctibus peregrinationum & exilij variè jactatus hucuſque evaſiſſet. At gaudium hoc ne eſſet nimium, alia ſuboritur tempeſtas, quaſi omninò ipſum tandem in portu ſubmerſura. Cùm etenim literas, quibus *Uytgeeſtanis*, ut promiſerat, reſpondit, & operam ſuam addixit, nautæ curandas commendaſſet, navi egrediens, tabulâ inde in terram expoſitâ,

ſed à pluvia lubricâ decidente, & ipſe in fluvium, qui *Amſtelodamum* alluit (*Ya* vocatur) delabitur, & totus ferè ei immergitur. Fune ſcilicet arrepto ſeſe ſuſtinet, donec alij ſuccurrentes extrahunt. Graviſſima autem febri mox corripitur, morbis inſuper pluribus concurrentibus, ex tot annorum curis, ac difficultatibus coacervatis. Claſſi *Harlemenſi* ſiſtere ſe non poteſt, ut pro more de vocatione & vocato cognoſcat. Literis itaque datis ſeſe excuſat, additis Eccleſiarum *Palatinatus* & *Amſtelodami* teſtimonijs, quibus viſis, & accedente plurium Paſtorum ſuffragio, qui ipſum *Amſtelodami* ſæpiùs dicentem audiverant, vocatio approbatur, & de proclamatione ac conſecratione ordo conſtituitur. Ad diem 10. Novemb. anni 1624. *Uytgeeſtæ* jubetur adeſſe, ut introducatur, & Miniſterium adeat; ægerque ac languidus adducitur, ut dubium eſſet omnibus, uter è vivis exceſſurus eſſet prior, an Paſtor Veteranus ac Senior, an hic Paſtor Novus ac Junior. Mœror animi gravior acceſſit ex obitu filioli primogeniti, *Johannis Henrici*, qui ipſi in exilio & tot periculis hactenus exantlatis ſuâ ſuavitate ſolatio & recreationi fuerat, in fixam illam ſedem cæleſtem avocati. Morbus quoque ipſius increvit, & aliquot annis eum exercuit, ut, cùm ſingulis tamen ſeptimanis ternas haberet conciones, tandem ſuccumberet, & *Amſtelodamum* ducendus eſſet, quò Medicorum operâ rectiùs uteretur. In ædes ipſum recipit Honeſtiſſimus & Preſtantiſſimus vir, *Johannes à Swolle*, olim Eccleſiæ iſtic Senior Spectatiſſimus, ipſique amiciſſimus. Dei verò Opt. Max. clementiâ ac benedictione, & Medicorum duorum ex Experientiſſimis manu, atque reliquâ pijſſimæ matronæ & familiæ *Swollanæ* curâ, eouſque reſtituitur, ut ad Eccleſiam rediret, & officio fungeretur, etſi morbus necdum omninò ceſſaret. Valdè inſuper ipſum afficit, quod Adverſarij (inprimis *Anabaptiſtæ & Pontificij*) infirmitate ipſius abuſi, ut ſingulos privatim frequentiùs inviſere non poſſet, conarentur aliquos ab Eccleſia abſtrahere. Præſentem tamen Dei gratiam ac virtutem ſenſit, quâ cum *Iobo* & jacturam rerum, & morbos in ſe, atque obitum filioli ſuaviſſimi, patienter tulit, & reliquas difficultates ſuperavit. Plurimùm etiam excitabat Eccleſię amor ac fervor in concionibus & ſacris frequentandis, etiam horis veſpertinis, ex vicis in circuitu remotioribus, hiemis quoque tempeſtatibus neminem avertentibus, ſed omnibus, modò non omninò decumberent, vel pedibus, vel equis aut ſcaphis advolantibus, ut auditorium ſemper eſſet frequentiſſimum. Etſi igitur ſæpè præ morbo vix proreperet, & difficulter ſuggeſtum conſcenderet, conſpectâ tamen tantâ auditorij aviditate adeò ſemper animus erigebatur, ut in concionibus vires ei accedere, imò ipſe optimè valere videretur. Et hinc porrò Dei fretus gratiâ non ſolùm in concionibus ſuos confirmandos, ſed

etiam

etiam συςαδὸν, ac publicè in ipſorum cœtibus Adverſarios inſolentiores aggrediendos eſſe ſtatuit. Ab *Anabaptiſtis* pugnam ſacram inchoat, quòd ſimulatâ ſuâ & ſuorum doctorum pietatis ſpecie audaciores, & Eccleſiæ magis moleſti & noxij eſſent. Sperarat autem ipſos quietiores futuros, ſi ſemel ipſos adortus eſſet, & res benè ſucceſſiſſet; ſed concitati & indignati, quòd ipſorum Doctor, contra quem primâ vice egerat, remiſſior eſſet, ac veritati cederet, ipſum poſtea ultrò provocant, & jam hos jam illos ex Epiſcopis ſuis hinc inde contra ipſum evocant, unde concertationes ſæpiùs contra eos continuare cogitur, Dei gratiâ, cum ſucceſſu optato. Uni etenim Deo omnem dat laudem, expertus manifeſtè, quàm ipſius potentia in noſtra infirmitate conſummetur. Inter alia non poteſt non ſingularis & prædicandæ divinæ gratiæ & virtutis ſpecimen referre, quòd, cùm ſecundâ vice cum iſtis hominibus congreſſurus, & totâ nocte præcedente cum graviſſimo febrili paroxyſmo luctatus eſſet, ut non videretur incedere & progredi poſſe, divinitùs tamen confirmatus eſt, atque cùm contra tres ſimul Epiſcopos & Exhortatores ipſorum in denſiſſimâ hominum turba, qui undiquaque confluxerant, idque mediâ æſtate, atque æſtu valdè urente, majori corporis & animi intentione agendum eſſet, non tantùm adverſarios confudit, ſed etiam ab eo tempore à febri liber evaſit. Colloquijs porró toties iteratis (quæ vel à Notario publico excepta, vel poſtea fideliter conſcripta, apud *Abdiam* huc uſque hærent) id Dei dono obtinet, ut tum Pontificij ſibi metuerent & cautiùs agerent, tum Anabaptiſtæ modeſtiores eſſent, nec valdè conſtaret, quando cætus ſuos haberent; imò haud pauci de religione vera dubij confirmarentur, & plures ex iſtis, etiam antea acerbioribus, ad Eccleſiam accederent, & S. Baptiſmum ſuſciperent; adeoque opus in vinea Domini feliciſſimè procederet. Plurimùm hoc, Deo ſingulariter benedicente, promotum catechiſationibus, quas varias inſtituit, catechumenis in ſuas claſſes diſtributis, ut tandem in his eſſent, qui fuſiùs ex S. Literis capita Religionis Chriſtianæ, probare, errores contrarios refutare, imò alios cum fructu docere, & cum Adverſarijs ipſis de vulgatis controverſijs congredi poſſent. Inter hos nominatim unus, *Johannes Johannis*, qui ex Anabaptiſtis antea orthodoxiæ fuerat infenſior, at de veritate in conſcientia convictus, hanc, Baptiſmo ſimul ſuſcepto, profeſſus erat, adeò profecit, ut ad S. Miniſterium ex ordine Vener. Claſſis & Synodi admiſſus, eoque fideliter functus ſit. Nec tantùm numero, vel ſcientiâ ſacrâ Eccleſia crevit, ſed ſeriis adhortationibus, crebris viſitationibus, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ exercitijs, Dei Spiritu aſpirante, Chriſtiana quoque vita magis magiſque reſpondit, ut quaſi minùs honeſtum haberetur, ſi qui viri-juvenes vel puellæ, ex Eccleſiæ membris, cauponis vel cho-

rëis interfu-

rëis interfuiſſent. Ad familiam præterea honeſtè alendam, ſtipendio iſtic tenuiori Pater cœleſtis ſimiliter ſuccurrit, favore ipſi in utraque Hollandia paſſim conciliato, ut Spectatiſſimorum virorum filios *Enckhuſâ*, *Hornâ*, *Amſterodamo*, *Harlemo*, *&c.* rogatus in ædes reciperet, in melioribus literis inſtituendos. Aliquos inſuper ferè ſemper ſecum habuit S. Miniſterij Candidatos, vel à Claſſibus & Magnis viris ſibi commendatos, vel ultró ipſi cohabitare deſiderantes, cum quibus ipſi Theologica exercitia fuerunt exoptata, & converſatio jucundiſſima, unde noctes ipſum in ſtudijs lucubrantem detinuerunt, quó eis ſatisfaceret. Erant enim in his viri doctiſſimi, jam in Academijs & exteris regionibus cum Profeſſoribus eximijs verſati, qui poſtea in *Hollandia* & *Zelandia* Eccleſijs ſuis cum laude partim præfuerunt, partim adhucdum præſunt. Interea lucis quoque Schola ipſi pro divina voluntate fuit in ſchola crucis, dum varijs exercitus eſt adverſis, morbis,& funeribus ſuorum,uti duorum aliorum filiorum *Uytgeſtâ* in univerſitatem cæleſtem promotorum; Venerandi ſoceri *Leidæ*, honeſtiſſimæ ſocrus *Uytgeeſtæ*; fratris *Andreæ* natu maximi in *Suderhuſen* prope *Embdam* Paſtoris; chariſſimæ matris *Bremæ*; Fratris natu minimi *Conradi*, Juris Candidati, ex variis itineribus & *Conſtantinopoli* reducis in *Italia* abrepti; & quæ alia παθήματα ipſi erant totidem nova μαθήματα, quibus eo magis ad fidei & pietatis officia excitatus eſt. Multum tamen in his ipſum erexit Dei in munere benedictio, & jucunda conſuetudo cum vicinis in *Hollandia* utraque Reverendis Paſtoribus, & viris celebrioribus alijs, nominatim in Veneranda Claſſe *Harlemenſi*. Hujus certè haud ſatis commendare poteſt exemplarem εὐταξίαν, & fraternam concordiam; erga ſe quoque multis modis teſtatum favorem & amorem, ut eum pluribus cauſis Eccleſiaſticis curandis, vel diſſidiis componendis adhiberet, examinibus inſtituendis ſæpiùs præficeret, ad Synodos aliquoties deputaret, ac neminem Fratrum norit, qui vel verbulo vel nutu animum minùs benè affectum oſtenderit. Ipſi *Uytgeeſtani* nihil non offerunt ac præſtant, ut ipſum ſibi devinciant, nec alijs auſcultet, qui hinc inde ipſum auditum & vocatum accedebant. Et hinc, cùm in ſuo *Uytgeeſt*, loco licet aliàs non tam celebri, tam benè lateret, Deoque & Eccleſijs tam optatâ quiete ſerviret, ad loca ampliora non aſpirat, ſorte ſuâ in Domino acquieſcens. Acceſſit, quòd præter alios labores tum laudata Claſſis *Harlemenſis*, tùm *Synodus Hollandiæ Borealis*, ipſi poſt obitum RR. DD. *Johannis Acronij* & *Danielis Souterij* Paſtorum *Harlemenſium*, demandavit vindicias pro Orthodoxa Eccleſia adverſus mendacia & calumnias alicujus Chronici, quòd Anabaptiſta *Hornenſis*, nomine *Pieter Janſſen Twiſck* in duos tomos corraſit, hoc ficto ſpecioſo titulo, *Chroniſck* van den Ondergang der Tyrannen / ofte Jaerlijckſche geſchiedeniſſe in Wereltlijcke ende

lijke ende Kerckelijke ſaecken / van Chriſti geboorte af tot deſen tijt toe / weſende een tijdt Threſoor / wonderboeck / en Jaerrekening van de voornaemſte geſchiedeniſſen des gantſchen Aerdtbodems. &c. Et, inſtante quidem annis ſequentibus pluribus Ven. Synodo, optaſſet certè ex animo, ut opus cœptum licuiſſet abſolvere; remoris autem ſubinde injectis gravioribus hactenus id præſtare non potuit, ut Vener. Synodum ipſe reverenter rogarit, vel cauſam hanc Deo ac tempori committeret, vel onus alijs imponeret, ne toties fruſtra in Actis Synodalibus recurreret. Inprimis ipſum avocarunt vocationes, & difficultates magis magiſque impoſitę graviores, uti quivis æquus rerum judex arbitrabitur, eoque ipſum faciliùs excuſatum habebit.

Dum ſcil. in his aliiſque ſtudiis, & privatis & publicis, laborat, en Novæ Belgicæ Bibliorum Verſionis recognitio ſeu reviſio (quoad Vetus Teſtamentum) nomine Eccleſiarum *Hollandiæ* Borealis ipſi ſimul ab eadem Vener. Synodo injungitur. Alterius eſt loci altiùs repetere & pleniùs exponere, quare, quid, & quomodo de accuratiore Belgica Tranſlatione jam ab initio Reformationis aliquoties tentatum, promotum, & tandem, Dei gratiâ, Eccleſiarum deſiderio, & Illuſtriſſ. ac Præpot. DD. Ordinum Confœderati Belgij munificâ pietate, abſolutum ſit. Quid de ea inſtituenda in Synodo Nationali, habita Dordraci ann. 1618, decretum ſit, Acta ejus ad ſeſſ. 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13. docent. Suffecerit hoc loco in gratiam Lectoris recenſere nomina tum Interpretum, tum Reviſorum. Interpretes, inquam, V. T. fuerunt, RR. DD. JOHANNES BOGERMANNUS Synodi Nationalis Præſes, Paſtor Eccleſiæ *Leovardienſis*, & pòſt S. Theol. D. & Profeſſor *Franequeræ in Friſia*; WILHELMUS BAUDARTIUS, Eccleſiæ *Zutphanienſis* Paſtor; GERSON BUCERUS, Paſtor Eccleſię *Verianæ in Zelandia*, qui tamen ſub verſione obiit. Novi Teſtamenti Interpretes fuerunt, RR. DD. ANTONIUS WALÆUS, S. Theol. D. & Profeſſor in Academia *Leidenſi*; FESTUS HOMMIUS S. Th. D. Synodi Nat. Scriba, Collegij Theologici Ordinum *Hollandiæ* Regens, & Eccleſiæ *Leidenſis* Paſtor; JACOBUS ROLANDUS, in eadem Synodo Nat. Aſſeſſor, Paſtor Eccleſiæ *Amſterodamenſis*, qui tamen & ipſe ſub opere Verſionis ante Reviſionem obiit. Reviſores præter dictos Interpretes circa Vetus Teſtamentum, juxta ordinem Provinciarum, hi erant: Ex *Geldria* ANTONIUS THYSIUS, S. Theol. D. & ejuſdem Profeſſor, antea in Illuſtr. Schola *Harderwici in Geldria* (eoque in Synodo Nat. hujus nomine deputatus) tunc verò in Academia *Leidenſi*; ex *Hollandia Auſtrali* JOHANNES POLYANDER, S. Th. D. & Prof. itidem *Leidæ*, atque ibidem Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Paſtor; Ex *Hollandia Boreali* hic ipſe ABDIAS WIDMARIUS, tunc Eccleſię in *Uytgeeſt* ſub Claſſe *Harlemenſi*, pòſt *Goudæ* in *Hollandia Auſtrali* Paſtor, inde S.

Theol. & Hebr. Linguę Profeſſor, ſimulque Paſtor *Harderwici in Geldria*; hinc S. Th. D. & Prof. in Academia *Groningana*: ex *Zelandia* JACOBUS LARENUS, Eccleſiæ *Vliſſinganæ* Paſtor: *Ultrajecto* ARNOLDUS TEEKMANNUS, Paſtor Eccleſię *Ultrajectinæ*: ex *Friſia* BERNHARDUS FULLENIUS, Paſtor *Leovardienſis* Eccleſiæ: Ex *Tranſiſulania* JACOBUS REVIUS, tunc Eccleſiæ *Daventrienſis* Paſtor, pòſt *Leidæ* Regens Collegij Theologici Ordinum *Hollandiæ*: *Groningâ* FRANCISCUS GOMARUS, ibid. S. Theol. D.& Profeſſor. Novi Teſtamenti Reviſores præter ſuos Interpretes erant, è *Geldria* SEBASTIANUS DAMMANNUS, Paſtor *Zutphanienſis* Eccleſiæ, & ipſe Synodi Nat. Scriba: ex *Hollandia Auſtrali* JOHANNES ARNOLDI LINDANUS, Eccleſiæ *Delphenſis* Paſtor; *Boreali*, GUILHELMUS NIEUHUSIUS, Rector *Harlemenſis* Scholæ: ex *Zelandia* CAROLUS DEMATIUS, antea Paſtor Eccleſiæ *Middelburgenſis*, pòſt *Ultrajecti* Academiæ S. Theol. Prof. & Eccleſiæ Paſtor: *Ultrajecto* LUDOVICUS GERHARDUS à *Reneſſe*, tunc Paſtor Eccleſiæ in *Maerſſen*, pòſt *Bredæ* Eccleſiæ Paſtor, & S. Theol. Profeſſor: è *Friſia* BENHARDUS FULLENUS, qui idem jam inter Reviſores Veteris T. eſt nominatus: Ex *Tranſiſulania* CASPARUS SIBELIUS, Eccleſiæ *Daventrienſis* Paſtor: *Groningâ* HENRICUS ALTINGIUS, antea *Heidelbergæ* in Electorali *Palatinatu*, tunc *Groningæ* S. Theol. Doctor ac Profeſſor. Interpretes illi Veteris T. *Leidam* convenerunt ann. Ch. 1628. atque initium ſuæ Interpretationis fecerunt: anno proximo eos ſecuti ſunt alteri iſti in Novo. Peractâ itaque ab illis tranſlatione V. T. ad inſtantem annum 1633. ex decreto Illuſt. & Præpot. DD. Ordinum è ſingulis Provincijs *Leidam* ſimul evocantur dicti ejuſdem Reviſores: cumque hic *Abdias Widmarius* à Ven. Synodo *Noort-Hollandiæ*, anno præterito 1632. *Hornæ* habita, ſurrogatus eſſet in locum demortui Rev. *D. Jacobi Rolandi*, (qui ſimiliter Rev. *D. Petro Plancio* Paſtori ejuſdem *Eccleſię Amſterodami* ad Recognitionem V. T. ſucceſſerat) & ipſi literis Illuſt. & Præp. DD. Ordinum *Hollandiæ* dátis *Hagæ Comitis* 22. Decemb. ann. 1632. imponitur, ut ſe quamprimùm paret, & ad Cal. Jul. ann. 1633. juxta Interpretes & alios Reviſores deſignatos *Leidæ* ſiſtat, ad Reviſionem operis tam ſancti & diu deſiderati perficiendam. Literis porrò additis RR. DD. Interpretes duo ſuperſtites (Rev. *Gerſon Bucerus* ferè ſub finem peractę interpretationis obierat) mittunt verſionis ſuæ exemplaria examinanda, quæ tamen demum 13. Februar. ann. 1633. redduntur. Inexſpectatum omninò hoc ipſi accidit; ſiquidem, quàm ſibi ad tantum opus curta eſſet ſupellex, optimè norat. Interea adorans Dei providentiam, atque erga ſe indigniſſimum omniumque infimum ſervum gratiam, non

poteſt

poteſt non eidem Deo omnium Moderatori, Eccleſijs & harum nomine Synodo, atque Summo Magiſtratui ſuo obſequi, & in Domini timore ac tremore, onus quidem grave ac arduum, tam verò ſimul ſanctum & utile ſubire, aſſiduis animi ſuſpiriis Spiritus Sancti implorans gratiam ac virtutem. Mox itaque dimiſſis convictoribus, rebuſque alijs compoſitis, dies noctéſque *Sacro* labori impendit, quò tum paratior accederet, tum unà cum reliquis RR. DD. Collegis pari paſſu procederet. Ipſe etenim ſeriùs adhibitus eſt, cùm alij Rev. & Cl. DD. Reviſores ad ſingulas tranſmiſſas partes ſe diutiùs ante commodiùs parare potuerint. Ordine quoque de Eccleſia à Ven. Claſſe *Harlemenſi* conſtituto, ut ſcilicet Paſtores ex ea reliqui vices ſuas, dum domo abeſſet, ſupplerent, familiâ etiam, & nominatim uxore partui proximâ, vicinis & amicis commendatâ, pridie Cal. Jul. ejuſdem anni 1633. *Leidam* profectus appulit. Eodem dicti reliqui D. D. Reviſores unà cum Interpretibus conveniunt, &, de ordine ac modo agendi deliberationibus & conſtitutionibus præmiſſis, opus in nomine Domini ſeriò & ſanctè, indefeſſo labore ſingulis diebus ante & poſt meridiem, in ædibus Ven. *D. Bogermanni* Præſidis peragunt, tandemque Dei gratiâ feliciter abſolvunt menſe Septembri anno Chriſti 1634. à quò Interpretes ac Reviſores Novi Teſtamenti ſucceſſerunt; & toti operi finem impoſuerunt menſe Octobri anno 1635. Quid hic noſter ſuo loco pro modulo contulerit, non eſt quod jactet: imò nihil omninò in ſe eſſe aſſerit, quod glorietur. Nihil, inquam, ſibi arrogat; ſed quicquid præſtitit, uni divinæ gratiæ in ſolidum aſcribit. Gratias interim Deo agit ex animo, quod ſe ex abjectiſſimis & minimis ſervis ſuis tantâ dignatus eſt gratiâ, ut iſti ſummorum in Eccleſijs Confœderati Belgij Theologorum Collegio intereſſe, de tot graviſſimis Veteris Teſtamenti locis judicia limata cognoſcere, & de difficultatibus pluribus conferre liceret. Gratulatur quoque ſibi de probata Deo conſcientia, Eccleſiæ fide, & tantis luminibus diligentia ac ſedulitate, quam in ipſo ſimul nominatim commendat, qui vitam *D. Walæi* p. m. ejus operibus additam, deſcripſit, & in ea de Verſione Bibliorum Belgica hiſtoriam recenſet. Et licet primo acceſſu non videretur ab uno vel altero tanti fieri (quis enim iſte natione Germanus, conditione Paſtor ex agro *Caninefatum Noort-Hollandiæ*, exiſtimatione cum nemine aliorum comparandus; aſpectu nullus?) ſub ipſo tamen opere eum magis magiſque amplexi ſunt, omnia humanitatis & amicitiæ officia ei exhibuerunt, &, quàm fideliter *Spartam* ſuam exornaret, & quantum uſum in Belgico quoque idiomate accuratiore ſibi comparaſſet, ad alios ultró teſtati

ſunt, ut in felicitate non minima iſtam tantorum virorum amicam conſuetudinem, & aliqualem in publicas Eccleſias collatam opellam habeat, ejuſque non poſſit ſine animi lætitia & laude divina meminiſſe. Quàm enim lucri & emolumenti exinde parum, imò nihil, ſibi ceſſerit, ex nonnullorum iniquitate, mavult tacere. Quanti verò ipſius ſtudium & operam inprimis æſtimarint RR. DD. Interpretes, eo præterea comprobarunt, quòd ipſum nominatim commendarunt; qui operi prelo edendo adhiberetur, ſi, peſte tunc *Leidæ* vehementiſſimè graſſante, ſibi quid humani eveniret; quód ipſe in toto opere ad omnia attendiſſet, ad ſuum exemplar; quæcunque mutata eſſent, ipſemet annotaſſet; in adverſaria quoque ſua præcipuas obſervationes exceptas retuliſſet; & ferè omnium rationem poſſe reddere videretur. Nec tantùm in principio, cùm prelum admovendum eſſet, de pluribus commonefecit; ſed etiam, à quo Biblia iſta Belgica Nova primùm prodierunt, quod factum ann. Ch. 1637. multa ſubinde notavit; & maximè poſt Vener. Synodum *Hollandiæ Roterodamenſem*, anni 1641. In hac ſcilicet de commiſſis erratis typographicis cœptum eſt agi, atq; hinc ipſe integrum opus denuo privatim recognovit; &, primo ſuo exemplari Belgico collato, errata ex univerſo opere collegit. Editionem horum cùm hiſtoria totius Tranſlationis; ejus defenſione, erratorum ſyllabo & excuſatione, & de alijs; quæ ulteriús deſiderari poſſint, cauſis eorum monſtratis; σὺν θεῷ, meditatur; niſi prævenerint alij, cùm Operis Sanctiſſimi honor hoc poſtularit. Minati quidem nonnulli initió ſunt multa, & arrodere aliquis annotationes conatus eſt, ſed fruſtrá hactenus; imò à pleriſque Doctioribus, & magis Candidis ex quibuſvis Adverſarijs, opus magni fieri & commendari manifeſtum eſt. Solius Epiſcopii, Orthodoxæ Eccleſiæ in Belgio infenſiſſimi, judicium ac teſtimonium in Inſtitutione ſua inter Opera Theologica de ipſa Tranſlatione omnium vice eſſe poſſit, etſi notæ ad ipſius non ſunt palatum.

Soluto itaque iſto ſpectatiſſimo & amiciſſimo Collegio, & ſingulis ad ſuos revertentibus, ipſe quoque cum Bono Deo ad ſuam feſtinavit Eccleſiam in *Uytgeeſt*, ſecum ſimul reductâ familiâ, quam propter moram abſentiæ diuturniorem *Leidam* accerſiverat. *Uytgeeſtani* obviam facti ipſum cum ſuis reducunt, cum gaudio & mutua comprecatione recipiunt. Ad labores & curas itaque redit etiam ordinarias. Diſcipuli & convictores ſe inſinuant partim priores, partim inſuper alij. De ipſo hinc vocando laboratur ampliùs *Leidæ*, *Harlemi*, *Goudæ*, *Hagæ Comitis*.&c. Urgetur quoque porrò ad continuanda extraordinaria; ad ſupra dictas vindicias contra Anabaptiſtas; ad Belgicorum Bibliorum reliquam adornationem; ad eorundem in idioma *Germaniæ Superioris* tranſlationem, quam Typographus aliquis expetebat, & ad quam,

ad quam, viſo & approbato jam aliquo ſpecimine à Vener. & Clariſſ. DD. *Bogermanno* & *Altingio*, alii hortabantur. At hæc ipſa varia moles ipſum obruit, ut perficere non valeret, & à *Germanica* translatione ultrà abſterruit, quod de *Germania* & Eccleſijs in ea Orthodoxis reſtaurandis, tunc ſpes magis magiſque excideret. Acceſſit à laboribus & vigiliis valetudinis adverſitas, dum catarrhi violentiores corpuſculum infeſtant, & doloribus intenſioribus macerant. Avocat autem ab omnibus iſtis cœptis ſtudijs vocatio *Goudana*, antehàc aliquoties tentata; tandem, neceſſitate ſic adigente, in actum deducta.

Eſt *Gouda* è ſex Majoribus, uti olim loquebantur, *Hollandiæ* Urbibus notiſſima, amœniſſima, ab aquis pleraſque plateas interluentibus ſaluberrima, omnibus rebus ad victum & externa bona feliciſſima, curiam habens in medio amplò foro ſpectabilem, templum in tota *Hollandia* facilè ampliſſimum &c. At hoc uno multis alijs infœlicior, quód inde à prima Euangelii Reformatione ferè ſemper Eccleſiam habuiſſet preſſam & Religionem laborantem, tum ab hæreſibus & ſectis omnis generis, tam commodo loco nidum ponentibus ac toleratis, tum ab internis diſſidijs, vel *E*ccleſiaſticis, vel Politicis, quæ ſeſe ut plurimúm in mutuas partes adverſas abripiunt. Vetera repetere non eſt hujus loci. Quæ iſtuc hunc noſtrum vocandi cauſa, ipſique eundi neceſſitas fuerit, non poteſt preterire. Ab aliquot annis novum erat ortum incendium, quo & Eccleſia & Politia ſchiſma grave patiebatur. Paſtor alius ab Eccleſiaſticis, alius à Magiſtratu erat ejectus. Odio flagrabant omnia. Eccleſia Paſtoribus, Politia Juſtitiâ deſtituta videbatur. *S*inguli ſuos habebant, qui nihil non pro ſuis molirentur ac agerent. Cúm ergo conclamatum videretur, per DD. *D*eputatos & Claſſis & *S*ynodi cauſa defertur ad Illuſtr. ac Præp. DD. Ordines *Hollandiæ*, ab his commendatur Illuſtriſſ. Principi Auraico, Fortiſſimo *Henrico Friderico* fel. mem. Hic aſſumtis viris Prudentiſſimis, ex Advocatis Conſiliariis & Presbyteris Graviſſimis magnæque autoritatis, atque partibus *Hagam Comitis* citatis, & omnibus probè perſpectis, amneſtiam ſancit, ad certos articulos pacem ac concordiam reducit, ad Eccleſiam verò inſtaurandam conſultum judicat, ut Paſtor, *D*. *Iſaacus Abbama*, qui unus ſupererat, ſed ab Ampliſſ. Magiſtratu remotus fuerat, muneri quidem ſuo ob honorem Miniſterii & Eccleſiaſtici Ordinis reſtituatur, ſed hoc ſeſe mox eodem quaſi ſponte abdicante, tres Paſtores alij ſimul vocentur, quibus nihil unquam cum iſtis litigiis fuerit commune. Ordine itaque legitimo proceditur. Presbyterium, approbante Ampliſſ. Senatu urbis, antegreſſis conſilijs & commendationibus Illuſtriſſ. Principis & dictorum Conſiliariorum, ex *Hollandia Boreali* eligit & evocat hunc ipſum *Abdiam Widmarium* (quem jam ab aliquot

aliquot annis deſiderarant) *Nathanem Vogelſangium*, & *Jacobum Sceperum*. Dimittere illum *Uytgeeſtani* erant difficillimi, & ipſe pacis ſtudioſior tantæ tempeſtati ſeſe committere haud erat facilis. Cùm autem Ven. Claſſis *Harlemenſis* ipſius operam Eccleſiæ *Goudanæ* neceſſariam eſſe pronunciaret, & præterea Literæ Illuſtriſſ. Principis & RR. DD. Deputatorum Synodi *Hollandiæ Auſtralis* ſuaſoriæ & commendatitiæ urgerent, & iſtis & huic acquieſcendum fuit. Ægerrimè tamen ab invicem divelluntur, & non ſine fuſiſſimis omnium lacrymis, maximè cùm Eccleſiæ concione, de toties ei dicta vulgata Benedictionis formula (Numer. VI. 23.) benedicens, valediceret. Hujus autem Eccleſiæ memoria ipſi multis nominibus eſt ſacra ac grata; & viciſſim ſui memoriam *Uytgeeſtanis* in hunc uſque diem eſſe jucundam ſæpiùs eſt compertum, præter teſtimonia honeſtiſſima Ven. Claſſis, & Eccleſię, & Judicij Politici. Indicio inter alia unum eſto. Cùm poſtea iſtic quoque grave diſſidium ac ſchiſma ortum eſſet, nec à Ven. Claſſe tam facilè ſopiri poſſet, partes utrinque in ſuum *Abdiam* compromittunt, quod in ejus arbitrio omnes acquieturi eſſent, ideoque ipſum obnixè repetunt, additis ad *Goudanos* literis, cum approbatione Ven. Claſſis, ut tamdiu redire concedatur. Avidè expectatus tanto omnes ac ſingulos à ſe pendere affectu experitur, ut intra bihorium omnia ex voto & proſpero cum ſucceſſu expediret. Tantum ſcilicet refert *Dei* beneficio, Paſtoris fidelitatem Eccleſiæ eſſe plenè probatam, ut ſibi omnium animos pio amore habeat devinctos, & ad ſaniora conſilia obſequioſos.

Goudam quando venit, honorificè exceptus unà cum dictis Collegis introducitur 16. Maj. ann. Chr. 1638. (altero illo Paſtore priore Eccleſiæ ſimul valedicente) unde ipſe mox poſt meridiem ſuo & Collegarum nomine concionem habet ex Rom. XIV v. 19. & S. Miniſterium iſtic *Dei* gratiâ aggreditur. Quàm adhuc ſingulorum animi diſtracti fuerint, quàm ipſi & Collegis variæ & graves ſæpiùs audiendæ querelæ; quantæ ſuperandæ difficultates, quot labores impendendi, ut Eccleſiam diſſipatam in unum recolligerent, & ad *S.* Cœnæ communionem reducerent, à qua plerique per annos plures abſtinuerant, omniaque reſtituerent, nemo ſatis effari poſſit. Quid nominatim *Abdias* præſtiterit, mavult tacere, cùm nihil ſibi, ſed omne gratiæ divinæ debeat. Jucundum ipſi interim eſt, quàm, Collegis concorditer agentibus, Eccleſia accreverit, floruerit, etiam catechiſationibus introductis, viſitationibus Orphanotrophiorum inſtitutis, concionibus extraordinarijs in Sophroniſterio &c. habitis. Collega uterque huic noſtro ſe oſtendebat addictiſſimum, ut alter præ altero æmulus ſibi vellet ſolum, & præter eos Rev. & *Doctiſſimus Dn. Carolus Everwinus* ipſi erat familiariſſimus. Ampliſſ. Urbis Magiſtratus

Magiſtratus omnem favorem ſæpiùs eſt teſtatus, atque ipſum mox ab initio Scholarchis, ſeu Scholæ Curatoribus, viris Conſultiſſimis & Excellentiſſimis, adjunxit. *S*i quis alienior unquam ſit viſus, omninò factum, vel quód Religioni non ſincerè addictus, vel ab aliquo delatore deceptus eſſet, culpam, quâ ipſe tenebatur, in innocentem transferente. Vener. Claſſi de honore aliquoties ſibi exhibito gratias agit, uti ipſe quoque ordinis & pacis ſtudioſiſſimus de omnibus benè mereri ſtuduit, etſi per *Diotrephen* aliquem nonnulla ἀτάκτως fierent, unde etiamnum dolet, quòd juſſu Presbyterii ann. 1639. in Vener. Synodo *Leidenſi* libertatem & jus Eccleſiæ *Goudanæ* unà cum Collegis vindicare coactus fuit. De Eccleſiæ certè totius amore, Dei beneficio, ſibi gratulari poteſt, quam ſibi fideliter docendo, aſſiduè viſitando, officia quævis præſtando, maximè habuit devinctam, ut ex varijs etiam Adverſarijs aliqui ipſum admitterent, & Eccleſiæ ſeſe jungerent. Vener. Synodis *Hollandiæ Auſtralis* ſe quoque multis rationibus obſtrictum profitetur, quæ ipſum ſæpiús humaniſſimè habuerunt, & per aliquot annos, præter S. Theologiæ Profeſſores *Leidenſes*, deliberationibus adhibuerunt in diſſidio *Bremenſium* ab Univerſalis Gratiæ Patronis exorto &c. unde ipſum quoque Synodus *Goudana*, etſi ei non intereſſet, anno 1640 Correſpondentiæ (ut vocant) in Friſiam deſignavit; anno proximo 1641. *S*ynodus *Roterodamenſis* Aſſeſſoris loco dignata eſt; atque denuò ad Correſpondentiam delegavit ad *S*ynodum *Groningæ & Omlandiæ*.

Hac occaſione *Groningam* delatus à Vener. & Clariſſimo D. *Henrico Altingio*, verè Theologo, Orthodoxo ac *S*olido, olim *Heidelbergæ* Præceptore ſuo, & póſt toto vitæ tempore, fautore & amico intimo ac integerrimo, in ædes excipitur. Ab eo ad Nobiliſſ. & Ampliſſ. DD. Curatores Academiæ adducitur; ignarus hactenus, quâ de cauſa; tandem tentatur multis rationibus, ut Profeſſionem Theologicam in locum Ven. & Celeberrimi *D. Franciſci Gomari*, quam ſperaret offerendam, ſuſciperet. Renuit tunc ipſe, *Goudâ* ſe nunquam abiturum ratus, quód ibi ſedem fixiſſet, atque commodiús & quietiùs Eccleſiæ ſerviret, atque tenuitatem ſuam agnoſceret. Non poteſt non ſacrá ipſi eſſe recordatio tanti viri, & ſermonum, quibus ſecum de ſcriptis ac rebus ſuis, ut aliàs, ita iſto poſtremo colloquio egit familiariſſimè. Veriſſimum autem eſt expertus illud Regis *S*apientiſſimi, *Anima hominis excogitat viam ſuam, ſed Jehova ſtatuit greſſum ejus*. Vix enim *Goudam* eſt reverſus, inter duos Collegas Juniores magis magiſque gliſcit æmulatio, & alia ſeſe igni fovendo & excitando immiſcent, ut omninò in apertum incendium eſſet erupturum, cui, quòd hactenus fecerat, cavendo haud amplius par futurus, ſed ipſe potiùs, etſi abſque omni ſua culpa, invol-

pa involvendus videbatur, accedentibus unius atque alterius Religioni minùs addicti ſiniſtris ſuſurris & comminationibus. Ex animo itaque contriſtatur: omnia declinandæ tempeſtati conſilia init: Deum, ut viam monſtret, dies noctesque ſolicitus veneratur. Quid tandem! Omninó inexpectatò offertur & commendatur Profeſſio Theologica & Hebræa in Illuſtri & Academica Schola Geldro-Velavica *Hardervicena*, & ibidem in Eccleſia *SS.* Miniſterium. Hæret dubius, ac rationibus utrinque urgetur. Invocato Dei nomine amicos in conſilium vocat *Leidæ*, *Amſterodami*, *Groningæ* &c. Suadent omnes, ſuis ſinguli rationibus. Inſtat eundo, redeundo, & cauſam promovendo Nobiliſſimus & Ampliſſimus *DD. Johannes à Wynbergen*, alter ex Curatoribus, donec, quâ erat ſuadâ, expugnat, ut hactenus aſſenſum præberet, quoad Profeſſiones (de Miniſterio viſurus, ubi Eccleſiaſtica accederet vocatio) ſi honeſtè dimitti poſſit. Difficultates haud leves objiciuntur à Ven. Presbyterio, & ab Ampl. Magiſtratu, maximè quód *Abdia* ſuo dimiſſo diſcordiam & diviſionem erupturam præviderent. Sperat autem ipſe, alio erudito, pio, & pacifico viro ſibi ſubſtituendo poſſe ſuccurri. Tandem igitur, Nobiliſſ. Curatore cauſam ſtrenuè perſequente, in dimiſſionem conſentitur, modó tamdiu maneat, ſimulq; conſiliis adſit, ut talis vir ipſius loco electus ſit. Et eligitur ſanè talis à Presbyterio, quem probè norat, & confidebat tempeſtatem averſurum eſſe (*Amſterodami* jam Paſtorem agit fideliſſimum); at veró approbatio, à Magiſtratu & Claſſe deſiderata, variis artibus protrahitur in *Abdiæ* abitum, à quo omnia redduntur irrita; unde poſtea inter Collegas colliſio ac diviſio gravior ſucceſſit, quæ Ven. Synodis proximis annis negocium faceſſit; donec tandem omnia compoſita ſunt, altero Collegarum etiam ultró aliorſum ſecedente. Interea ipſe optima quæque expectans, & honeſtiſſimis teſtimonijs à Presbyterio, Magiſtratu, Claſſe ornatus, ædibus ſuis divenditis, & rebus præmiſſis, *Goudanis* valedicit 28. Aug. ann. 1644. concionibus ante & poſt meridiem, ex Zachar. 8. v. 19. p. ult. omnibus ac ſingulis ſanctè commendans & comprecans *veritatis & pacis amorem* ac ſtudium. Quanto cum mœrore & ſolicitudine totius Eccleſiæ & omnium bonorum abierit, non poteſt eloqui, ut, etiamſi ſummo mane curru ex urbe portâ viciná egreſſus eſſet, ne concurſu ullorum detineretur, mox tamen duo è Conſulibus, Viri Magnifici, Optimi, deque Eccleſia & Politia optimè meriti, per apparitorem celerrimo curſu ipſum ad extrema mœnia juberent ſubſiſtere, atque cum ipſo ulteriùs agerent, quantum metuerent, &, quid conſilij daret, peterent. Et hoc magis poſtea ſæpè doluit, quod ſpe & voto ſuo falſus fuit, Deum rogans gratiam ac veniam, tum ſibi, ſi quid peccarit, omninò tamen contra propoſitum, tum alijs, qui Eccleſiam turbarunt. Quàm

enim aliàs

enim aliàs ægrè inde diſceſſerit, novit, qui novit & judicat omnia; prçterquam quod amœniorem & longè lautiorem ſtationem deſereret, ut ſuſpiciones ac calumnias, quaſi ampliore ſtipendio in Geldria obtinendo dimotus fuerit, facilè rideret.

Hardervici inauguralem habet *de Urim & Thummim* in frequenti & ſplendida panegyri 13. Jul. an. 1644. Profeſſiones, Dei gratia, Theologica & Hebræa, uti quoque Diſputationes & Collegia, eodem Deo benedicente, procedunt. Ubi ſemel atque iterum rogatus in Eccleſia dixiſſet, ad Ordinarium inſuper Miniſterium legitimè vocatur, idque ſuſcipit, modò ſibi concedatur immunitas à deputationibus ad Claſſes & Synodos, à concionibus dierum, quibus Scholæ inſerviret, à viſitationibus ordinarijs: atque ita vices ſuas pariter ordine ſuo ſubit, tum in concionibus, tum in catechiſationibus, quæ iſtic quoque tunc introductæ ſunt. Valdè ipſum reficit Nobil. & Ampliſſ. Conſulum & Procerum inſignis humanitas; Collegarum in Eccleſia ac Schola concordia & converſationis ſuavitas; Studioſorum & civium ad officia facilitas. Animus proinde nihil cogitabat minus, quàm ut inde revocandus eſſet. At verò & hîc Dei manum ſe huc illuc trahentem, retrahentem, manifeſtè ſentit. Vener. & Celeberrimus Theologus, *D. Henricus Altingius*, *Groningæ* moritur, ipſo ante obitum denuò commendato Nobiliſſ. & Ampl. Academiæ Curatoribus. Huic itaq; qui noluerat eſſe Collega, tandem ſucceſſor ex ipſius ſimul conſilio vocatur. Rev. & Cl. *D. Jacobus Altingius* filius, ibidem Profeſſor linguæ Hebrææ, póſt etiam Academicus Eccleſiaſtes, ablegatur, ut pro interiore & hæreditaria amicitia vocationem perſuadeat, additis literis à Rev. itemq; Celeberrimo Theologo *D. Samuele Mareſio*, tunc Academię Rectore, humanitate & officiorum oblatione pleniſſimis. Difficultates obſtabant aliquot, ad quas, nomine Nobiliſſ. & Ampl. DD. Curatorum, Clariſſ. *D. Mareſius* Rector Magnificus reſpondens ſatisfactionem pollicetur. Unum porrò potiſſimum reſtabat, quod tam brevi tempore iſtic fuerat. Cùm verò *Cl. Altingius* literis inſtructus ad Curatores, Presbyterium, Magiſtratum *Hardervicenum*, Illuſt. Ordines *Velaviæ*, tum iſtic, tum *Hagæ Comitis & Arnhemiæ* (alteris etiam nihil non offerentibus, ut detinerent) nihil nôn ageret, dimiſſionem ipſius tandem impetrat, idque hoc faciliùs, quod ſpes aliunde facta erat, de Clariſſ. *Dn. Matthia Paſore*, Matheſeos & Philoſophiæ Moralis Profeſſore, viciſſim *Groningâ* in ipſius locum impetrando, qui etiam pòſt vocatus ſucceſſurus erat, niſi detentus fuiſſet, & ipſe ſimul tertio loco ad Profeſſionem Theologicam aſſumtus, quod tamen huic noſtro poſtea eo gratius fuit, quod ipſum olim *Heidelbergæ* in Sacris ſtudiis commilitonem & familiarem habuerat. Inter alia autem ipſum maximè permovet, quòd in florentiſſima Academia, unà cùm Clariſſ. Collegis Orthodoxi-

 am adeoq;

iam, adeoque Eccleſiam, Deo pro ſua gratia tenuitati ejus porrò benedicturo, promoturus, ſuiſque, cùm unicum iſtic fratrem haberet, propiùs adfuturus videretur, ignorans hactenus, quod brevi *Hardervici* propiores habiturus eſſet, uti pòſt innotuit. *Groningani* ſuis rationibus ipſum urgent, ut quamprimum adſit ad inaugurationem, ordinem in Facult. Theologica, aliaque conſtituenda, ſiquidem feriæ majores inſtent, & alius præterea Profeſſor Juris expectetur. Feſtinat ergo, atque, ſic poſtulante ordine ac more Academiarum, Gradum ac titulum in S. Theologia Doctoris, quem hucuſque fugerat, admittit, Promotore Admodúm Rev. & Celeberrimo *D.D. Samuele Mareſio*, tunc (ut dictum) Academiæ Rectore Magnifico, & hinc IV. Jun. inaugurali oratione tradit Columbam, Spiritus S. hieroglyphicon, ex illa celeſti inauguratione Chriſti, & manifeſtatione Sp. S. ſpecie columbę ad ejus Baptiſmum &c. in frequentiſſima Panegyri ex omni Ordine. *Hardervicum* reverſo, & res ſuas ad abitum componenti, remoram, cùm ipſi *Groningam* introducto omninò non poſſet ampliùs, quoad filiam natu maximam, *Saram*, injicit Rever. & Doctiſſ. *D. Hermannus Velingius*, Eccleſiæ *Hardervicenæ* jam per ſex annos fideliſſimus Paſtor cælebs, ipſiuſque proinde ibidem in S. Miniſterio Collega. Non paſſus eam à Patre ſimul abduci, quam honeſtè, à quo iſtuc venerat, amare cœperat, tandem animum aperit, eamq; ſibi in uxorem dari expetit. Fortè ipſimet detinendo remora fuiſſet fortior, ſi ſe prodidiſſet maturiùs: cúm veró Pater neque pedem retrahere, neque filiam petenti denegare poſſet, hanc potiús poſthabere, &, quamprimum licuit, in ſanctè ſuſcepto vocationis propoſito progredi oportuit. Ita ſcilicet nihil his in terris ex omni parte eſt beatum, &, quæ Dei ſunt, nobis & noſtris præferenda eſſe divina docet Providentia.

Groningam igitur, honeſtis è *Geldria* reportatis teſtimoniis Ampl. Senatus Scholaſtici, Nobiliſſ. DD. Curatorum, uti quoq; Nobiliſſ. DD. Conſulum, & Vener. Conſiſtorij Eccleſiaſtici, cum familia reliqua demum aliquanto poſt expiratas Academicas ferias migrat, atque in Nomine Domini Profeſſionem Novi Teſtamenti inchoat. Ex hoc ſcilicet hactenus ordinariè lectionibus publicis textus ſelectos, ac difficiliores, magiſq; controverſos explicat, à variis corruptelis Adverſariorum quorumvis, maximè *Neo-Photinianorum*, ſeu *Socinianorum*, & nominatim poſtremó *Enjedini*, vindicat, atque loco, tempore, & Auditorio ſic exigente, ſubinde ad Praxin Sacram applicat. In publicis Theologicis Diſputationibus pro modulo quoque ſuo officium bonis probatum confidit. In privatis Inſtitutionibus, Collegiis, & Exercitiis, Didacticis, Elencticis, Examinatorijs; Biblicis variis, Analyticis, Conciliatoriis, & nominatim Practicis Propoſitionum, quas vocant, nequicquam in ſe jure deſiderari patitur, præter alia liberalia humanitatis & æquitatis officia, unde

etiam

etiam de ingenuorum Studioſorum viciſſim amore eſt certiſſimus: Et hoc faciliùs fert, quòd hîc in Eccleſia Belgicè docenda non adhibetur, maximè à quo anni ingraveſcunt, & vires corporis decreſcunt, in Dei voluntate ac gratia animo grato acquieſcens, quòd ſaltem per alios à ſe fideliter inſtructos Eccleſias plures paſſim docet, & docturus eſt, quamdiu Domino, & ipſo Servo ſuo, & iſtis uti placuerit, ut opellam ſuam non tamen omninò inutilem vel eſſe vel fore ſperet in eodem ſuo Domino. Nec verò interea nihil hîc in Eccleſia agit, ſed quomodo olim in Vet. Teſt, Sacerdotes ab anno quidem ætatis quinquageſimo à laboribus in mactandis & offerendis victimis immunes erant, conſiliis tamen & curis reliquis aderant: ita Vener. Presbyterio hîc quoque placuit inter alios viros Graves & Spectatiſſimos ipſum adſciſcere ad Regimen Eccleſiaſticum. Et hoc ſanè, ut favoris & judicij de ſe honorificum teſtimonium, admittit, modó dignitas S. Miniſterij ſibi maneat illibata, ne ad vulgarem Levitarum ordinem cenſeatur omninó relegatus, quod proinde & cautum, & in Acta relatum. In Academia ab ann. Ch. 1647. in ann. 1648. Rectoratus, Dei gratia, ipſi ſatis quidem fuit tranquillus, etſi difficilioribus Provinciæ temporibus, ut, præter Illuſt. ac Præp. DD. Ordinum Generalium Nobiliſſ. & Conſultiſſ. DD. Delegatos, ipſe quoque Illuſtriſſ. Princeps Auraicus, *Guilhelmus* p. m. adeſſet, ad diviſionem tollendam. Luctuoſus tamen fuit à funeribus, tum ſui *Petri Bourgeſij*, uxoris ex fratre nepotis, tum plurium ex omni Ordine, Conſulum, Curatorum, Profeſſorum, Studioſorum &c. Jacturam inſuper Academia verebatur, quòd unus & alter è Profeſſoribus ad novam Academiam *Geldro-Zutphaniæ*, ex Illuſtri Schola *Hardervici* tandem erectam, vocatus eſſet, niſi alter perſuaſus ultró renunciaſſet, alter (Experientiſſ. *DD. Antonius Deuſingius* Med. D. hujus noſtri etiam antehàc *Hardervici* Collega conjunctiſſimus) à Nobil. & Ampl. DD. Curatoribus ac Proceribus quaſi retractus & detentus eſſet. Anno Chr. 1652. filiam natu ſecundam, *Annam*, deſponſat Rever. & Doctiſſimo *D. Guilhelmo Wiermanno*, Paſtori Eccleſiæ in *Nunſpeet*, proximè *Hardervicum*, quò ſorores ſibi magis vicinæ ſolatio & auxilio eſſent, duabus reliquis filiabus Parentibus piè miniſtrantibus. Nobiliſſ. & Ampliſſ. DD. Curatoribus ac Proceribus multis ſeſe nominibus fatetur obſtrictum, eiſque ſe & ſuos poſthác quoque commendatos fore non dubitat. Nominatim aliquorum é Proceribus & Magnatibus prædicat inſignem humanitatem & facilitatem interioris & liberioris admiſſionis; atque ex his unum atque alterum vel abiiſſe vel obiiſſe luget. Inprimis ipſi jucunda eſt amica & familiarior conſuetudo cum Rever. Conſultiſſ. Experientiſſ. & Clariſſimis

omnium Facultatum Profeſſoribus, Collegis ſibi omnibus ac ſingulis, plurimùm honorandis.

Atque ita ſe habent *Abdiæ Widmarii* in his terris peregrinationes perpetuę, huc uſque, quando hęc ſcribuntur, Dei beneficio productæ in annum ætatis ipſius LXIII, qui vulgò Climactericus & ſimul Enneaticus, adeoque pręcipuè ſenibus gravis cenſetur, & hinc cuidam (an jure, an injuria?) *Andraclas* dictus.

Quantas ſui & rerum humanarum revolutiones in hoc ſublunari Orbe obſervarit, facilè eſt colligere. Ipſe certè in ſe ſingularis variæ ac paternæ Dei providentiæ adorat exemplum, quodque omnis annorum hominis excellentia ſit *labor ac dolor*, cum Magno Moſe, Dei viro, agnoſcit. Nominatim homines didicit plerunque mutari leviſſimè, ut amici ſæpe ſint minùs amici, ideoque inter illos vitam judicet tutiſſimam, ſua fideliter agere, multa patienter ferre, Deo ſuorum tutori, vindici, & de omnibus providenti unicè confidere, atque illud Davidicum ingeminare; *Doce me, Jehovah, viam tuam, & deduc me per ſemitam planam, propter obſervantes me.* Et gratulatur quidem ſibi maximè de vera ac ſalutari fide ac pietate in Deum, & Servatorem Chriſtum, Dominum ſuum, Spiritus Sancti gratiâ ac dono, agnita & conſtanter aſſerta; quodque ſibi non ſit conſcius ullius juſtæ alijs datæ offenſionis aut ſcandali, facilè aliàs deprecaturu; & ſanctè ſemper caverit, ne ulli ſe muneri illegitimè ingereret; vel, ceu ἀλλοτριοεπίσκοπος aut πολυπράγμων, alienis rebus aut litibus ſe immiſceret; vel divitiis aut inani gloriolæ inhiaret, veritus illud de talia quærentibus dictum Dominicum, *Retulerunt mercedem ſuam*: abſit tamen, ut in hujuſmodi ſe juſtificatum putet, vel ullatenus glorietur, aut de alijs temerè judicet. Miſerrimum ſe potiùs confitetur pęccatorem, ut ſi litigare cum eo velit Deus, huic non poſſit reſpondere ad unum ex mille (*Aberrationes ſuas quis intelligat?*) eoque omnem ſuam juſtitiam ac ſalutem ſitam profitetur in Jeſu Chriſto, ex mera Dei gratia, & ſic unicè gloriatur in Domino. Ad ſcripta publica ſe hactenus non fuiſſe pronum agnoſcit, etſi nullatenus ocioſus, tum quod ſit timidior, indeque tardior, tum quód meliora jam extent, ipſeque aliorum ingenia ac dotes ſemper magis ſuſpiciat. Ad alia tamen quæ contulit, tacet, &; quæ partim edidit, partim hucuſque preſſa edi poſſint, ſubjiciuntur. Quod reliquum eſt, ſicut peregrinus ad patriam, & ſervus ad umbram aſpirat, & ſicut mercenarius expectat, dum fecerit; ita & ipſe, quandocunque Deo placuerit, (qui unus nullis naturæ terminis aut annis alligatus, unicuique homini determinationes fecit, quas non transgrediatur) Dominum ac Servatorem ſuum ſervus anhelus, & deſiderans, ut in permanentem illam civitatem, ſub umbram arboris vitæ, ad æternam è militia requiem avocetur, expectat, & implorat, *Veni Domine Jeſu!*

Quæ

Quæ nomine Abdiæ Widmarij edita ſunt:

Diſputationes Theologicæ adverſus Judæos de Vero Meſſia &c. Marpurgi *an.* 1617.

De Urim & Thummim *Oratio Inauguralis*, Harderv. 1644.

πέντας *Diſputationum de Natura SS. Theologiæ, hujus ſimul Synopſin exhibens, ibid.* 1645.

Columba, *Spiritus Sancti Hieroglyphicum, hoc eſt, Oratio Inauguralis de manifeſtatione Spiritus Sancti, ſub ſpecie columbæ, ad inaugurationem Chriſti circa hujus Baptiſmum*, Groningæ 1646.

Quæ (ſiquidem ita viſum fuerit) edi poſſint:

Theologica opuſcula M. Andreæ Widmarij, *Illuſtris Scholæ* Bremenſis *Rectoris p. m. operâ* Abdiæ *filij recenſita.*

Spicilegium Obſervationum in aliquos S. Scripturæ, tum libros, tum textus illuſtriores. &c.

Sacræ Vindiciæ Doctrinæ & Interpretationis Orthodoxæ adverſus varias SS. Literarum corruptelas, nominatim Neo-photinianorum, *ſive* Socinianorum *&c.*

Dubia & Reſponſa, ſeu, Quæſtiones & Concluſiones de varijs Theologicis capitibus & caſibus.

Orationes aliquot de Sacra olea; *de* Arca Noachi; *de* Aarone *ejuſque inveſtitura typica ad Chriſtum; de recta mortuos lugendi ratione; habitæ ad Rectoratus ſuſceptionem & depoſitionem, ad Doctoræ Theologicæ collationem; ad parentationem. &c.*

Acies Bellorum Domini, *hoc eſt*, Syllabus Controverſiarum Theologicarum, *quæ hodie præcipuè agitari ſunt ſolitæ inter* Orthodoxos *&* Adverſarios, *& hos primùm quoſvis promiſcuè in genere, deinde in ſpecie* Pontificios, Lutheranos, *Anabaptiſtas*, Novatores-Remonſtrantes, Socinianos, *Weigelianos & Fanaticos, Iudæos &c.*

Sylloge Diſputationum è S. Theologia ſelectarum.

Hiſtoria ac defenſio Novæ Belgicæ Verſionis, cum Typographicorum ad editionem primam erratorum indice, & quæ huc faciunt alia.

Anabaptiſtarum Confuſio, *hoc eſt*, Colloquia *aliquoties cum Anabaptiſtarum primipilis in eorundem cœtibus* Uytgeeſtæ *habita, partim à* Notario Publico *excepta, partim poſtea fideliter relata; præter reliqua cum iiſdem acta ac controverſa.* Belgicè.

Chriſtianiſmus Confœderati Belgii, hoc eſt, Apologeticus libelli cujuſdam A. V. T. Antverpiæ *editi, partim de* Religione *&* Chriſtianiſmo Belgii Con*fœderati in genere, partim de Sacramento altaris (ut iſte loquitur) in ſpecie, jam anno* Chr. 1638. *oppoſitus.* Belgicè.

Aliquot Decades ſelectarum concionum in inſigniores Sacras hiſtorias ac textus S. *Scripturæ, & Veteris & Novi Teſtamenti, variis occaſionibus habitarum.* German. & Belg.

Catechiſatio accuratior ad Catecheſin Palatino-Belgicam *inſtituta &c.* Belgicè.

JOHANNES CONRADUS MONÆUS.

DEbet hunc quoque eximium virum Academia noſtra Palatinatui, cujus, ut olim Trojæ excidium ortum Romæ dedit, deſolatio Lycea Eccleſiaſque Belgicas locupletavit. Natale ſolum ei *Crucenacum* oppidum amœniſſimum Palatinatus inferioris ſub juriſdictione Simmerenſi. Pater ipſi ex parte cognominis CONRADUS MONÆUS *Vetteranus Haſſus*: Mater MARGARETA GEORGIA VON STOLPEN familia utraque honoratiſſima & antiqua. Paterna ſanè genealogia inde ab aliquot annorum centurijs deduci poſſit, ſua habens bona, feudo deſcendentia ab Illuſt. Dn. Comitibus à Waldek, quomodo literæ inveſtituræ adhuc exſtantes teſtantur. In optimis autem literis pater adeó excelluit, ut cum laude Rector fuerit Illuſtris & Celeberrimi Gymnaſij Neuhuſiani, etſi ſuis ductus rationibus inde ad Crucenacenſem Rectoratum conceſſit. In Schola hac patria jactis noſter literarum fundamentis, Neuhuſium tanquam ad amplius ſtudiorum emporium miſſus, ſed mox deſerere coactus fuit. Cum enim bello illo crudeli & per 30 annos in Germania continuato Palatinatus arderet, omniaque conclamata eſſent, mox an. Chr. CIↃ IↃC XXI. Illuſtr. hæc Schola Neuhuſiana diſſipata fuit.

Sic fatis urgentibus patriâ profugus Marpurgum commigravit, quod eo tempore commodum pluribus exulibus aſylum, Muſiſq; proſcriptis non ultimum murarium extitit. Hîc ſtudia feliciter continuavit, tum ſub *M. Theodoro Victore*, Profeſſore Linguæ Græcæ & Pædagogearcha, tum in Academia, in qua ſummos habuit Philoſophos, *D. Rodolphum Goclenium*, *D. Georgium Crucigerum*, *D, Johannem Combachium*, alios: nec non celeberrimos ICtos *D. Hermannum Vultejum*, *D. Ioh. Gœddeum*, *D. Ant. Matthæum*, *D. Chriſtophorum Deichmannum*, ut non potuerit non ad culmen omnis eruditionis, imprimiſque juriſprudentiæ, aſcendere. Imprimis celeberrimi ICti & Anteceſſoris Eminentiſſ. Dn. D. *Vulteji* familiaritate & interiori ac domeſticâ admiſſione uſus, utpote ſanguine propinquo junctus. Heidelbergâ, illo mercatu & communi Prytaneo bonarum artium, occupatâ, Marpurgum, rebus ſuis ſic poſcentibus, cùm excurriſſet, in reditu Marpurgum repetens Comitem nactus incomparabilem *Bacchovium*, qui eodem contendebat, fixam ſedem Eunomię ſuæ quæſiturus, à quo in via rationem ſtudij in jure inſtituendi ſciſcitanti ſaluberrima conſilia ſuggeſta ipſe ſolebat deprædicare: Cum eodem in iſto itinere eam quoque ſortem habuit communem, quod in palantium illapſi militum manus, omni uterque argentario, quod ſecum ferebant, pręſidio fuerint emuncti. Brevi poſt gliſcentibus turbis



Ex vultu CANDOR, VIRTUS *ex pectore, fraudis*
Expers ſe prodit cognitione FIDES.
Inſpicito hunc vultum, et CANDOREM *agnoſcito: pectus*
Explora, VIRTUS *quô generoſa latet:*
Vitæ adſueſce Viri, mecumq; fatere MONÆI
Raras VIRTUTES *ingenuamq;* FIDEM.

C. I. Bucholz ICtus et Anteceſsor.

tibus turbis Haſſiacis, iſta quoque ſtatione exutus, Bremam contendit, jam olim non contemnendum bonarum artium ſeminarium, ubi cum Patriciorum primariorumque in Civitate ac Gymnaſio Virorum familiaritatibus uſus eſt, tum eximiè carus fuit Celeb. Philologo ac Theologo *Matthiæ Martinio*, Scholæ illius Rectori perpetuo. Ei cum pateteciſſet deſiderium, quo flagrabat exteras luſtrandi Regiones, ipſo autore aliquamdiu ibidem commoratus, voti ſui brevi compos factus eſt, à Gener. Domino Ennone Guilelmo Barone ab Inhauſen & Kniphauſen, Dynaſta in Lutzenborg vocatus & datus Ephorus ſtudijs ac moribus filio ipſius Ill. & Gener. *Dn. Rudolpho Wilhelmo Baroni in Inhuyſen & Kniphuyſen Dynaſtæ in Lutzenborg & Bergum*, nuper Athenei noſtri Curatori gratioſiſſimo, nunc inter Ill. Dn. Ordines Generales Deputato ſpectatiſſimo. Cùm hoc accuratam inſtituit peregrinationem, ac primúm prolixum per Gallias iter emenſus Genevæ ad tempus ſubſtitit. Ibi Clariſſimis *Tronchino*, *Spanhemio*, ac *Steinbergio* poſtea Collegæ in Academia noſtra amiciſſimo, primúm ſe inſinuavit, uſque uſus inde eſt familiariſſimè. Præ cæteris verò Nob. & Ampl. *Gothofredo Dionys. F.* Jurium Antiſtiti & Conſuli, ſingulari animorum coagulo adhæſit, cum eo de graviſſimis quæſtionibus conferre ſolebat, qui cum ſemper (ſæpè etiam ad vagam corporis juris aperturam) ſingulare quid ei elucidaret, eas obſervationes marginibus codicis ſui accuratè annotabat, quas ipſe amicis narrare & oſtendere cum grata memoria benè meriti, ſolebat. In jure, poſt avocatum inde ad Academiam noſtram Cl. *Steinbergium*, Collegia privata non una, ſed varia habuit, ut nemo dubitaret Profeſſionem ibi ipſi demandatum iri, niſi vehementius, quòd eum inceſſeret peregrinandi deſiderium, aliò animum ejus avocaſſet. Pedem Genevâ movens cum Generoſo ſuo Barone ſe accinxit ad Celticam, Italicam, Britannicam viſendas. In itinere Italico Landgravium etiam Haſſiæ *Fridericum* ſibi aſſociavit. Perluſtratis ita præcipuis Galliæ, Italię, Angliæ urbibus, ipſaque olim orbis Domina Romà, compellatis, quos quovis loco reperiret, viris primarijs, literis imprimis ac famâ commendatis, inſpectiſque ubique antiquitatis veſtigiis ac monumentis viſu dignis, etiam primarijs Hiſpanicæ Juriſdictionis provinciis, prę cæteris verò Regno Neapolitano florentiſſimo, non tantúm promtiſſimum Linguę Italicæ Gallicæque ſibi uſum comparavit, ſed leges etiam, mores, inſtituta ſingulorum ſingulari ſtudio obſervavit atque didicit, ut prudentia ac facundiâ quadam Ulyſſeâ de varijs rebus jucundè cum omnium attentione diſſereret. Abſoluto prolixæ peregrinationis curriculo, Gener. ſibi concreditum Baronem patrijs laribus parentumque gremio ſalvum & incolumem reſtituit. Hamburgi, quæ Civitas Gener. Dn. patrem ejus Chiliarcham habebat ac prę-

bat ac prę-

bat ac præfectum. Inde Rintelium, cúm Academiæ illi inſtaurandæ Illi ejus Mæcenates incumberent, legitimè vocatus ad Profeſſionem juris, eó ſe contulit, ſpartamque eam capeſſivit Anno 1642. ante re, quàm nomine Doctor & ICtus: quem titulum & gradum anni demum ſequentis 7. Febr. munere ſic poſcente, ſuſcepit in eadem Academia, more rituque ſolenni. Quibus honoris ejus natalibus, teſtando ſingulari favori, pręter alios viros ſummos, ſex quoque Comites Schaunburgi, Triga maſculi ſexus, Triga Illuſtrium fœminarum, præſentię ſuæ ſplendorem accommodare atque affulgere non ſunt dedignati. Inde præter ordinaria Acad. exercitia ad Conſilia de ſumma rerum adhiberi ac conſuli cœptus, in quibus deliberationibus cùm exquiſitam prudentiam ſuam juriumque cognitionem luculenter expromſiſſet, mox cum Ill. ac Gener. *Dn. D. Philippo Comite Schaumburgico ac Lippiaco Academiæ Erneſtinæ ſupremo ſtatore* ad Comitatum, quem Epiſcopus Mindenſis affectabat, vindicandum & aſſerendum Legatus miſſus in Sueciam, ibique apud Sereniſſimam Reginam & Regni proceres cauſam fideliſſimè egit, feliciterque obtinuit. Brevi poſt ad Celſiſſ. Haſſiæ Landgraviam Ameliam Eliſabetham, Heroinam potentiſſimam, Caſſellas ablegatus propter unam aliqualem partem ejuſdem Comitatus in ſecuritatem vindicandam, ex voto Ill. ablegantium munere ſuo defunctus eſt; ibi & Oſnabrugæ, quo eandem ob cauſam ad Suecicos Pacis Caduceatores miſſus fuit, re feliciter expeditâ. Eâ occaſione Ill. illa Heroina operam ejus expetivit, ut eo Legato in Tractatibus illis Pacis univerſalis Monaſterij atque Oſnabrugæ uteretur, ut etiam à diverſis Germaniæ Principibus literis ad ipſum manu propriâ exaratis ad Conſiliarij munus invitatus fuit: ſed ipſe, qui ornandæ Spartę Academicæ talentum ſuum deſtinaſſet, ab eo ſuo decreto deflectere noluit. Interim conſilijs dandis, quæ, & dum Rintelij hæret, & dum hîc commoratur, undique in varijs & graviſſimis cauſis ab eo petebantur, ſubactum ingenium & ſolertem ἀγχίνοιαν in diſſolvendis ancipitis juris nodis Collegis ſuis & eximiè clientibus comprobabat. Dum Rintelij degit, omnia cætera ex voto nec quicquam ſiniſtri ei evenit præter inopinatam ſemel Cæſarianorum irruptionem, qua in communi Oppidi & civium direptione ipſe quoque non parvo damno affectus, atque in ædibus veſtibus ſpoliatus ac ſic nudatus relictus, quo tamen nuncio in aula percepto, è veſtigio inde aliæ (qui erat Gener. in eum favor) ipſi veſtes fuêre ſubmiſſæ. Fixo verò lare & fabricata ſic utcunque fortuna ſua Rintelij, quo tetricis Oeconomiæ curis ſe exſolveret vitę ſociam ſibi delegit & adjunxit an. 1645. d. 2. Febr. lectiſſimam tunc virginem ANNAM CATHARINAM WIPPERMANNIAM, natam Nobil. & Ampl. *Dn. Johannis Wippermanni* Conſiliarij & aulæ Magiſtri Schaumburgici. Ex qua viventi filiæ

venti filiæ

venti filiæ duæ, & tertia ei poſthuma nata. Cum Spartam illam Rintelenſem per triennium ſecundâ famâ & bonorum omnium applauſu ornaſſet Ann. 1645. XI. April. ex decreto Ill. Ord. in Comitijs facto, in hanc noſtram Academiam in locum Cl. *D. Nicolài Langij* vocatus eſt; cui vocationi, licet à Clariſſimis Collegis & Studioſis Juris, cui chariſſimus erat (ut utrique propempticis, quibus diſcedentem proſecuti, Studioſi inſuper magno numero ipſummet comitati vel ſecuti, abundè teſtati ſunt) ægrè avelleretur, tamen, tum ob alias cauſas, tum quod non ſatis tutam inpoſterum ubi erat ſtationem ob belli pericula ſibi futuram auguraretur, promptè annuit, & huc cum familia profectus, 27. Octobr. eſt inauguratus. Etſi autem triſti fato Academiæ in hâc Spartâ ornanda brevis nimis ei fuerit periodus; tamen & ſic in eâ totum ſe virum patefecit, ſolerti induſtriâ ac religiosâ fide partibus ſibi demandatis defunctus, ut nec publicè in Cathedrâ, nec privatim, ſive docendo ſive diſputando amplius quid exſpectare aut optare ab eo poſſet legum cupida juventus, niſi ut annis longè pluribus eâ ipſius inſtitutione frui ſibi liceret. In omni verò vitâ ſingularem Numinis reverentiam ac pietatem verbis factiſque teſtabatur, tum conſtanti ſacrarum Concionum auſcultatione, tum aſſiduâ & quotidianâ ſacri Codicis lectione, quem non minus ac Codicem Juſtinianeum faciebat, & quotannis (rarò, nec ita multis forte Theologiæ Candidatis communi exemplo) à capite, ad calcem integrum exactè abſolvebat. In actionibus ipſius verbiſque omnibus ſincera probitas ac candor fuci omnis expers ab omni hiſtrionica (licet & in Aula verſatus, & cum ingenijs Italicis multum conflictatus eſſet) abhorrens, elucebat: humanitas, comitas, affabilitas obvia, animus benè merendi conſilio, opera, ope promptiſſimus: pacis & concordiæ ſtudium perpetuum ab omni contentione alieniſſimum: pectus generoſum, ſerium, frivola ac ineptias, quæ plerumque in circulis reciprocari ſolent, aſpernans, & ſemper grave aliquid ac dignum viro vel promens ipſe, vel ab alijs exſpectans atque eliciens. Hinc carus Collegis omnibus; arctiorem tamen præ cæteris cum Cl. *Jacòbo Altingio* ob peculiare & Patriæ communis, & affinitatis alicujus vinculum, amicitiam percolens. Tum, de quo ſibi ſæpiſſimè gratulari ſolebat, interioris ac gratæ admiſſionis erat apud Ill. & Excellentiſſimos *Ludovicum* & *Joachimum Camerarios* ac *Paulum Straſburgerum* Reginæ ac Coronæ Suecicæ Exlegatos ac Conſiliarios, quibuſcum & ſeria de gravibus rebus, & nunquam non jucunda ac utilia colloquia crebrò miſcere, nec proletaria affectus propenſi ſigna ac teſtimonia plurima referre. Ut poſtrema quoque paucis attingamus, cùm corporis eſſet aliàs benè compacti ac vegeti, nec ita morbis obnoxij, calculus, (cujus tormenta toto vitæ prioris curſu ter tantum ſe expertum narrabat, bis Genevæ, & ſemel Pariſijs, à vita ſe-

dentaria & aſſiduâ lucubrationum contentione (dum de alijs benè mereri ſtudet, in ſe ſævus) fomento ſuppeditato, infeſtior in eum irruens, tandem proſtravit & extinxit. Quatuordecim diebus ante morbum queſtus de corporis aliqua indiſpoſitione & punctura ac pruritu in ea brachij regione, ubi conſueverat venæ ſectionem quotannis admittere. Cl. autem viro *D. Deuſingio* monente, ut pharmaco uteretur purgante, ac curaret ſecari venam, reſpondebat ob negocia quædam nondum ſibi vacare. Cui tunc Cl. Medicus repoſuit, etiam morti, multò magis Hygieiæ vacandum eſſe. Triduo ante decubitum, cum initia debilitatis ſentiret, ſequenti die præſidis munere functus, illico poſt primâ horâ, qua de dolore nephritico queri cœpit, tanta debilitas adfuit, ut ferè in deliquium animi incideret, quod ſingulis fermè momentis metuebat. Huic debilitati ab interna diſpoſitione pendenti, exiſtimabat Experientiſſimus vir olim dediſſe occaſionem frigus intenſiſſimum, quo, cum ut innuimus, nudus effugeret manus Cæſarianas, totus obriguit: quippe ab eo tempore ſe debilioris fuiſſe conſtitutionis ſubinde retulit. Poſtera die, quæ fuit Dominica, vincente pietatis zelo acriuſque ſtimulante, quàm dolores lancinantes, qui infeſtare jam cæperant, in concione Gallicana à Cl. *D. Mareſio* habita ſe ſtitit, ſed invaleſcentibus cruciatibus Rev. *D. Paſori* ipſi adſtanti profeſſus, ſi tam graves inſultus potuiſſet præſentiſcere, ſatius fuiſſe domi ſe continere. Comitatus is eum langueſcentem domum, cumque jam in horto inambulare conatus eſſet, vi morbi prævalente lecto ſe componere coactus eſt, & mox Cl. Medicos Collegas ſuos *Dn. Dn. Deuſingium* & *Perizonium* advocari curavit. Præcipuus affectus fuit calculus renum, (quem carnificem ſuum Eraſmus ac ſæviſſimum tyrannum longe Mezentio & Phalaride crudeliorem appellitabat) ad caput Ureteris devolutus, qui tandem ob continuum cruciatum, torporem partium inducebat, ut ultimo die imprimis videretur dolor remiſſior. Cum verò nihil cauſæ morbificæ excerneretur, partim ob mali pertinaciam, partim quod ob continuum vomitum medicamenta non admitterentur commodè; ſeroſa corporis materia, alioqui per illas partes excerni ſolita, per corporis habitum magnam partem delata eſt. Hinc pridie ante obitum caput valde intumuerat, ipſumque collum, unde & de phantaſia erronea ſubinde intercurrente conquerebatur, quam tamen ratio vegeta & ad extremum halitum ſibi conſtans, corrigebat. Ipſo die obitus, brachia cæterique artus plane laſſi erant, ut quaſi paralyſin paterentur, nec adeo ſuſtineri, multò minus attolli poſſent. Nempe eadem ſeroſa materia per corporis habitum diffuſa nervoſas partes occupante, ipſumq; facultatis animalis robur enervante. Poſt meridiem detumeſcebat caput, ſed tunc circa cor ipſum omnia graviora

evadebant,

evadebant, maximaque aderat cum maxima enervatione, partium anxietas. Audito triſti morbi ejus nuntio plerique Collegarum ſinguli, ut ſibi aut ipſi commodum, eum inviſere, & pro ſe quiſque ſtudia ac officia deferre, quorum nemo non ab ipſo ita mœſtus diſceſſit, ac ſi fratris ſui in eo vita ageretur. Quod tamen ob continuam morbi ſævitiem minus tempeſtivum obſervarent, vel pręſentia ſuâ liberos ejus gemitus interpellare; vel ſi fortè induciæ breves concederentur dolorum, quieti intercedere, infrequentiores poſt in compellando eo fuêre, contenti per internuncios de valetudine ejus ſciſcitari ac edoceri. At morbus quotidiè incendi & cum incremento doloris ingruere ſymptomata gravia morbi capitalis comites, omnemque vitæ commeatum paulatim intercipere, vireſque magis magiſque dejicere, ἀνορεξία, δυσυπνία, eæque contra omnem Medicorum artem contumaces. Ipſe jam mox à morbi initio ad beatam ἀνάλυσιν ſe comparans, non tantum animum eum cordatè profitebatur, ſed & dilectiſſimam conjugem ingemiſcentem ejus morbo, illacrymantem & graviora ominantem, conſtanti animo, vultu, voce conſolatus, divinæ Providentiæ ſpe ſuffulciebat, qui cum volucres cœli & lilia campi veſtiat, ipſi liberiſque ſuis fiducia piâ in eum reclinatis abundè ſit proſpecturus. Delectabatur imprimis præſentiâ *Dn. Altingi* & ſacris conſolationibus ab eo ſuggeſtis; adeò ut ſubinde accitum poſtularet ex fontibus Iſraëlis inſtillare ſalutaria, eaque tam avidè tantoque cum emolumenti ſenſu, admittebat, ut clariſſimis Medicis de pharmacis exhibendis deliberantibus, ad ipſum converſus, *veſtrum*, diceret, *pharmacum omnium eſt optimum*; animæ nimirum medicinam ex ſacris hauſtam deprędicans. Poſtremo ac fatali die & horâ preces præeuntem verbis conceptis Rev. *Dn. Zaunſchlifferum*, qui non ſine Numine & quaſi ἀπὸ μηχανῆς ultimo huic ejus agoni intervenerat, fervido zelo animoque ſecutus, tum voce ſatis clarâ ipſemet pari devotione orationem Dominicam adjecit, ſimulque paulò mox Cygneam ſuam recitavit cantionem ex Hymno in Germanijs noſtris uſitatiſſimo, hymno planè flexanimo & vorticordio, quo precatus fuit, ſibi verſanti in luctâ, debili Chriſtus ſuccurreret, ſe enim ſoli ejus gratiæ adhærere, & quæ in illo hymno ſequuntur. Tum obvertens ſe ut in latus incumberet, ſic Germanicè fatus: *Waarlich ich will Schlaffen*, *Revera ſomnum capiam*, eaque voce myſtica ultimum vitæ ſuæ actum clauſit, atq; ita placidiſſimè ſine ullo angore, ſine ulla convulſionis deformitate in Domino obdormivit. Exequiæ ipſi more ſolenni à Senatu Acad. & ſtudioſa Juventute factæ, corpuſq; ejus in choro templi Academici honeſtè contumulatum eſt. Poſtridie Cl. *Dn. D. Johannes Steinbergius* Juris Anteceſſor primarius, Collega Collegæ deſideratiſſimo parentavit.

S C R I P T A.

Tractatus de Legum Interpretatione, Diſputationibus.
Tractatus de Iure Publico.
Explicatio Rubricarum ad Digeſta.

JOHANNES BORGESIUS.

JOHANNES BORGESIUS primam lucem intueri cœpit anno currentis hujus ſeculi duodeviceſimo, die tertio decimo Junij, veſperi inter horam nonam & decimam. Locus natalis fuit ager Omlandicus, atque ſpeciatim qui in illius diſtrictu primo, qui ab Huneſo amne nomen fert, pagus occurrit exiguus, nomine Weſter-Witwert / additamento plagæ Occidentalis deſignari ſolitus, quo diſtinguatur tum à Witwert pago ſimpliciter ſic dicto, in quo olim fuit cœnobium velatarum virginum, ad regulam ordinis S. Johannis compoſitarum, tum etiam ab Ooſter-Witwert in Fivelgonia. Parens eſt JOACHIMUS BORGESIUS, eo tempore Eccleſiæ, quæ in pago jam notato Chriſto colligitur, anteceſſor ac paſtor, nunc verò ultra quatuor atque triginta annos, Groninganus gymnaſiarcha. Proavus patri cognominis proprios fundos habuit in interiori Saxonia, ſub Duce Hareburgenſi in pago *Mabbolbultel*: cui fuerunt filij tres, & filia unica, ex quibus quæ natu minima, pro more gentis ſedem paternam accepit. De reliquis propinquis paternis quamvis multa dici poſſent, hoc loco tamen prætereuntur, ac ſolum refricatur memoriâ Rev. Magiſtri JOACHIMI WERMERI Hamburgenſis, quem Magni titulo condecoravit Beatæ memoriæ DN. NIC. MULERIUS, in Programmate ferali HENRICO RODOLPHI genero illius ſcripto. WERMERUS hic ut parenti hujus Borgeſij [cujus mater CATHARINA WERMERI] fuit avunculus patris inſtar venerandus; ita optime meritus per viginti annos de Eccleſia Orthodoxa civitatis Groninganę, cui ante omnes alios datus paſtor, ex quo 13. d. Julij anno XCIV. ſuperioris ſeculi, reliquis Belgij provinciis, quæ à federe perpetuo nomen habent, fuit ſociata: in ſpem patriæ ſuæ tempore liberandæ, à Groninganis Bremæ exulantibus (qui norant, eum ob profeſſionem Orthodoxæ veritatis anno 1589. Hamburgo à Flacianis ejectum fuiſſe, nec ſubſiſtere potuiſſe Witebergæ, Theologiam licet Orthodoxam ſub Chriſtiano I. pacifice docuiſſet in Academia,) diu antea Eccleſiæ deſtinatus, ac per eos ſubductus interiori amicitię ſummorum virorum *D. Chriſtophori Pezelii*, & *D. Urbani Pierii.* Avus, cujus nomen tulit JOHANNES BORGESIUS, fuit honeſtus apud Hamburgenſes civis & mercator, qui comparata navi, mercaturam in variis ad Albim civitatibus, maxime Magdeburgo, exercere ſolet. Mater viti fœcundæ non abſimilis, eſt lectiſſima matrona, etiamnum per Dei gratiam ſuperſtes, *Gertrudis Houbingh*, filia Rev. *Henrici Houbing* primo Rectoris Dammonenſis, dein Paſtoris in pago 't Sandt / cujus uxor, *AnnaCouvroirs* Antverpiana, prius nupta fuerat *Dn. Arnoldo van Nyeveen*
Medi-



Borgesi hæc facies è pulchro corpore picta eſt,
Ingenij faciem pinxit at ipſe ſui.
Doctior an melior ſit, nullus dicere poſsum.
Pars bona philoſophi, maxima pars Medici.

MART. SCHOOCKIVS *prof.*

Medicinæ Doctori. Hiſce parentibus editus, quod à prima ætate altioris indolis igniculi ſe proderent, cum cura ab iiſdem eſt educatus, quodque pater, in eo animadverteret ingenium diſciplinis percipiendis accommodatum, ſeptennem ex ſuarum ædium anguſtiis, in ampliorem Gymnaſii ſui aream deduxit; in qua Bonæ Mentis palæſtra, ipſe ſingulare modeſtiæ, induſtriæ, ac diligentiæ exemplar, ſubſtitit ad annum ſextum decimum ætatis, profecitque non ſolum in lingua Latina feliciter, ut, ſive prorſa ſive vorſa oratione ſcriberet, non minus cultus quam nitidus notaretur; verum etiam in lingua Græca eo uſque progreſſus, ut pauci occurrerent ex poëtis quoque, in quibus interpretandis magnam difficultatem offenderet, jactis amplius ſolidis fundamentis, non minus in dicendi & diſſerendi arte, quam in pleriſque utriuſque Philoſophiæ partibus. Sexto decimo ætatis anno, qui erat hujus ſeculi quartus ſupra trigeſimum, Academiæ hujus civibus adſcriptus eſt, quæ tamen promotio legitime atque ordine procurata, neque ſpiritus ei addidit, neque ad vivendum liberius animum, quum, quamdiu ſtudiorum gratia hic vixit, modeſtiæ, ſobrietati, & continentiæ religioſiſſime litarit. Quod vero genuinum ſtudioſum, perpetuo ex antiqua formula tum *hoc agere* oporteat, tum meminiſſe ſtudiorum gradus fieri debere; neque otio ſe frangendum dedit, neque multorum exemplo deſultorio ordine ſimul per varias oberravit diſciplinas; ſed exorſus á ſuaviſſimæ Philologiæ Latinę atque Gracæ ſtudio, adeo pertinaciter ei incubuit, pervigil atque pernox in omni antiquorum authorum genere, ut non ſolum eleganter atque Latine loqui & ſcribere potuerit, verum etiam carmen utraque lingua tam felici vena, ſtans pede in uno profundere; ut, ſi ad poëſin componere ſe voluiſſet, ante primam quoque barbam paria feciſſet cum præſtantiſſimis hujus ſeculi vatibus. Ad philoſophiam deinde, tam Theoreticam quam practicam, animum applicuit, ſub manuductione Rev. D. *Matthiæ Pasoris*, itemque Cl. D. *Franciſci Meyvartii*: ſic, ut interea ſtudium quoque Gręcum, quam maxima pertinacia excoleret, auditor frequens Cl. D. *Tobiæ Andreæ*: delectabatur vero ſummopere diſciplinis Mathematicis, quarum non ſolum promulſidem, ſed ſolidiora quoque fercula, D. *Parens* jam tum guſtanda dederat; eoque, non ante quietem à ſemet impetrare potuit, quam quicquid ad illas pertinet in pectoris ſui ſacrarium coëgiſſet. Ex Matheſios autem partibus nullam æque in delitiis habuit atque Aſtronomiam, quod homo natus ad contemplandum, nihil poſſit majus, ſublimius, excellentius, & illuſtrius illis plagis intueri, tantoſque, vixdum ex Ephæbis egreſſus, in ea fecerat progreſſus, ut, in civium ſuorum gratiam, ad plures annos accuratas Epheme-

merides non ex aliis exſcripſerit, ſed ad urbis hujus Meridianum compoſuerit. Amplius admodum adoleſcens, bona cum venia Clariſſimorum Profeſſorum in hac Academia, varia Collegia Mathematica habuit, ſuamque induſtriam non ſolum probavit iis qui per eum profecerunt plurimum, verum etiam illis quos veluti conatuum ſuorum inſpectores reverenter ſemper coluit: hoc ipſo tempore in charta chorographica, faciem hujus Provinciæ accuratè exhibente, liquidò probavit Geographiam aliquando ſibi devotam fore; illamque contractiorem, ut commodius inſeri poſſet libello Celeberrimi Dn. *Ubbonis Emmii* de agro Friſiæ, ætate jam maturiori, adornata eum in finem lamina ænea ſua manu ſculpſiſſet, niſi ſecus viſum fuiſſet Typographo, qui, ut Authori parceret, eam Amſtelodami cælari curavit. Ejus jam erat ætatis, ut cogitare deberet de ſuperiori aliquo ſtudio, cui, ſive in Eccleſiæ, ſive in Reip. gratiam ſe conſecraret, cujuſque ſubſidio ſuo tempore inclareſcere atque per hominum ora circumferri poſſet. Non convenit autem initio inter eum ipſum & parentem, quem licet in oculis ferret, obſervando ſingula quoque illius verba tanquam totidem oracula, non potuit tamen á ſuo ingenio impetrare, ut illud Theologiæ conſecraret: quibus rationibus fuerit motus haut per omnia liquet. Quoniam tamen verebatur ulla ratione Venerandum parentem offendere, antea ad Medicinam, quam aliquando ſe exornaturum confidebat, non fuit auſus animum appellere, quam uſus fuiſſet interceſſione viri in hac Republ. ſummi, Nobiliſſimi atque Ampliſſimi Dn. *Bertholdi Wicheringe*: qui tum notabatur Conſul hujus civitatis digniſſimus. Quamvis eum poſtea inſtituti pœnituerit, luminibusque captus ſępiùs optarit, vice dogmatum Medicorum, mentem repleviſſe ſcitis Theologicis. Quod verò prono non tam affectu, quam toto animo ad Medicinam ferretur, aut potius in ejus amplexus rueret, brevi temporis ſpatio plurimum in illa profecit, primo uſus in hac Academia præceptoribus D. Doct. *Iohanne Freitagio*, & D. Doct. *Conrado Matthæo*; atque poſt eorum immaturum Academiæ exceſſum, D. Doct. *Henrico Welmanno*, ſub cujus præſidio uti maximo cum applauſu Theſes Medicas propoſuit, ſic eidem, quamdiu per fata licuit, interioris admiſſionis amicus fuit. Præcipuè coluit experientiſſimum *Freitagium*, cui adhæſit, quod noſſet ipſum longo uſu raram ſibi in praxi Medica (quam feliciſſimè exercuit) prudentiam comparaſſe. In incude ſtudii medici etiamnum poſitus, tantam artis ſuæ habuit fiduciam, ut auſus fuerit ejuſdem tyrocinium deponere: non in Care aliquo, aut paupere pupillo, aut homine de ſtiva, ſed eo quem omnium mortalium cariſſimum ducebat, ſcil. honorando ſuo parente; cui ex morbo pectoris, ac reſpirandi difficultate fermè ſeſquimenſem

menſem decumbenti, tam feliciter præparatam potionem exhibuit, ut eadem, poſt Dei miſericordiam, brevi priſtinę valetudini reſtitutus fuerit. Quum vero non minus *Ipse*, quam illi, ex quorum arbitratu ſe ſuaque omnia componere pulchrum ducebat, probè exploratum haberent, interdum expedire patriam negligere, ut ſapientia acquiratur: Poſtquam integrum ſexennium in hac, patria ſua Academia, tempus optime diſpunxiſſet, peregrinationem Academicam inſtituere cœpit. Primo autem ad Academiam Ultrajectinam delatus eſt: ſed in illa, quod Lugdunum in Batavis, ex quo domo deceſſerat, animo circumferret, modico ſolum tempore ſubſtitit, in Medicina ſectans Experientiſſimum D. Doct. *Guilielmum Stratenum* hoc tempore domus Auraicæ archiatrum: aſſiduus quoque auditor Cl. Dn. *Antonii Æmilii*, ibidem digniſſimi Hiſtoriarum Profeſſoris: Offendit hic quoque feliciſſimi ingenij virum, veterem ſuum contubernalem Cl. Dn. *Jacobum Ravenſbergerum*, tum Matheſin non ſine applauſu ſtudioſæ juventutis profitentem, cum quo ut multas horas tranſegit jucundiſſimè, ita brevi admodum intervallo eundem ad meliores ſedes ſecutus eſt, cum & ille, inſtar ſolſtitialis herbę, inter prima famæ auſpicia ante triennium occubuerit. Ultajecto Leidam conceſſit, pellectus Academiæ celebritate; in qua ut à multis annis honos potiſſimum facultati Medicæ ſteterat, ſic ea hoc tempore ad ſummum veniſſe videbatur. Medicinam ſiquidem docebant *Otto Heurnius* celeberrimi illius *Iohannis Heurnij* filius digniſſimus, *Ewaldus Screvelius* Practicus feliciſſimus, *Adolphus Vorſtius* patre ſuo *Ælio Everardo* nequaquam inferior, *Adrianus Falcoburgius* in ſecandis cadaveribus qua hominum, qua mutarum pecudum, adeo exercitatus, ut componi potuerit cum præſtantiſſimis Anatomicis; & *Antonius Walæus*, reliquis licet junior, neſcius tamen ulli ex illis cedere: hos omnes licet ſedulo audiverit, addictus tamen præ aliis fuit *Vorſtio* ob herbarum raram ſcientiam, atque *Walæo* propter ſingularia, quæ in Anatomicis obſervaverat. Ut priùs in hac Academia alios Matheſin docuerat, ita in Leidenſi periculum fecit inſtitutionis Medicæ, pluribus ſtudioſis in diſciplinam acceptis, quibus principia Medica inculcavit feliciſſimè. Juſto tempore commoratus Leidæ in Gallias trajecit, fixo primitus domicilio Pariſiis, quo non tam univerſi terrarum orbis epitomen intueri animoque complecti poſſet, quam cadavera inſpiciendo [quæ, in maxima illa urbe, quaque fere hebdomade à peritiſſimis artificibus ſecantur] devenire ad interiores Anatomiæ receſſus. Innotuit, dum hic ſedet, multis viris doctis, maxime Medicis. Quod verò urbis tantę frequentiam ſtrepitumque ſtudiis ſuis, quæ ſeceſſum amant, officere animadverteret, de loco mutando cogitavit: licet autem primo cogitaret Montem-Peſſulum, celebrem ab anno milleſimo

centeſimo

centeſimo nonageſimo ſexto Academia, atque in ea præ cœteris facultate Medica, inſtitutum tamen mutavit, prætulitque Andegavum, ſeu Ptolomæi Juliomagum provinciæ Andegavenſis caput, celebreque ab anno temporis ultimi milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo Athenæo; in quo quamvis ad multos annos primas obtinuerit Juridica Facultas, hoc tamen tempore in Medica facultate octo occurrebant Profeſſores, omnes in arte ſua præſtantes. Nec tamen conſcendit Jovis quadrigas, ſed modicis progreſſus eſt itineribus, tum ut videre poſſet Aureliam, Blæſiam, Turonium, Salmurium, aliaſque civitates, atque per moram, quam, ſedendo in iis trahebat, linguæ Gallicę peritam promptitudinem ſibi comparare; tum etiam ut in hoc tranſitu propius varias plantas, ſolo Gallico, variiſque illius provinciis vernaculas, cognoſceret. Andegavum ſimul ac venit, prima ei cura fuit, ut medicis, atque in iis Excellentiſſimo, & Experientiſſimo D. Doct. *Baillif*, Profeſſorum primario innoteſceret, cui tantopere ſe probavit, ut non ſolum candidiſſimos ſuos mores, diffuſam eruditionem, promtumque eloquium exoſculatus fuerit, verum etiam ſe in contubernium & convictum receperit; conceſſo ad hoc uſu Bibliothecæ, omnigenis libris medicis, atque inter eos, plurimis Græcis inſtructiſſimę: deductus amplius quotidie ab eo fuit ad valetudinaria publica, adhibituſque conſultationibus medicis, ibi inſtitui ſolitis: curam quoque variorum ægrorum ibidem cubantium ſuſcepit, quo praxi medicæ, quam aliquando in Patria exerciturus eſſet, hac ratione præluderet; atque per experimenta varia artis certitudinem exploraret. Quod dum agit, á toto Collegio Profeſſorum Medicorum invitatus eſt, ut pateretur ſibi lauream doctoralem, ſupremoſque in medicina honores conferri; quos, utpote ſpectatus ſatis, quamvis citra examen & diſputationem conſequi potuiſſet, noluit tamen ſimilis videri illis, qui bullatis tabulis antea ſunt inſtructi, quam familiaribus eorum conſtet, quibus diſciplinis ſe conſecraverint: eoque, quod plurimos per annos non fuerat tactum, & cujus rei memoria apud Academicos propemodum interciderat, per biduum, loco publico & patente, à ſingulis ex Profeſſoribus ordine eſt examinatus, examinatoribus nullis lineis inhærentibus, ſed quoque pro arbitratu tale dubium movente, quod Gordij nodi inſtar eſſe credebat. Poſtea diſputationem de Catharro propoſuit, arguenteſque, præter eos, quos examinatores antea habuerat, expertus eſt multos, quos ſpes gloriæ exciverat. Objecta tela ſic excepit, ut in eos, qui miſerant, aut retorqueret, aut iuvalida eſſe oppoſito ſcuto reſponſionis, ſolidis rationibus ſuffultæ, probaret; adeo ut ſtupori fuerit iis, cum quibus antea converſatus non erat, BORGESIUM autem in BORGESIO agnoverint, quotquot guſtulum eruditionis illius antea delibaverant. tam

verant. tam digno candidato condignum datum teſtimonium. Munitum illud fuit non ſolum ſigillis ſolitis, verum etiam ſubſcriptione omnium Profeſſorum. Hoc honore ſublimis, ſubmiſit ſe demiſſè; & quaſi multo eruditionis viatico adhuc inſtruendus eſſet, cum ſingulis ex Profeſſoribus egit, ut, ſi quæ rariora in praxi Medica obſervaſſent, communicare dignarentur: quorum favorem cum erga ſe pronum experiretur, nequaquam ſibi deeſſe voluit; ſed integras noctes, quod dierum dimenſum non ſufficeret, colligendo huic theſauro impendit; non quod crederet eos demum in Medica arte excellere, qui remediorum formulis obſervationibuſque hiſtoricis præ aliis ſunt inſtructi; ſed, ut ex moderamine prudentiæ, habitâ ratione temperamenti cujuſque, item loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum, ab his experimentorum commentariis quacunque ratione adjuvari poſſet. Inter ea reputans, quod diu in Patria deſideraretur, eaque conſecutus eſſet; ob quæ iter ingreſſus erat, inſtructus ampliùs plenâ linguæ Gallicæ cognitione, ſuorum ſpem diutiùs eludere noluit, ſed eos ſuo reditu quanto ocyus recreare: quod accidit adulto autumno anni hujus ſeculi XLV. Primos menſes, quos redux in Patria tranſegit, impendit honeſto amori, à quo ne quidem heroum ſoboles abhorruit, ſiquidem & uſu edoctus & ſimul à parentibus monitus, nullum eſſe honeſtius levamen, quam habere conjugem proſperis dubiiſque ſociam; ſerio nuptias meditari cœpit, Deoque propitio, atque feliciter dicentibus omnibus amicis, primâ hyeme anni ſubſequentis XLVI. lectiſſimam virginem *Catharinam Nyenborch*, filiam natu majorem *Danielis Nyenborch*, Mercatoris Groningani non ex poſtremis, ante plures annos jam tum compoſiti, domum duxit, atque in thori ſui ſociam ritu ſolemni accepit. Extinctis vixdum nuptialibus facibus, omnes ſuas cogitationes ingeniique nervos intendit, ut ſuis civibus quàm maxime prodeſſe poſſet, curandoque eorum morbos, vulturum & Libitinariorum vota, Divinâ ante omnia Gratiâ aſpirante, caduca reddere. nec conatui ac voto ſucceſſus defuit. Simul ac enim ad exercitium praxios ſe compoſuit, pariter inclareſcere cœpit: illo, qui ſupremus agnoſcendus medicus, ejus ſollicitæ induſtriæ adeo benedicente, ut non ſolum multis feliciter valetudinem priſtinam reſtituerit, verum etiam varios, qui jam jam oſtio credebantur admovendi, ab Orci quaſi faucibus revocaverit. quod uti multi poſt cineres quoque illius, tum in hac urbe, tum in agro proximo grato animo agnoſcunt, ſic breviſſimo temporis ſpatio praxin conſecutus eſt uberrimam, dum certatim ſe ei omnes illi committunt, qui circa prima pericula felicem ſucceſſum gratulabantur. In Galliis adhuc ſedens deſtinatus erat Profeſſioni Mathematicæ, vacivæ per promotionem admodum Rev. Clariſſimique viri D. *Matthiæ Paſoris*,

 ad

ad tertiam Profeſſionem Theologicam. cæterum, ob varia, quæ interveniebant, in muneris poſſeſſionem introduci non potuit, niſi proprid. Kal. Decemb. anni XLVI. decurrentis hujus ſeculi, quo die habuit inauguralem Orationem de Mercurio, quæ non uno nomine arguebat tum diffuſam lectionem, tum penitiorem hiſtoriarum cujuſvis generis cognitionem. Quotquot Borgesium familiariter noverant, non niſi ſumma quæque ab eo jam expectabant, perſuaſi, tam profitendo in Academia, quam ægris in Urbe & Provincia medendo, ad nominis æternitatem graſſaturum eſſe. Imo, multorum erat opinio, eum medicum futurum fuiſſe incomparabilem, & non modo paria facturum, cum ſuo populari *Volkero Coiter*, quem Noriberga pro experientiſſimo Archiatro aliquando amplexa eſt; quique non minus magno illi *Ulyſſi Aldrovando* hoſpes fuit acceptiſſimus, quam agnoſcitur ex limato Anatomico ſcripto, licet Groningæ ejus memoria propemodum ſit intermortua; verum etiam exhibiturum fuiſſe talem medicum, qualem *Hieron. Cardanus* duntaxat milleſimo quoque anno naſci perhibuit. Certè primordia praxeos hoc promittere videbantur: Atque longè majorem præconio hoc ſe exhibuiſſet, niſi Deo ter Opt. Max. ſupremo illi moderatori cogitationum noſtrarum, ſecus viſum fuiſſet. Dum enim Andegavi moratur, vinique parcus olei autem prodigus, Ariſtophanis & Cleanthis lucernam ſuę cedere compellit, morbum non ſolum acutum, verum etiam deſperatum incurrit, quem & experientiſſimus hoſpes parenti ſignificavit: ex quo licet ſingulari Dei Opt. Max. beneficio, tum temporis eluctatus fuerit, triſtes tamen reliquias ſecum traxit. ſi quidem vis illius cerebro incumbens, fluxuſque plurimos concitans, nervis opticis viciniſque oculorum partibus potiſſimum obfuit, viſum, qui cum aquilæ in videndo acumine ante potuerat componi, initio leviter debilitando, deinde confundendo & obſcurando admodum, ac poſtremo planè obliterando. Quaſi Deo placuerit, per catarrhos eum ſubigere, qui tam feliciter de iis diſputaverat! Interim nihil remediorum, quæ adhiberi poſſent, neglexit: utque cœcutientiam pedetentim accedentem, aliquandiu ſubſidio maxime medicamentorum chymicorum, & fumo Nicotiani ſuſtentavit; ſic excitus fama acidularum prope Herbornam in Comitatu Naſſovico ebullientium, non dubitavit, comitante dulciſſimâ uxore, & dilectiſſimo fratre Cl. D. *Joachimo Borgeſio* juniori, ſingulari tum temporis Gymnaſij Veſalienſis ornamento, eo per ſexcentas difficultates contendere.at, ut fama plerumque, quæ incerta, in majus vero extollere ſolet; neque eam aquarum medicatarum vim expertus eſt, neq; quicquam levaminis ex largiori quoque earum uſu. Interea, cum omnis materia morbifica ad oculos deflueret, poſtquam viam morbus antea aperuerat, in tantum malum hoc auxit, ut tandem dulci lumini,

feneſtris

ledicere coactus fuerit. Eo nomine beatus, quod cœcitas diu antea monitricem præmiſiſſet cœcutientiam, ac lento acceſſerit gradu ne percelleret, adeo ut ipſe ſuffecerit ei ferendæ, priuſquam veniret. Dici non poteſt, quam patienter incommodum hoc; (quod alij, habita ratione ætatis, vitæ generis, & matrimonij; malorum maximum cenſebant) pertulerit, & non tam Philoſophico quam Chriſtiano ſtomacho concoxerit. Malum hoc interrupit quidem praxin Medicam, non æquè tamen Profeſſionem, quam non ſolum obiit, verum etiam admodum exornavit: & quamvis ſchemata Geometrica delineare haut poſſet, ſuoſque ſectatores in rem prꝗſentem deducere, vivâ tamen voce ſupplevit ea, quæ per oculorum incommodum præſtare non poterat. Unde uno eodemque tempore pluribus quoque Collegiis privatis ſuffecit, ex quibus maximos fructus ſe percepiſſe, multi cum gratiarum actione profeſſi ſunt. Publicæ lectiones erant ſolidæ, nitidæ, ſeſamoque & papavere variarum hiſtoriarum, ac jucundiſſimarum fabellarum conditæ; maxime illæ, quas in curſu lectionum Geographicarum Belgij ſui illuſtrationi conſecravit, quas verè Cygnæam ipſius cantionem dixeris: cumque aliquando diſputandi occaſio occurreret, quam fruſtra antea captarat, tam feliciter ea defunctus eſt, ut juraſſes hominem ad terram hanc reciprocandam factum. Neque enim ſola Medicina & Matheſis eum occupaverant: ſed, commune ei erat cum eximio illo *Wolfgango Lazio*, ut & bonus Medicus, & multæ lectionis Hiſtoricus eſſet: cum *Ioanne Poſthio*, & elegans ſcribebat carmen, & quosvis Poëtas interpretari poterat: cum *Hieronymo Mercuriali*, quà Latinæ quà Grꝗcæ Philologiæ arcana habebat exploratiſſima. Cum cœcitate alia accumulata incommoda, quæ proſtremo ſubſecuta eſt febris, dubium an Epidemica illa, quꝗ tot homines anno CIↃ IↃ CLII. ubique in Belgio ſuſtulit: facta vehementior ante quatuor hebdomadas, mentis delirium ſecum traxit, atque uſum linguꝗ impeditiorem reddidit. Uſus tum eſt operâ Experientiſſimi ac Celeberrimi D. Doctoris *Antonij Deuſingij*: quodque medicorum filijs quaſi gentile, à ſumenda medicina alienior fuit: Et tamen, cum, invitante humaniſſimo medico, tandem poculum ex lege Artis ſalubriter præparatum admiſiſſet, poſt dies quatuordecim febris dereliquit. In vado jam res eſſe videbatur, propinquis ſibi gratulantibus, quod prꝗternaturalis calor, quo ſolo viſcera torreri exiſtimabant, mitigatus eſſet, quum interim ſummus languor, cibique & potus faſtidium, comite febriculâ, viam ſtraverint ad profundum illum ſomnum, ſi non lethargum, quo, accedente ructu & ſingultu, impeditoq; rationis & linguꝗ uſu, biduo poſt, altero & vigeſimo Novembris menſis die, inter horam ſextam & ſeptimam matutinam, placidè in Domino obdormivit, Anno jam dicto, ſive CIↃ IↃCLII. Quod quis jure vero admiretur anno Cometali natus &

 denatus

denatus eſt. Ut enim anno CIↃ IↃCXIIX. horrendus fulſit Cometes, ſic menſe ferme poſt ejus exceſſum novum φαινόμενον Comete non abſimile cœlo ſe prodidit. Et hic quidem exitus fuit *Johannis Borgeſij*, viri optimi, Mathematici eximij, Medici feliciſſimi non minus quam undequaque doctiſſimi, in cujus labijs ipſa Suada ſedem fixiſſe videbatur, qui infucatis & verè niveis moribus in familiaribus colloquiis ſales omnis acrimoniæ expertes cum grata audientium voluptate miſcere ſolet. Pacis & concordiæ per omnem vitam ſtudioſiſſimus fuit, adverſus nulli, alieniſſimus ab omni faſtu, adulandi non minus neſcius, quam aſſentatorum impatiens; adhoc vixit ſobrius, caſtus, & verè pius, ex corde Deum timens, ſuperiorum obſervans, parentum precipuè reverens, æquales colens, & inferiores amans. In quo hoc unicum ſolum ipſe Momus reprehenderit, quod minus providus ac cautus mercator fuerit: cum enim hac ratione anguſtiam ſtipendij fulcire vellet, à Mercurio, quem tamen in Inaugurali oratione, ut fallacem atque furum patronum traduxerat, circumventus eſt. Filium reliquit unicum, novimeſtrem, nomine Danielem, qui cum ſit puer ſcitus, vultuque patrem referat, ſperamus ſuo tempore τὸν ἅγιον in eo revicturum eſſe. Parentavit defuncto Cl. *Martinus Schoockius* Log. & Phyſ. Prof. ord. ex cujus oratione funebri hæc deſumpta ſunt.

ANTONIUS



Hæc illa hoſpitii facies, pulcherrima quod mens
DEVSINGI nacta est, et Sophia, et Charites.
Effigiem mentis per docta volumina, mores
Perq. inculpatos, exhibet ipse ſuæ.
Herois vultum venerare, ad acumina cujus
Lumina et Aonidum numina ſumma stupent.

IOHANNES WITTEN *Nob. Gel.*

ANTONIUS DEUSINGIUS.

Natus Meurſæ, anno MDCXII. 15. Octobr. Stylo Greg. Patre *Joanne Ottone Deuſingio*, St. Goarenſi, in militia Ordinum Generalium confœderati Belgij Signifero; Matre *Agneta Vermeren*, Delfenſi, Meurſæ, cum matrimonium iniret, commorante in gratiam Fratris *Reineri Vermeren*, Comitatus & Urbis Meurſenſis Prætoris & Quæſtoris, à Principe Auriaco Mauritio, ejuſdem Comitatus Comite, conſtituti. In Patria, ob Palæſtræ literariȩ ibidem tunc temporis minùs ritè conſtitutæ incommoda, primos pueritiæ annos in tenuioribus ſtudiorum fundamentis diſſultoriè trivit, ſub varijs Pædagogis ac Præceptoribus: donec à Parente ad celeberrimam Scholam Harderwicenam deducitur An. MDCXXVIII, Rectorique ibidem inclyto dudum, *D. Iodoco Hoingio* commendatur. Hinc, dum ſtudijs ad altiora ſurgentibus operam navat, ob irruptionem Exercitus hoſtilis in Velaviam, cedere primùm cogitur, Anno MDCXXIX. moxque ob epidemicam luem ibidem graſſantem à reditu arcetur: ſicque in Gymnaſium Veſalienſe à Parente deductus, per annum ibidem, eximij ac celeberrimi viri, *D. Joannis Sanzeni*, inſtitutione publicâ ac privatâ uſus eſt. Inde miſſus Athenas Batavas, ad inclytum illud totoque Chriſtiano orbe celeberrimum Sapientiæ ac Eruditionis Emporium, illico animum Philoſophiæ adjecit, Præceptore Clariſſimo Celeberrimoque Philoſopho, *D. Francone Burgerſdicio*, Phyſices ac Logices Profeſſore. Mox verò in domeſticam familiaritatem, intimaque benevolentiæ & amoris penetralia admiſſus ab incomparabili Viro, *D. Iacobo Golio*, L. A. M. Matheſeôs & Arabicæ Linguæ in eadem Lugd. Batava Academia Profeſſore, (cui tantum ſe debere profitetur, ut alterum Parentem, ingeniique formatorem, multoties eundem deprȩdicet,) Matheſeos ſtudium reliquæ Philoſophiæ cœpit adjungere. Philoſophiam quippe, abſque Matheſeos cognitione, mancam eſſe, ac ferè ſterilem, à dicto D. Præceptore ſuo D. D. Golio quandoque intelligebat. Interea & Arabicæ Linguæ ſtudio ſe applicuit, continuus Præceptoris ſui auditor, unà cum Reverendis, plurimùmque de Eccleſia Chriſti, ac Republica literaria, meritis Viris, *D. Conſtantino Imperatore*, S. S. Theologiȩ Doctore, ac L. S. primùm, pòſt verò S. S. Theologiæ in eadem Academia Profeſſore, & *D. Ludovico de Dieu*, Paſtore Eccleſiæ ibidem ac Collegij Gallo-Belgici Regente, ut & Clariſſ. & Experientiſſimo *D. Ioanne Elichmanno*, Med. Doct. Linguarum Orientalium plurimarum callentiſſimis Viris, quibus, dum viverent, intimus fuit ac familiariſſimus: mox inſuper ad Medicinȩ ſtudium adjecit animum, ſuaſu imprimis prædicti Cla-

riſſ. Viri, *D.D. Golij*, rerum medicarum peritiâ eximiè exculti, ac ratione occaſionis commodiſſimæ, quam Arabica Lingua, illi ſtudio luculentiùs excolendo aptiſſima, videbatur polliceri: cùm alioqui Parens antea ſtudio Juridico ipſum deſtinaſſet. Occaſionem verò nactus, in Lingua etiam Perſica ac Turcica, orbi noſtro rarioribus, proficiendi, iiſdem ſuccifivis horis operam impendit, in quibus brevi temporis ſpatio eatenus profecit, (ut Pentateuchum Perſicum, ex interpretatione Jacobi Tawuſi, Conſtantinopoli à Judæis olim excuſum characteribus Hebræis, ubi ex multiplici literarum confuſione, quâ plures literæ Perſarum paucioribus Hebræorum exprimuntur, permagna exiſtit difficultas,) Perſico charactere conſignare diſtinctè, & vocalibus accuratè illuſtrare, aggreſſus fuerit, ac pręter Illuſtris Viri D. Salmaſij (in cujus Numinis favorem ac gratiam tunc quoque facilis ac ſpatioſus ipſi patebat aditus,) aliorumque celebrium atque in Orientalibus Linguis verſatiſſimorum Virorum opinionem, feliciter abſolverit. Dumque interea in lectione Medicorum Arabum ſe exercet, Lexicon Medicum Arabico Latinum adornare inſtituit, in quo exhibeat Medicamentorum ſimplicium ac vocabulorum technologicorum ad medicinam ſpectantium, interpretationem. In eodem curſu Academico, Erpenij Grammaticam Arabicam majorem ac vetuſtiorem nactus, in qua plurima Autor ipſe propriâ manu interpolaverat, eandem cum Rudimentis, ceu curis poſterioribus ejuſdem Autoris, contulit, omniaque ita digeſſit, ut unum exinde opus exurgeret: in quo cùm nihil de ſuo adderet, ſed mera Autoris tum antè tradita, tùm poſtmodùm obſervata, convenienter in unum ſyſtema concinnaret, ne fortè quid gloriolæ immaturiùs captare videretur, in ſolidum univerſa Autoris nomini inſcripſit: ne quidem ſuo ſub ipſa Præfatione, quam nomine Typographi addebat, ullâ factâ mentione; quamvis & Locmanni Fabulas, & Adagia Arabum, eidem Editioni (anni 1636.) adjecta, proprio ſtudio & induſtriâ vocalibus & notis orthographicis illuſtraſſet, ſicque Tyronibus accommodatiora emitteret. Inter alia item Lexicon Perſico-Latinum, ut & Turcico-Latinum adornare inſtituit. In Medicina Doctores ac Præceptores audivit Clariſſimos totoque orbe celeberrimos viros, *D. Otthonem Heurnium*, *D. Ewaldum Schrevelium*, *D. Adolphum Vorſtium*, & *D. Adrianum Falckenburgium*; ac in audiendis quidem *D. D. Schrevelio*, ac *D. D. Vorſtio*, illo Practico eximio ac feliciſſimo, hoc tunc temporis Theoreticæ Medicinę Profeſſore acutiſſimo & Excellentiſſimo, nunc primario Medicinæ Profeſſore, aſſiduus fuit. Ad ſeptimum annum uſque in celeberrimo illo Athenæo, ſub maximorum Luminum ſplendore, verſatus, tandem anno M DC XXXVII. 25. Septembr. Styl. Gregor. ſupremo in Medicina Doctoris titulo, Promotore prædicto Cla-

dicto Clariſſ. Viro, *D. D. Adolpho Vorſtio*, in eadem Academia cohoneſtatus eſt. Quo admiſſo, luſtratiſque interim obiter Academiis nonnullis Belgij alijs, in Patriam reverſus, Praxi Medicę, tum ibidem, tum in circumjacente Comitatu tractuque, ſe applicuit, cui jam antè Leidę animum parare cœperat, manuducentibus Præceptoribus ac Directoribus *D. D. Schrevelio*, & *D. D. Heurnio*, cum quibus gnaviter Noſocomium frequentaverat, ægros viſitaverat, ac variorum morborum, tum internorum tum externorum, cauſas, ſigna, ac curandi rationem; in ſubjectis vivis notaverat. Vix patriam reverſus in urbem per D. D. Officiales; Vrbi ac Comitatui à Celſiſſimo Principe Auraico præfectis, nec non ipſius Urbis Magiſtratu, invitatus eſt ad Matheſeôs publicam Profeſſionem: Aliquot enim annis tùnc antè; Triviale Gymnaſium ibidem erectum erat; jamque ſub auſpicijs Celſiſſimi Principis ac Moerſæ Comitis ſpes animique ad altiora publicaque Illuſtris Lycéi Exercitia nitebantur; ad quæ eâ ratione parabatur aditus. Ad eam quidem Profeſſionem inauguratus eſt publicè IX. Jul. St. Gregor. M DC XXXVIII. habitâ Oratione *De Felicitate Patriæ ex Gymnaſio acquiſita.* Id verò muneris cùm Praxi Medicæ junxiſſet, mox anno ſequenti, ex autoritate Illuſtr. ac Præpotentum D. D. Ordinum Tetrarchię Gelro-Velavicæ, ac Nobiliſſimorum & Magnif. D. D. Curatorum poteſtate, per Nobiliſſimum & Ampliſſimum Virum, *D. Ioannem à Wijnbergen*, tunc Hardervici Conſulem ac Illuſtris Gymnaſij Gelro-Velavici quod Hardervici erat Curatorem, nunc Ducatus Gelrię ac Comitatus Zutphaniæ Senatorem, & Academiæ Provincialis, quæ eſt Hardervici, Curatorem, invitatus ac vocatus eſt ad publicam & ordinariam Profeſſionem Phyſicę & Matheſeôs, in locum paulò antè defuncti celeberrimi Viri, *D. Iſaaci Pontani*: Inauguratus verò eſt ad publicam utriuſque Profeſſionis functionem V. Decemb. St. Jul. M DC XXXIX. ubi ſub Inauguratione dixit publicè *De recta Philoſophiæ Naturalis conquirendæ methodo.* Sicque ad antiqua illa Muſarum caſtra reverſus, paucis menſibus poſt à Nobiliſſ. & Ampliſſ. Magiſtratu Harderviceno ordinarius Vrbis Medicus, in locum defuncti Doct. *Bachovij*, eſt ſubrogatus, cum adjecto liberali ſtipendij, tum ab Urbe tum à Tetrarchia Velavica ad id muneris conſtituti, emolumento. Anno autem M DC XLII, ex autoritate D. D. Curatorum, in eodem Illuſtri Athenæo, Spartæ priori junxit Medicinæ Profeſſionem; quam auſpicatus eſt XII. Aug. Oratione publicâ, quâ *Medicinæ Dignitates* perſtringebantur. Sicque primum Facultas medica florere ibidem cœpit, ante id tempus in iſtud Athenæum non introducta. Sequentis Anni, ſcil. M DC XLIII, Calendis primis, in Seniorem Eccleſiæ Hardervicenæ eſt electus, ac pòſt ſolennes in cœtu Eccleſię proclamationes, 22. Januar. confirmatus; eoque munere

munere biennium, ex ritu illius Eccleſiæ ordinario, functus eſt. Cumque jam ſeptennium integrum in Sparta varia ibidem exegiſſet, ſub finem tandem Anni M DCXLVI. ex decreto Illuſtr. ac Prępotentum D. D. Ordinum Groningæ & Omlandiæ, à Nobiliſſ. & Ampliſſ. D. D. Curatoribus Academiæ Provincialis ibidem, ad Primariam Medicinæ Profeſſionem vocatus eſt: Atque ad illius muneris functionem, ſolenniter introductus XII. Jan. St. Jul. M DC XLVII. ſub Oratione Inaugurali, quâ *Idea Medici abſoluti* adumbrabatur, ſeu, *Quòd optimus Medicus ſit idem Philoſophus*. Vocationem autem hanc potiſſimùm eâ de cauſa admittebat, ut malevolis quibuſdam, variaque paſſim in ipſius ſcriptis in ſequiorem ſenſum torquentibus, (contra quorum cavillationes jam antè varia in lucem emiſerat,) os eâ tandem ratione obturaret, jactantibus imprimis, ſe ipſi viam præcidiſſe, ac interclusiſſe aditum, ad Spartam quamvis in Academia quacunq; ſplendidiorem. Quàm autem ægrè ex illa ſtatione Gelro-Velavica & Hardervicena dimiſſus fuerit, quantumque ſui deſiderium in animis Optimatum ac Bonorum omnium reliquerit, mox publicè innotuit. Quippe cùm ſub ipſo emigrationis tempore, quò Groningam ſe reciperet, ab Illuſtr. ac Præpot. Ducatus Gelriæ ac Comitatus Zutphaniæ Ordinibus decretum fieret, de inclyto & Illuſtri Gymnaſio Gelro-Velavico in Academiam Provincialem Gelriæ Zutphaniæque convertendo, vocandiſque ad celebritatem majorem varijs, in omni Facultate, celeberrimis ad publica Profeſſionum munia Viris, mox inter hoſce primus ipſe nominatur, revocandus ad Primariam Medicinæ nec non Philoſophiæ Naturalis Profeſſionem: Sicque Veteri Profeſſori, cujus animum integro ſeptennio altiores radices in Gelria egiſſe noverant, ac cui rationes ad aliam Spartam capeſſendam potiſſimùm impellentes jam ceſſare non ignorabant, mox primis menſibus, quibus in inclyta Groningæ Omlandiæque Academia verſabatur, prędicta vocatio à Nobiliſſ. & Ampliſſ. novę Academiæ D. D. Curatoribus inſinuatur, iterumque per Nobiliſſ. D. D. Senatorem Gelriæ Zutphaniæque ac Curatorem Academiæ, *D. Wijnbergium*, Groningæ, offertur, unà cum literis vocatorijs à Nobiliſſ. & Ampliſſ. Magiſtratu Hardervіceno ad priſtinum Poliatri munus atque emolumenta, quæ tum ab Vrbe tum à Tetrarchiâ Gelro-Velavica antè obtinuerat; Velut item poſtmodùm primus Academiæ Rectoratus, per decretum NN. & AA. D. D. Curatorum ipſi deſtinatus, ac per literas inſinuatus eſt. Poſt multa verò á D. D. Proceribus utrinque, hinc pro dimiſſione impetranda, hinc pro detinendo Profeſſore, ultrò citroque acta, (dum primùm animum quidem in Gelriam gratum ac pronum facilemq; teſtatus, paſſivè ſe haberet; ac poſtmodùm, ob intervenientes circumſtantias varias, dimiſſionem & ipſe peteret ac urgeret:)
dimiſſio

dimiſſio tandem, quòd Academia Profeſſore, & Urbs atque Omlandia Medico Practico carere recuſarent, honeſtè negatur; peculiari etiam Illuſtrium ac Præpotentium D. D. Groningæ & Omlandiæ Ordinum accedente decreto, quo, ne erga Virum liberum ſuique juris minor gratia ac favor crederetur Dominorum detinentium, quàm revocantium ac faventiſſimo quovis molimine retrahentium, inſcio tandem honeſtiſſimum ſtipendium, quo tunc antea gaudebat, inſigni additamento auctum eſt, inſuperque Provincialis Medici titulus, honos, & emolumenta annua, adjecta. Interea, cùm paulò antè de honeſta dimiſſione per D. D. Gelriæ Zutphaniæque Proceres impetranda nullum videretur dubium, Magiſterij gradum in Academia Groningæ & Omlandię 19. Octobr. MDCXLVII. admiſit, ac Philoſophię eſt creatus Doctor, quo in nova Academia, ad id quoque muneris, præter Medicam Profeſſionem, vocatus, poſtmodùm ritè ac legitimè gradum eundem in alios conferret. Cumque jam Fato divino Groningo-Omlandicæ Spartæ affixus maneret, Rector Academiæ deſignatus eſt Anno MDCXLVIII. die 16. Aug. ac ſolenniter inauguratus, die ejuſdem 23. ubi Orationem habuit *de Boni Medici officio*, præſentibus in Academici Templi Choro, Celſiſſimo ac glorioſæ memoriæ *Principe Auriaco* GUILIELMO, nec non Illuſtribus & Excellentiſſimis Illuſtriſſimorum ac Præpotentum D. D. Ordinum Generalium ad componenda negotia controverſa Groningo-Omlandica Delegatis, itemque Illuſtr. Curiæ Hollandiæ, Zelandiæ, Weſtfriſ. delegatis Senatoribus, ac plurimorum Generoſorum, Nobiliſſim. Ampliſſim. Clariſſimorum, Doctiſſimorumque Virorum ſplendidiſſimo cœtu. Subſequenti anno, MDCXLIX, pridie Cal. Novembr. in Seniorem Eccleſiæ Groninganę electus eſt, ac poſt ſolennes Proclamationes, 25 Nov. confirmatus. Denique Anno MDCLII. ab Illuſtriſſ. Comite Naſſoviæ, WILHELMO FRIDERICO, Friſiæ, Groningæ, Omlandiæ, ac Drentiæ Gubernatore, &c. Archiatri ac Medici Aulici Titulus, dignitas, & emolumenta ipſi addita. Præſenti Anno MDCLIII iterum Academię Rector electus & inauguratus eſt, ſolemni die ac more, ubi Orationem habuit de *Judicij difficultate*; ſeu ad verba Hipp. aph. 1. ſ. 1. *Iudicium difficile.* Prædictis verò muneribus, cùm in Provinciali Groningæ Omlandiæque Academia, tum in Provincia ipſa, itemque Illuſtriſſ. Aula Gubernatoris, nec non Eccleſia (quippe Presbyterij munia hic ſolent eſſe perpetua,) etiamnum, ſupremo favente Numine, fungitur, Deo ter Opt. Max. Dijſque mortalibus, ac Proximo ſerviens, ſeque totum in commune Bonum potiùs quàm privata commoda impendens, donec alijs inſerviendo ſenſim conſumatur. In Matrimonium adſcivit Anno MDCXL. die 5. Aug. St. Greg. Nobiliſſ. Virginem SOPHIAM ab OOSTERWIJCK,

 natam

natum in patria & avita Arce nobili, *den Roſendael* Ducatus Cliviæ Patre Nobiliſſ. & Ampliſſ. Viro *D. Ludolpho ab Ooſterwick* cum virtute propriâ, tum ſtirpe Patriciâ & antiquâ, eâdemque Nobiliſſimis in Ducatu Cliviæ muneribus publicis ac Legationibus cohoneſtatâ, ſpectatiſſimo, Matre verò *Eliſabetha* ab *Amelongen*, antiquâ ſtirpis Nobilitate ac Virtute conſpicua Matrona. Ex hac unicam Filiolam ſuperſtitem habet, Filiolo uno cum duabus Filiabus Deo animarum datori redditis. Hâc piè defunctâ, cùm animum tandem ad ſecunda vota applicaret, in uxorem duxit Anno MDCL. die VI Januar. St. Jul. Lectiſſimam Virginem MAGDALENAM MODESTAM SCHEIDMANS, Filiam unicam Nobil. & Ampliſſ. Viri *D. Hermanni Scheidman* JCti Eximii & Clariſſ. ac dum viveret in ſuprema Imperij Rom. Camera Judiciali, quæ Spiræ eſt, Aſſeſſoris, & honoratiſſimæ Matronæ *Margarethæ Kumpſthoffs*, Sororis Nob. & Ampl. Viri *Johannis Kumpſthoffs*, ante Germanici belli tumultus Electori Palatino Heidelbergæ, pòſt Electori Brandeburgico, in Cliviæ Ducatu ac Marchiæ Comitatu, à Conſilijs intimis ac ſecretioribus: Educata inprimis ea fuit poſt præmaturum utriusque Parentis obitum, apud conſobrinum ſuum, eundemque Tutorem ac Curatorem ſuum, D: HENRICUM NYSS J U. D. *Electoris* Brandeburgici in Ducatu Cliviæ ac Comitatu Marchię Conſiliarium intimum Archivique Directorem, ipſaque cohoneſtandæ familiæ cauſa aderat Conſobrino alteri D. JOANNI NYSS, tunc urbis Clivenſis Conſuli, nunc Ordinis Equeſtris in Cliviæ Ducatu Syndico, cum is uxorem duceret Nobiliſſ. Virginem CATHARINAM ab OOSTERWICK, memoratæ SOPHIÆ, tunc pridem defunctę, Sororem. Ex ea hactenus Filiolam unam, (non multò poſt Deo redditam,) ac Filiolum unum (ſecundum nunc ætatis annum agentem) ſuſcepit.

Scripta ab ipſo edita extant,

Coſmographia Catholica.

Aſtronomia ſecundum Hypotheſes Ptolemæi in concinnum brevem & perſpicuum ordinem digeſta.

Naturæ Theatrum univerſale; ex monumentis Veterum, ad S. Scripturæ normam ac rationis & experientiæ libellam extructū.

De vero Syſtemate mundi Diſſertatio Mathematica: quâ Copernici Syſtema Mundi reformatur; ſublatis interim infinitis penè orbibus, quibus in Syſtemate Ptolemaïco Mens humana diſtrahebatur: in partes quatuor diviſa.

De Mundi Opificio Diſcurſus Phyſicus; duodecim Diſſertationibus propoſitus.

De Anima Humana Diſſertationes Philoſophicæ ſeptem.

De Origine Formarum naturalium, & Animæ Humanæ ſubſtantia; Diſquiſitiones, habitæ cum Rev. & Clariſſ. Viro D. Ioanne Santeno: ubi item multa de Creatione & Conſervatione rerum, &c.

Spongia adverſus cavillationes quaſdam, ſub ſelecta Diſputatione Philoſophico-Theologica in Animæ Humanæ ſubſtantia egeſtas.

Hexaëmerum Recognitum, ſeu de Creatione Meditatio-

Meditationes, Explicationibus Chriſtiano-Philoſophicis & Animadverſionibus neceſſariis illuſtratæ.

Synopſis Philoſophiæ primæ, ſeu Compendium Metaphyſicæ.

Synopſis Philoſophiæ Naturalis, ſeu Compendium Phyſicæ.

Synopſis Philoſophiæ moralis, ſeu Compendium Ethicæ.

Exegeſis Apologetica, ſeu Locorum quorundam, quæ in Scriptis ipſius, per mutila quædam Excerpta, obſcuritatem habere viſa ſunt, collatione factâ præcedentium & conſequentium, exacta declaratio.

I. Cloppenburgius Heautontimorumenos, ſeu Retorſio injuriarum in libello falſidico, cui titulus, Res Iudicata, cumulatarum.

Synopſis Medicinæ univerſalis, ſeu Compendium Inſtitutionum Medicarum.

Exercitationes Anatomicæ, de Viſceribus Humani corporis.

Diſſertatio de motu Cordis & Sanguinis.

Appendix De Venæſectione in Pleuritide.

Diſſertatio de Lacte, ac Nutrimento fœtus in utero.

Anatomia parvorum Naturalium, ſeu Exercitationes Anat. & Phyſiol. de Partibus humani corporis conſervationi ſpeciei inſervientibus.

Geneſis Microcoſmi; ſeu De Generatione Fœtus in utero.

Oratio de recta Philoſophiæ Naturalis conquirendæ methodo.

Oratio de Aſtronomiæ Origine, Ejuſdemque ad noſtram uſque ætatem progreſſu.

Oratio in Coſmographiæ commendationem.

Oratio quâ Medicinæ dignitates perſtringuntur.

Oratio quâ Idea Medici abſoluti adumbratur, ſeu, quòd Optimus Medicus ſit idem Philoſophus.

Oratio de boni Medici Officio.

Oratio de Felicitate Sapientum.

Quæ ex Arabico in Latinum vertit

EDITA.

Canticum Avicennæ de Medicina, ſeu Inſtitutionum Medicarum Compendium.

Selecta Medica Iohannis Meſuæi Damaſceni.

Prælo parata ſunt.

Idea Fabricæ Corporis Humani, ſeu Inſtitutiones Anatomicæ.

Exercitationes Anatomicæ de Oſſibus.

De Operibus Dei, ſecundum ſingulos dies Meditationes Chriſtiano-Philoſophicæ, in quinque libros digeſtæ.

Continuatio Diſquiſitionum cum Rev. ac Clariſſ. Viro D. Joanne Santeno, *de Origine Formarum Naturalium, & Animæ Humanæ Subſtantia.*

Diſquiſitio Philoſophica, de Terra mobili an immobili.

Arithmetica, Geometrica, Geodætica, Trigonometrica, aliaque Mathematica varia.

Pentateuchus Perſicus, interprete Iac. Tawuſio, ex typis Hebræis in Characterem Perſicum ab ipſo conſcriptus, & vocalibus adjectis accuratè diſtinctus.

Commentarius in Diſſertationem de motu Cordis & Sanguinis: Vbi & de Cauſis illius motus, alijſque varijs, formas ſubſtantiales concernentibus.

Commentarius in Diſſertationem de Lacte, & Nutrimento Fœtus in utero materno.

Orationes variæ, ſub varijs Inaugurationibus ac Promotionibus habitæ.

Complura alia ſub manu ſunt, ac nonnulla propemodùm abſoluta ultimam manum exſpectant, tum in Re Medica, (inter quæ Therapeutice Particularis, exhibens morborum ſingulorum Eſſentias, Cauſas, Signa, & Curationem,) tum & in alijs: quæ cum tempore, ſi Deus vitam, otium, & occaſionem conceſſerit, lucem videbunt.

CHRISTIANUS PERIZONIUS.

Natus fuit Anno partæ ſalutis ſupra milleſimum ſexceñteſimo nono, in arce *Brakenſi*, prope *Lemgoviam*, oppidum in *Comitatu Lippiaco* ſitum, ubi Parens ejus, Vir Reverendus ac Doctiſſimus ANTONIUS PERIZONIUS circa id tempus Eccleſiaſtæ aulici munere fungebatur, apud Illuſtrem Comitem Lippiacum, ex Celeberrima Schola Steinfurtenſi, ubi ſumma cum laude ac dignitate, nec non Juventutis inſigni emolumento, ConRectoratum gerebat, in illam Eccleſiaſtici muneris dignitatem evocatus; velut poſtmodùm, ob fidelem circa gregem Chriſti curam, ampliori Eccleſiæ, quæ Salvatori noſtro in *Cappell* colligebatur, præfectus eſt: Mater ipſi fuit perhoneſta Matrona, *Wibbina Trop*, honeſtiſſimi Civis Steinfurtenſis legitima filia unica. Avum paternum habuit D. GERHARDUM PERIZONIUM, Jure-Conſultum eximium, eundemque altiori ſerie à Majoribus eruditione ſimul ac virtute excultis, *Scuttorpii*, in *Comitatus Bentheimici* primario oppido, prognatum. A Parentibus illicò ſimul atque puerilis ętas doctrinæ capiendę videretur apta, inſtitutioni diligentiſſimorum Scholæ Lippiacæ, quæ erat *Dethmoldiæ* Præceptorum commiſſus eſt. Inde Bremam traductus, publicas ibidem Lectiones diligenter frequentavit: Prę cæteris autem, dum in illo publico eruditionis virtutiſque Aſceterio verſatus eſt, Præceptores ſibi elegit ac coluit; Clariſſimos & Eximios Viros D. D. MATTHIAM MARTINIUM, ac D D. *Gerhardum Neveυilium*, illum ſacrarum Literarum ac Philologiæ, hunc Philoſophiæ ac Medicinæ Profeſſorem, ut & D. M. *Balthasarem Willium*, Profeſſorem Logicæ ac Metaphyſicæ. Hiſce vero Celeberrimis Viris ac Profeſſoribus induſtriis cum ſedulitate adhæſit; ingeniumque felix ac promptam diligentiam iiſdem, quà publicè quà privatim, luculenter probavit. Paulatim verò cum ſtudiis ipſis creſcente eruditionis deſiderio, poſt aliquot annos *Groningam*, in florentiſſimum univerſæ Sapientiæ emporium ſe recepit, mercatumque haud infelicem in inclyto Groningæ & Omlandiæ Atheneo inſtituit: ac non mediocriter delibatis jam antè ſtudiis ſociis, Medicinæ penitius ſe conſecravit, ſub Præceptoribus Clariſſimis & Excellentiſſimis, D. Doctoribus *Joanne Freitagio*, ac *Conrado Matthæo*, ſub quorum fideli & erudita inſtitutione, colophonem ſtudiis Academicis impoſuit; cúm tandem, poſt bidui examen per univerſam Medicinam, publicamque per biduum diſputationem inſtitutam, (velut moris eſt in iſtac Academia,) Promotore dicto D. D *Freitagio*, lauream doctoralem nactus, ſupremamque in Medicina dignitatem ac privilegia, Doctoribus,

velut



Deſine velle Virum Magnum vidiſſe Galenum,
Hippocratemq; ſimul deſine velle Virum.
En valet Hippocrates, doctus valet ipſe Galenus,
Quando PERIZONI *vivit imago Viri.*

HENR. ZIERENBERG. *Med. D.*

velut præmia virtutum, conferri ſolita, eſt conſecutus, ipſis Calendis Februarii, anno Chriſti 1639. ætatis vero ſuæ 30. Ita verò in publicum per honores evectus nequaquam ſubſtitit, nec ſolâ ſcientiâ Medicâ acquievit; ad uſum transferenda duxit, quæ benè didicerat, ac mortalium calamitatibus amovendis remedia adhibenda eſſe, quæ mente memoriâque complexus erat: Nec enim in terram defodiendum theſaurum, quem elegantiſſimum ac pretioſiſſimum à Deo conſecutus erat; nec divinitùs conceſſa ſibi dona deneganda mortalibus. In *agrum* itaque *Tubantinum* ſe contulit; plurimorum ibidem deſideriis evocatus; ac *Oldenzaliæ* Poliatri titulum admiſit. Cúmque jam fixa in urbe ſedes, publicæque functionis moleſta exercitatio, quærendum curarum levamen ſuaderet, domique fidum adjutorium exigeret; vellicante interim naturali illo (quod Deus mortalium viſceribus inſevit;) in prole poſt fata vivendi deſiderio; ſociam ſibi jugalem obtinuit Lectiſſimam ac Honeſtiſſimam Virginem *Margaretham Hetsinge*, Honoratiſſimorum Parentum *Andreæ Hetſinge* & *Mechtildis Walgers* Conjugum, atque in Civitate *Groningana* Municipum, legitimam filiam; quam ſibi ſacro Matrimonii vinculo junxit anno ſalutis 1640. die 29 Novembris. Ex hac dilecta uxore ſua quinque filiolas ordine ſuſtulit, ac filios duos: E quibus tres gnatas, filiumque alterum poſthumum, cùm Matre vidua, reliquit ſuperſtites. Feliciſſima illi ac diffuſiſſima, tum Oldenzaliæ, tum circumcirca per omnem terræ tractum circumjacentem, Medica Praxis ultrò ſe obtulit, unde aurea meſſis jam redundare uberrimè cœperat, cùm deſiderio Affinium, ſoceri ſocrûſque imprimis, ſatisfacturus, Groningam denuò animum convertit. Incitamenta porrò perhoneſta hinc inde conatum addebant: Placuerat namque, medulliſque hærebat, florentiſſima iſtæc Muſarum Palæſtra, quæ orba Medicæ Facultatis Antiſtite, pondus ac momenta Affinium votis ſuperaddebat. His blandimentis pellectus familiam huc tranſtulit, direxitque conatus ad gloriam ſublimiorem ex Athenæo hoc inclyto hauriendam. Nec defuit tandem votis ſucceſſus: Invaleſcente etenim per urbem paſſim & agrum praxi, deſignatus eſt tandem ab Illuſtribus ac Præpotentibus D. D. Groningæ & Omlandiæ Ordinibus Medicinæ Profeſſor, atque inaugurali ſermone in muneris functionem immiſſus eſt, anno 1647. die Januarii 19. moxque à Clariſſimorum D. D. Profeſſorum Collegio unanimi conſenſu in Academiæ Secretarium eſt electus. Eâ verò laude & exiſtimatione munus prædictum ſuſtinuit geſſitque primùm extra ordinem, ut tandem poſt trium annorum decurſum Ordinarii Profeſſoris titulus & honos ab Illuſtribus ac Præpotentibus D. D. Ordinibus illi fuerit adjectus: tumque anno Academico vertente, ultrò ſeſe Secretariatus laboribus, (quòd Medica Praxis

 negotia


negotia intenderet,) liberatum quæſivit. Toto illo functionis ſuæ currente tractu, vegeto fuit & corpore & animo: niſi quod circa æſtatis proximè ante obitum elapſæ initia, dum verna tempeſtas humores agitaret, graviſſimis torminibus abdominis corripi cœperit, acutoſque ſentiret ventriculi dolores, ac vomitus pateretur ſupra modum immanes, identidem per dies aliquot continuos recurrentes, aſſumptis interim in merum quaſi acetum abeuntibus, cardialgiam ſimul ac vomitus exacerbantibus. Hoc malum aliquoties per intervalla recruduit; paucorumque identidem dierum duratione facultates univerſas vehementer afflixit: ut non immeritò Vir Experientiſſimus ſuæque Artis peritiſſimus, hunc ſibi affectum lethalem fore, jam dudum præſagiret; quod Fratri ſuo Germano, Spectatiſſimo ac Doctiſſimo Viro, Domino ANTONIO PERIZONIO, Scholæ Dammonenſis Rectori, non ſemel teſtatus eſt. Antecedens mali cauſa collectio fuit vitioſorum humorum, circa lienem imprimis ac meſenterium ſcatentium, ipſamque pancreatis glanduloſam ſubſtantiam copioſè obſidentium, qui facillima de cauſa regurgitabant in ventriculum, quandoque item per inferiora exitum cum cruciatu quærentes. Hiſce ac ſimilibus latentibus morborum mortiſque cauſis frequenter in corporibus Medicorum origo eſt, dum aliis inſerviendo diſſolvuntur ipſimet ac conſumuntur. Interea verò plethorici ſucculentique corporis concuſſiones crebriores, ex itineribus ægrorum cauſâ inſtitutis, quandoque exortas, augere malum viſæ ſunt, cauſamque deliteſcentem in actum ſuſcitare: quippe ſæpius, domum reverſus, gravem paroxyſmum illico ſuſtinuit, quo facultates non leviter affligebantur, ac vires enervabantur: Donec tandem præter abdominis viſcera morbo ſubacta, ipſam quoque mentis arcem impugnari contingeret, regiamque animæ in pectore ſedem concuti: Tandemque ne quid malorum cruciatibus deeſſet, repentinus ſanguinis puriſſimi ac rubelli ſubſequeretur vomitus, graveſque lipothymiæ: Quin & Epileptici tandem ipſum invaderent Paroxyſmi, ipſaque Syncope quandoque reverteretur. Sicque tandem 29. Septembr. Anni 1650. circa ſeptimam matutinam, cùm jam membra flaccida concidiſſent, placidè obdormivit in Domino; cùm in hac ærumnarum valle, ac difficili multorum peccatorum labyrintho, vixiſſet annos unum & quadraginta, in conjugali ſocietate annos novem ac menſes decem; in functione Academica annos tres, menſes octo, & decem dies. Feliciſſimus fuit in profligandis ægritudinibus; plurimiſque mortalibus languore oppreſſis ſolatia præbuit; ſuique deſiderium apud multos reliquit. Gratus fuit & amicus omnibus Collegis ſuis, nemini gravis, nemini iniquus, ſi non ſibi, humanus, candidus, apertiſſimi animi. Inſerviendo autem alijs, dum viveret, paulatim ſuum corpus detrivit. Ac ſatius quidem duxit,

duxit ; præſentibus mortalibus ſuâque operâ jam indigentibus, humanitatis officia non denegare, licet cum propriæ valetudinis incommodo, quàm hiſce derelictis per ingenii monumenta tranſire ad poſteros. Curationum tamen interim ac Obſervationum rariorum, numerum quemcumque, ex ſua Medica Praxi congeſſit : quæ fortè lucem poſſent videre.

FRANCISCUS JUNIUS. F.N.

Natus eſt Embdæ anno currentis hujus ſeculi vigeſimo quarto Menſis Septembris die vigeſimo primo. Pater fuit V.Cl. *Ioannes Caſimirus Iunius*, (quod nomen à ſuo ei dari voluit Sereniſſimus Elector Palatinus *Joannes Caſimirus*, qui eum baptizaturo miniſtro ipſemet obtulit) Francisci Junij Theologi filius: cujus majores hic non opus eſt referre, cùm Avus ipſe p. m. eos in vita ſua recenſeat, quò lectorem avidum remittimus. Aviam habuit *Eliſabetham Kornputiam*, *Joannis Kornputij* Actuarij & Conſulis Bredani filiam: cujus Sororem duxit Vir Nob. *Henricus Smetius Iani Gruteri* Socer: Ut ad patrem redeam, is primùm literis operam dedit, atque ad Theologiam appulit animum, cui rei fidem facit liber ejus, quem Belgico idiomate ſcripſit ad defenſionem Orationis Illuſtris Viri *D. Dudlæi Carleton* à Sereniſſimo magnæ Britanniæ Rege Jacobo ad Synodum Dordracenam miſſi, contra Remonſtrantis (Taurini, niſi fallor) ſcriptum Belgicum, quo is prædictam orationem refutare ſatagebat. Sed mortuo patre, qui eum ad Profeſſionem Hebrææ linguæ deſtinârat, quæ poſt D. Coddæo à DD. Curatoribus Academiæ Leidenſis fuit demandata, induxit eum Avunculus *Joannes à Kornput* cohortis militaris Capitaneus, atque arci olim Groninganæ præfectus, de quo Meterani hiſtorię videri poſſint, ut militiam ſequeretur: ac lectus mox fuit in cohortis vicarium. Mater fuit illi *Maria de Diſon*, cujus Pater, *Ioannes de Diſon* ac fratres Senatoriâ dignitate defuncti ſunt; Mater *Anna de Thomas* Conſulem patrem habuit *Ioannem de Thomas*; Matertera *Maria de Thomas* nupta fuit *Ludovico Carlier* Domino de Manieres. Paullo poſtquam vidiſſet hanc lucem V.Cl. denatus eſt pater ejus Gertrudisbergæ, ac inde Leidam delatus & in Paterno ſepulcro, quod eſt in æde *D. Petri*, humatus eſt: Volentibus autem defuncto patre ita rebus Mater domicilium Embda mox hanc in urbem tranſtulit. Ubi jam ad ætatem venit, præceptoribus eſt traditus, qui docerent literas. Vixit dein aliquot per annos in ædibus Celeberrimi *D. Gerardi Ioannis Voſſij*, qui *A*mitam *Eliſabetham Juniam* paucos ante annos reliquit viduam. Ubi tulit ætas, ut ad facultatem aliquam ſe accingeret, ſtudium Juris elegit: ac dato hic ei biennio ſub Ampliſſimo D. Doctore & Profeſſore *Steinbergio* Ultrajectum petiit, atque illic Ampliſſimus Vir D. Antonius Matthæus juris Anteceſſor primarius ſuam humanitatem, quę neſcio an major ſit, an ejus eruditio, erga eum exercuit, conceſſis ſoli unaquaque hebdomade horis, quibus hanc vel illam legem explicandam dederat. Quorum ſanè Anteceſſorum erga ſe amorem ac inſtitutionem quavis occaſione prædicat. Inde

Leidam



IUNIUS, à magno demiſſum nomen IUNIO,
Lector, in hâc parvâ conſpicitur tabulâ.
Atquà parte ſui vivit meliore vigetq;,
Pingere non poſſet Zeuxidos ipſa manus.

Doctrina, & pietas, morumq; modeſtia, cādor;
Hæc facies IUNI vera figura ſui eſt.
Vidit Avum Leida his quondam virtutibus; iſdē
Nunc tibi ſuccreſcit, docta Groninga Nepos.

CORNELIUS TOLLIUS

Leidam petijt, atque non diu illic ſubſtitit, huc à Matre & Amicis revocatus, ut gradum in utroque jure Doctoratus ſumeret. Sumpſit igitur conferente eum Viro Clariſſimo & optimo *D. Ioanne Conrado Monæo.* Miſſus pòſt eſt in Gallias, ac Pariſijs quidem favore Nobiliſſimorum & Clariſſimorum Virorum D. D. Sarravij, Puteanorum fratrum, Valeſiorum, aliorum, Genevæ verò Ampliſſimi viri *D. Jacobi Gothofredi* Reipublicæ iſtius Syndici, gaviſus eſt. Deinde inviſit Helvetias; ac Baſileæ aliquamdiu ſubſtitit. Salutatis poſtmodum Argentinenſibus in Galliam redijt, quam totam perluſtravit. Facto domum reduci Profeſſio Iuris Extraordinaria ab Illuſtribus & Præpotentibus hujus Provinciæ D. D. Ordinibus delata eſt, ut biennio pòſt ordinaria, quâ nunc defungitur. Uxorem duxit ante ſeſquiannum, *Deboram ab Heeck*, filiam *Matthiæ ab Heeck* cohortis civicæ centurionis, & in Camera rationum Provinciali Aſſeſſoris. *Duxit* verò eoípſe tempore, quo patruus ejus *Henricus ab Heeck* Conſulatu urbis defungebatur, & erat Academiæ noſtræ Curator. Filiolam Mariam ex ea unam dedit & abſtulit *Deus.*

CATALOGUS
RECTORUM MAGNIFICORUM
Academiæ Groningæ & Omlandiæ.

Rector Academiæ primus

1614. Ubbo Emmius. Hiſtor. & Ling. Græc. Prof.
1615. Hermannus Ravenſpergerus. SS. Theol. Doct. & Prof.
1616. Cornelius Pynacker. J. U. D. & Prof.
1617. Nicolaus Mulerius. Med. D. ejuſd. & Math. Prof.
1618. Franciſcus Gomarus. SS. Theol. D. & Prof.
1619. Johannes Huninga. J. U. D. ejuſd. & Eth. Prof.
1620. Guilelmus Mackdouwel. Philoſ. Prof.
1621. Hermannus Ravenspergerus, iterum.
1622. Idem 3. extraordinaria cauſa refectus.
1623. Guilelmus Mackdouwel. 2.
1624. Franciſcus Gomarus. 2.
1625. Hermannus Ravenſpergerus. 4.
1626. Antonius Matthæus. J. U. D. & Prof.
1627. Nicolaus Mulerius. 2.
1628. Henricus Alting. SS. Theol. D. & Prof.
1629. Franciſcus Mayvartius. Philoſ. Prof.
1630. Franciſcus Gomarus. 3.
1631. Antonius Matthæus. 2.
1632. Johannes Freitagius. Med. D. & Prof.
1633. Matthias Paſor. L. A. M. & Prof. Philoſ.
1634. Antonius Matthæus 3.
1635. Franciſcus Gomarus. 4.
1636. Henricus Alting. 2.
1637. Conradus Matthæus. Med. D. & Prof.
1638. Joannes Steinbergius. J. U. D. & Prof.
1639. Joannes Freitagius iterum.
1640. Tobias Andreæ. Hiſt. & L. Gr. Prof.
1641. Henricus Alting. 3.
1642. Nicolaus Langius. J. U. D. & Prof.
1643. Martinus Schoockius. A: L. M. & Phil. Prof.
1644. Samuel Mareſius. SS. Theol. D. & Prof.
1645. Joannes Steinbergius. 2.
1646. Jacobus Alting. A. L. M. & L. Heb. Prof.
1647. Abdias Widmarius SS. Theol. D. & Prof.
1648. Antonius Deuſingius. Med. ac Phil. D. & Prof.
1649. Tobias Andreæ. 2.
1650. Matthias Paſor. 2.
1651. Samuel Mareſius. 2.
1652. Johannes Steinbergius. 3.
1653. Antonius Deuſingius. 2.

CATALO-

CATALOGUS DOMINORUM CURATORUM ACADEMIÆ GRONINGÆ & OMLANDIÆ.

Octo viri erigendæ conſtituendæque Academię creati, quorum quatuor priores ex urbe, cæteri quatuor ex agro. 1612.

1612. Joachimus Alting Conſul.
Eggericus Eggæus Senator.
Hieronymus Iſebrants Senator.
Pancratius Caſtricomius Synd.
Joannes Rengers Poſtanus.
Joannes Lewius.
Bocco Awama.
Scato Gockinga Syndicus.

1613. Joachimus Alting Coſ. 2.
Rodolphus Battingius Senator.
Eizo Tiarda Senator.
Pancratius Caſtricomius Syndicus 2.
Joannes Rengers Poſtanus 2.
Joannes Lewius 2.
Hiddo Jenſema.
Scato Gockinga Syndicus. 2.

1614. Fridericus Coenders Coſ.
Lambertus Hornkens Senator.
Goſwinus Schaffer.
Pancratius Caſtricomius Synd: 3.
Joannes Rengers Poſtanus 3.
Joannes Lewius 3.
Bocco Awama 2.
Scato Gockinga Synd: 3.

Curatores ordinarij quaterni, bini oppidani, bini agrarij.

1615. Fridericus Coenders. Coſ. 2.
Goſwinus Schaffer Senator 2.
Joannes Rengers Poſtanus 4.
Scato Gockinga Synd: 4.

1616. Joachimus Alting. Coſ. 3.
Eizo Tiarda. Sen. 2.
Joannes Rengers Poſtanus. 5.
Scato Gockinga. Synd. 5.

1617. Iidem.

1618. Fredericus Coenders. Coſ. 3.
Goſwinus Schaffer. Sen. 3.
Joannes Rengers Poſtanus 6.
Scato Gockinga. Synd. 6.

1619. Abel Coenders. Coſ.
Rudolph Wicheringe. Sen.
Johannes Rengers Poſtanus. 7.
Scato Gockinga Synd. 7.

Joachimus Alting. Coſ. 5.
1620. Joannes Huninga. Sen.
Joannes Rengers Poſtanus. 8.
Scato Gockinga Synd. 8.

Joachimus Alting. Coſ. 6.
1621. Joannes Huninga. Sen. 2.
Edzard Jacob Clant.
Scato Gockinga. Synd. 9.

Abel Coenders. Coſ. 2.
1622. Rudolph Wicheringe Sen. 2.
Edzard Jacob Clant. 2.
Scato Gockinga Synd. 10.

Iidem.
1623.

Hieronymus Iſebrants Coſ. 2.
1624. Ioannes Huninga Sen. 3.
Reint Alberda op'tSant Senior.
Scato Gockinga Synd. 12.

Abel Coenders Coſ. 4.
1625. Hugo van Nyeveen Sen.
Georgius ab Euſum.
Scato Gockinga Synd. 13.

Abel Coenders Coſ. 5.
1626. Bernardus Iulſing Sen.
Edzard Iacob Clant. 4.
Scato Gockinga. Synd. 14.

Henricus Schonenborch Coſ.
1627. Petrus Eiſſinghe Sen.
Edzard Jacob Clant 5.
Scato Gockinga Synd. 15.

Henricus Schonenborch Coſ. 2.
1628. Hugo van Nyeveen Sen. 2.
Bernardus Schaffer toe Looſdorp.
Scato Gockinga. Synd. 16.

1629. Hugo van Nyeveen. Coſ. 3.
Andreas Winſemius. Sen.
Reint Alberda op't Sant.
Scato Gockinga. Synd. 17.

Bernhardus Iulſing. Coſ. 2.
1630. Andreas Winſemius. Sen. 2.
Reint Alberda op 't Sant. 2.
Scato Gockinga. Synd. 18.

Petrus

1631. Petrus Eiſſinghe. Coſ. 2.
Tiaſſo Tiaſſens Senator.
Sixtus à Bothnia.
Scato Gockinga. Synd. 19.

1632. Hugo van Nyeveen. Coſ. 4.
Tiaſſo Tiaſſens. Sen. 2.
Allardus Tamminga.
Scato Gockinga. Synd. 20.

1633. Hugo van Nyeveen Coſ. 5
Andreas Winſemius Sen. 3
Chriſtophorus ab Ewſum.
Scato Gockinga. Synd. 21.

1634. Petrus Eiſſinghe Coſ. 3.
Tiaſſo Tiaſſens. Sen. 3.
Chriſtophorus ab Ewſum. 2.
Scato Gockinga. Synd. 22.

1635. Iidem.

1636. Hugo van Nyeveen. Coſ. 6.
Gerardus Buning. Sen.
Allardus Tamminga. 2.
Scato Gockinga. Synd. 24.

1637. Bartholdus Wicheringe. Coſ.
Otho Valcke. Sen.
Chriſtophorus ab Ewſum. 4.
Scato Gockinga. Synd. 25.

1638. Petrus Eiſſinghe. 5.
Otto Valcke Sen. 2.
Atho Riemers.
Scato Gockinga. Synd. 26.

1639. Petrus Eiſſinghe. 6.
Henricus ab Heeck. Sen.
Edzard Iacob Clant. 6.
Scato Gockinga. Synd. 27.

1640. Gualtherus Schonenborch. Coſ.
Eggo Phebens. Sen.
Reint Alberda op 't Sant. 3.
Scato Gockinga. Synd. 28.

1641. Hugo van Nyeveen. Coſ. 7.
Ioannes Clinge. Sen.
Jebbo Aldringa tot Ferwert.
Jodocus Henſius. Synd.

1642. Albertus Hooftman. Coſ.
Bernhardus Schaffer. Sen. 2.
Edzard Jacob Clant. 7.
Jodocus Henſius. Synd. 2.

Petrus

1643. Petrus Eiſſinghe Coſ. 7.
Hieronymus Eyben Senatot.
Reint Alberda op't Sanr. 4.
Jodocus Henſius Synd: 3.

1644. Hugo van Nyeveen Coſ. 8.
Petrus Iſebrants Senator.
Edzard Jacob Clant 8.
Jodocus Henſius Synd: 4.

1645. Iidem.

1646. Petrus Eiſſinghe Coſ. 8.
Hieronymus Eyben Sen. 2.
Ei ad CollegiumOrd. Gen. miſſo ſuffectus
Joannes Tiaſſens Sen.
Oeſebrant Johannes Rengers Schlochteranus.
Jodocus Henſius Synd: 6.

1647. Petrus Eiſſinghe Coſ. 9.
Otto van Fermpſum Sen.
Rudolphus Guilelmus L. B. ab In & Kniphuſen, Dn. de Lutzborch.
Jodocus Henſius Synd: 7.

1648. Henricus ab Heeck Coſ. 2.
Otto van Fermpſum Sen. 2.
Edzard Jacob Clant 9.
Jodocus Henſius Synd: 8.

1649. Henricus ab Heeck Coſ. 3.
Iohannes Birza Sen. cui mortuo ſuffectus
Otto Valcke ex Satrapâ veteris præfecturæ iterum Sen. 3.
Adolphus Louwens Sen.
Iebbo Aldringa 2.
Oeſebrant Iohannes Rengers Schlochteranus. 2.
Iodocus Henſius Synd: 9.

1650. Albertus Hooftman Coſ. 2.
Otto Valcke Sen. 4.
Folcker Folckers Sen.
Johannes Lewius Middelſtumanus.
Guntherus Thylo.
Iodocus Henſius Synd: 10.

1651. Albertus Hooftman Coſ. 3.
Otto van Fermpſum Sen. 3.
Folcker Folckers Sen. 2.
Rudolphus Guilelmus L. B. ab In & Kniphuiſen 2.
Onno Tamminga op Ludema.
Ulricus van Ewſum.

1652. Henricus ab Heeck Coſ. 3. cui mortuo ſuffectus.
Peter Iſebrants Coſ. 3.
Otto van Fermpſum Sen. 4.
Johannes van Hulten Sen. cui mortuo ſurrogatus

Allardus

Alardus Aldringa; ei Conſuli facto, ſuffectus
Gerardus Swarte Sen.
Johannes Lewius 2.
Hermannus de Sighers.
Jodocus Henſius 11.

1653. Johannes Tiaſſens Coſ. 2.
Gerardus Buning Sen.
Gerardus Swarte Sen. 2.
Hillebrant Gruis te Lellens.
Jodocus Henſius, 12. cui ſuffectus
Hillebrant Entens.
Abelus à Bolhuis.

1654. Petrus Eiſſinghe Coſ. 10.
Johannes Eeck Sen.
Gerardus Buning. Sen. 2.
Oeſebrant Johannes Rengers. 3.
Jodocus Lewius.
Johannes Woltheri.

COMMISSA
& OMISSA.

PAg. 12. 13. 14. 15. pro NATALES ACADEMIÆ, reſcribendum WESSELUS GRONINGENSIS, p. 33. φυλήσυχόν τε Pag. 38. ad calcem vitæ Prædinij hæc adjiciantur. David Chytræus in continuatione Hiſtoriȩ Saxonicæ ad annum 1559. pag. 520. luculentam ejus facit mentionem, hic non prȩtermittendam.

R*Egnerus*, ait, *Prædinius*, *Scholæ Groninganæ Rector*, *excellenti ingenio*, *varia & recondita eruditione*, *eloquentia ſingulari*, *& docendæ ac gubernandæ juventutis mirabili quadam dexteritate præditus*, *ex his terris deceſſit 18. d. April. 1557. cujus*, *biennio ante ipſius obitum*, *Groningæ parvam artem Galeni Græcam*, *frequenti Scholaſticorum agmini*, *erudite & facunde explicantis*, *auditor fui*; *& in familiari colloquio de Weſſelo* (*cujus oſſa inferioris maxillæ*, *velut reliquias ſacras*, *mihi monſtrabat*) *de Luthero*, *de Eraſmo Rotterodamo*, *de Religionis Emendatione noſtro tempore facta*, *& de Anabaptiſtarum in vicino Groningenſi agro*, *varijs ac monſtroſis ſectis*, *ſermones adhuc in auribus meis* ἔναυλοι *ſonant*. Hæc Chytrȩus.

Voluit ſepeliri in ipſo aditu Scholæ, quæ tum ad coemeterium Martinianum ſita, ubi nunc domus Provincialis, ut diſcipulis & poſteris memoria ſui ſic indies renovaretur. Epitaphium grandi ſaxo tale inſculptum.

AT PECCAVIMUS AD UNUM OMNES

ΕΣΤΩ Ο ΙΗΣΟΥΣ ΕΜΟΙ ΧΡΙΣΤΟΣ

SIT JESUS MIHI CHRISTUS

HIC SITUS EST REGNERUS PRÆDINIUS IN CHRISTO JESU MORTUUS ANNO SUÆ ÆTATIS QUINQUAGESIMO PRIMO DNI. VERO MILLESIMO QUINGENTESIMO QUINQUAGESIMO NONO DIE XVIII. APRILIS.

CÆTERUM NEMO MORIETUR CREDENS IN FILIUM DEI

ET OMNIS NON SECUNDUM CARNEM SED SECUNDUM SPIRITUM.

Pag. 47.

Pag. 47. l. penult. *pro* Perio *lege* Pierio. p. 55. l. 2. *pro* piorum *lege* priorum p. 56. l. 8. *pro* in re *lege* in ore p. 57. l. 13. *pro* earum *lege* carum p. 63. l. 19. *pro* parvorum *lege* paucorum p. 64. l. 1. *lege* abrupiſſent. p. 81. l. 35. ſolent. p. 88. l. 28. Feicone l. 32. in ſua. p. 91. l. 42. Toſſano, conſtanter illi interfuit. p. 93. l. *ult.* per ſocerum ſuum, cujus ædes peramplas ille occuparat, conſecutus eſt literas ſalvi conductus & facultatem. p. 94. l. 13. *dele* ei. p. 119. l. 26. *lege* incendium. p. 136. l. 23. *pro* exercitium *lege* argumentum. p. 139. l. 33. *lege* Sanquintini. p. 140. l. 40. capacitatem. p. 141. l. 28. iſtæ p. 142. 1. ſuopte motu. p. 145. l. 23. quadriennio. p. 147. l. 41. Hilarij. p. 151. l. ult. privatim p. 153. l. 30. *poſt* ſtuduerit. *adde*, Sub initium anni 1654. ei commiſſa eſt authoritate publicâ Profeſſio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cum Theologicâ & Miniſterio Eccleſiaſtico conjungenda, biniſque lectionibus hebdomadatim exercenda. P. 157. l. 14. *Quinquecclesienſis* P. 160. ad calcem, catalogi ſcriptorum publicè extantium adde, 1654. *Apologia Noviſſima pro S. Auguſtino Janſenii & Janſenitis, contra Pontificem & Jeſuitas; ſive, Examen Theologicum tripertitum Conſtitutionis nuperæ* Innocentij X. P. R. *quâ in gratiam Ieſuitarum & Pelagianorum contra Auguſtini & Ianſenij ſequaces declarantur & definiuntur quinque propoſitiones in materiâ fidei. Præmittitur præfatio ad Janſenitas & adijcitur ad calcem iterata editio* Planctus Auguſtinianæ veritatis, in Belgio patientis, *ante aliquot annos in Brabantiâ emiſſi.*

Synopſeos veræ Catholicæque doctrinæ de Gratia & annexis quæſtionibus &c. editæ anno 1651. iterata editio locupletior & auctior.

P. 173. l. 6. *lege* primarij p. 174. l. 9. à fine, *lege* M. Chriſtianum p. 190. lin. ult. *lege* Everwinus Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Paſtor. *ibid.* poſt familiariſſimus, *adde*, uti quoque Rev. & Doctiſſ. D. Abrahamus Hertogius, Eccleſiæ Vicinę in Sluypwijck Paſtor Goudę habitans. p. 195. l. 14. *lege* ipſum per reliquum vitæ tempus. p. 196. l. 22. *lege* deprecaturus. p. 211. l. 1. occluſis, valedicere pag. 215. l. 11. *lege* præfectos. ibid. l. 12. magiſtratum.

Typis Henrici Lussinck, Typographi.

1/6
60

xii/-